JURIS CANONICI METHODUS NOVA

R. P.

ERNRICI PIRHING

SOCIETATIS JESU.

TOMVS IV.

Digitized by Google

Digitized by Google

JUS CANONICUM

NOVA METHODO EXPLICATUM,

OMNIBUS CAPITULIS TITULORUM promiscuè, & confusè positis in ordinem doctrinæ digestis.

TOMUS QUARTUS

Respondens Libro Quarto Decretalium.

IN QUO DE SPONSALIBUS, ET MATRIMONIIS, & quæ eis annexa sunt, agitur, eadémque plenè, & theoricè explanantur, & declarantur.

ADDITUS EST, PRÆTER SYNOPTICUM, ET METHODICUM, ALIUS INDEX ALPHABETICUS A PLURIBUS DESIDERATUS.

AUCTORE

R. P. ERNRICO PIRHING

SOCIETATIS JESU THEOLOGO,

SS. CANONUM,

IN ALMA, CATHOLICA, ET EPISCOPALI UNIVERSITATE DILINGANA PROFESSORE EMERITO.

Cum Gratia, & Privilegio

Sacræ Cæsareæ Majestatis.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

DILINGÆ,

Superiorum Permissu.

Typis, & Sumptibus JOANNIS CASPARI BENCARD, Bibliopolæ Acad.

Per JOANNEM MICHAELEM SPÖRLIN.

ANNO M. DC. LXXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDISSIMO,

ET

CELSISSIMO

S. R. I. PRINCIPI,

DOMINO, DOMINO

SEBASTIANO,

EPISCOPO

PASSAVIENSI,

COMITI DE PÖTTING,

BURGRAVIO HÆREDITARIO

IN LIENZ. &c.

DOMINO AC PRINCIPI SVO

CLEMENTISSIMO.

Connive, Clementissime Princeps, *ut exiguus Meæ Canonicæ Lucubrationis Rivulus maximorum fluminum naturam, à Divino eloquio collaudatam imitetur, ut* ad locum, unde *initiò* ortus *est, ultimò* revertatur. *Vagabantur priores Tomi mei velut undæ Viatrices procul à termino, per varias terras, quà me peregrinari contigerat, alluebántque præsidii quærendi causâ diversos Portus, non tamen alios, quàm quos præfixæ Insulæ spondebant Pontificiis Juribus fore tutos, & tutatores: Solus iste liber meus Patriam, & Te*, Celsissime Præsul, *non aliter, quàm* Suum Mare *respiciebat; Illuc ruebat, unde fluere in Scriptore Suo didicerat incepisse. Sic se Fluvii, si non Nomen ob exilitatem, saltem indolem glorioso in suam Scaturiginem refluxu indepturum. Nam Nominatissimam Diœcesin Tuam Passaviensem*, Domine ac Princeps Clementissime, *Terrarum sub Tuo Pedo sitarum amplitudine vix uni inter*

Digitized by Google

ter Theutonicas: Nominis verò, & dignitatum magnitudine nulli secundam, mihi Natalem esse: Tuam autem Magnificam Sedem Paßavium Studiorum meorum prima incunabula agnosco. In Terra Tua primam auram, in domestico Tuo Triurbio primam litteraturam hausi; Utrumque Pelagus illud est, unde Ego, & mea Scaturivimus. Admitte proinde Clementissime Princeps, *Has Guttulas meas, in Suam Originem refundere se paratas, non ut iterum fluant, sed ut Fonti se sistant, Ortui non ingratas, ibique quietem, ac velut in Originis Domicilio tutissimum asylum & præsidium reperturas. Qua ratio, præter alias, quas reperire facile foret, tametsi me defecisset; aliam tamen, & quidem Palmariam, cur huic Libro Celsissimum Nomen Tuum inscribere auderem, & deberem, materia suppeditaret. Matrimonium est, quod tractatur, id Tuo sacro Tribunali debetur; nam nuptiales causas nonnisi Infulato Foro addixit Romanus Legislator. Et quamvis ista Connubialis Iurisdicendi potestas Tua* Celsitudini *videri possit communis cum aliis mitratis Verticibus: momento tamen multùm præpollente, Tibi peculiarem fecit Summi Imperatoris Tuis Maximis meritis commensus Favor. Tuum proprium dico esse Magnum Matrimonii Sacramentum, quà aras spectat, sicut aurum Arabia est, non quia alibi nullum, sed quia ibi præstantissimum. A potiore Philosophus nomen impertit. Ad te pertinere in sacris Connubiorum potissimum, qui ambigit, vel nescit Augustissimi Leopoldi cum Augustissima Eleonora Magdalena ante biennium initum esse Hymenæorum omnium, quos Sol arridens videt, phœnicem, vel negat id esse Tuum? Quorum illud utriusque Maiestatis est impia contemeratio, quia eadem mensura nuptorum est, quæ nuptiarum: Istud iniuria Tua* Celsitudinis. *Quis enim impune dixerit, non esse Tuum, quod in Tua Latissima Hierarchia, Utrique Austria, & ex parte, ipsi Imperatoria Vienna dominantis solo fortunatissimè crevit. Tuum est illud Fœdus Nuptiale, quia in Episcopali Sede Tua, in Tua, inquam, hoc etiam nomine beatissima Paßaviensi Tripoli, quin in intimis Tua Cathedræ Sacris penetralibus sanctissimè coaluit, Tuâ Celsissimâ Præsentiâ tribuente eam, sine qua ex Tridentino Oraculo stare non poterat, Parœcialem auctoritatem. Tuâ sacratissimâ dexterâ, qua sub panis velo tunc Numen præferebas, bene precando, impertiente illam fertilitatem, quâ nunc Mundus Tecum triumphat.*

Reddo itaque, quod tam alto, tam vario Jure Tibi vindicas Matrimonium, & quidem eo tempore (quod in capite meæ felicitatis pono) quo ex eadem Matrimonii faustiore, quàm illa Danielis arbore,

à Te

à Te plantatâ colligis Pomum Imperiale Filium accreſcentem Joſeph, *deſideratiſſimum Auguſtiſſima Domûs Auſtriaca Delicium, Germania labantis fulcrum, Imperii Romani columen, & quidem aheneum & ſtabile. Ita Natalis S. Anna, id eſt, Gratia, (nam Dei Dona pœnitudinem neſciunt,) iubet ominari. Tanti Boni radicem Tibi,* Clementiſſime Princeps, *dedico Matrimonium. Quòd ſi Gratioſiſſimo oculo aſpexeris, atque Humaniſſimâ, & Pontificali manu Tuâ fueris dignatus, credam me Labores meos feliciter finiviſſe, & venam calami mei in Originarium Oceanum ſuum ex decore, & debito reduxiſſe. Vive, & perenna,* Clementiſſime Præſul, *atque hoc umbratili Matrimonio meo ita fruere, ut Vero illo, & Auguſtiſſimo, eiúsque Præſente, & futuris Fructibus, in longiſſima Tua, ac Tuorum incolumitate diutiſſimè lateris. Dilinga ipſo ſolemniſſimo Feſto Glorioſiſſimæ Virginis in cœlum aſſumptæ, Anno M. DC. LXXVIII.*

R.^mæ Celſitudinis Tuæ

Servus obſtrictiſſimus

ERNRICVS PIRHING
SOC. JESU.

Digitized by Google

INDEX ALPHABETICUS TITULORUM LIBRI QVARTI DECRETALIVM

	Titulus.	*Pagina.*
DE Clandestinâ desponsatione.	III.	60.&212.
Conditionibus appositis in desponsatione, vel in aliis contractibus.	V.	74.&215.
Cognatione legali.	XII.	116.&222.
Cognatione spirituali.	XI.	106.&220.
Conjugio leprosorum.	VIII.	99.&219.
Conjugio servorum.	IX.	101.&219.
Consanguinitate, & affinitate.	XIV.	126.&224.
Desponsatione impuberum.	II.	51.&210.
Divortiis.	XIX.	173.&232.
Donationibus inter virum, & uxorem, & de dote post divortium restituenda.	XX.	188.&234.
Eo, qui cognovit consanguineam uxoris suæ, vel sponsæ.	XIII.	118.&222.
Eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium.	VII.	92.&217.
Frigidis, & maleficiatis, & impotentia coeundi.	XV.	142.&226.
Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ.	XVI.	151.&228.
Natis ex libero ventre.	X.	105.&220.
Qui Clerici, vel voventes matrimonium contrahere possunt?	VI.	84.&216.
Qui filii sint legitimi?	XVII.	154.&228.
Qui matrimonium accusare possunt, vel contra illud testari?	XVIII.	168.&231.
Secundis nuptiis.	XXI.	199.&237.
Sponsa duorum.	IV.	71.&214.
Sponsalibus, & matrimoniis.	I.	1.&203.

LIBER

Digitized by Google

LIBER IV. DECRETALIUM.

Actum est in Libro III. præcedente de iis, quæ spectant ad Clericos sæculares, & regulares, sequitur, ut nunc agatur etiam de iis, quæ spectant ad statum laicorum, adeoque de Sponsalibus & Matrimoniis, eisque annexis, quia plerique laici in statu conjugali vivunt, vel ad eum tendunt. Continet autem hic Liber materiam perutilem quoque, sed & perdifficilem: nam causæ matrimoniales numerantur in Jure inter causas graves, & arduas, ideóque Consistoria ac Tribunalia Judicum Ecclesiasticorum frequentissimè occupant, ut praxis testatur.

TITULUS I.

DE SPONSALIBUS, ET MATRIMONIIS.

SECTIO I.

DE SPONSALIBUS DE FUTURO.

I.

Sponsalia à spondendo dicta sunt, *l. 2. ff. De Sponsalibus.* quia mos erat antiquis, ut puella nuptura promitteretur viro à parentibus, tutoribus, vel amicis, sub quorum cura, & potestate erat, *Sanch. l. 1. de Sponsal. disp. 1. n. 1.* Accipiuntur verò Sponsalia tripliciter. 1. Minùs propriè, pro arrha & muneribus, quæ à sponso sponsæ dabantur. 2. Pro matrimonio rato, & nondum consummato: quomodo Matth. 1. dicitur: *Cùm esset desponsata Maria Mater Jesu Joseph*, cùm tamen paulò post conjux Josephi appelletur. Et hæc dicuntur Sponsalia de præsenti. 3. Magis propriè, & usitatè, Sponsalia accipiuntur pro futuri Matrimonii promissione, & ut sic sunt præambulum quoddam Matrimonii, quæ est acceptio hujus loci propria, & dicuntur Sponsalia de futuro.

§. I.

Quid sint Sponsalia, & quâ formâ, seu modo contrahantur?

II. Assertio 1. Sponsalia sunt *futurarum nuptiarum mentio, & repromissio*, prout definiuntur in *l. 1. ff. de Sponsal. & c. Nostrates. 3. cauſ. 30. q. 5.* Ubi notandum 1. hæc promissio non debet esse merè interna, aut mente solùm interiùs concepta, sed per verba externa aut aliquod aliud signum manifestativum consensûs interni debet esse expressa, Sponsalia enim numerantur inter contractus humanos, qui ultrò citroque obligationem pariunt: ad hoc autem sola intentio non sufficit, sed necessarium est illam verbis, vel signis aptis explicari, ut unus contrahens alterius animum intelligat, intentio enim mente retenta nihil operatur in humanis contractibus. *l. Cùm in plures. 60. §. Locator. ff. Locati.* ac proinde qui liberè aliquid promisit alteri, actu merè interno, potest id revocare, ante acceptationem alterius, *Sanch. cit. l. 1. dis. 3. n. 5.* Porro promissio interna matrimonii contrahendi facta Deo, per modum voti, nisi aliis circumstantiis vestiatur, est invalida, nec potest esse materia voti; hoc enim est promissio melioris boni: matrimonium autem inferius bonum est, quàm cœlibatus, juxta *Concil. Trident. Sess. 24. de Sacramento Matrimonii can. 5.* à quo impedit, *Sanch. cit. l. 1. dis. 4. n. 1.*

III. Notandum 2. Ad Sponsalia requiritur promissio, non simplex, sed mutua, sive reciproca, ad quam proinde non satis est, ut uns pars acceptet promissionem alterius, sed insuper requiritur, ut altera repromittat, sive se vicissim ad matrimonium, suo tempore contrahendum obliget. Unde si Paulus Annæ promittat matrimonium, non gratis, & per modum liberalis promissionis, sed respectivè, & per modum contractûs onerosi, & reciproci, sive animo contrahendi Sponsalia: Anna verò promissionem quidem acceptet, sed sine proposito repromittendi, & vicissim se obligandi Paulo, neuter obligatus erit ad matrimonium in foro conscientiæ. Non Anna, quia hæc non voluit se obligare Paulo, acceptando promissionem illius, sed hunc tantùm sibi obligatum habere: actus autem agentium non operantur ultra intentionem eorum, *l. Non omnia. 19. in princ. ff. de reb. credit.* Neque etiam Paulus obligabitur, quia Sponsaliorum contractus est respecti-

Digitized by Google

vus, & teciprocus, ſive ultro citroque obligatorius, ut patet ex ejus definitione, *cit. l. 1. ff. de Sponſal.* Ubi Sponſalia dicuntur *repromiſſio futurarum nuptiarum*, adeoque non poteſt claudicare, ſeu ex una tantùm parte contrahentium obligare, ſed antequam utraque pars, & ſponſus, & ſponſa, ſe obliget, nondum eſt contractus perfectus, & per conſequens poteſt altera pars liberè reſilire: eſt enim promiſſio (ſi ꝑte naturâ conditionalis, continétque implicitè hanc tacitam conditionem: *promitto tibi, ſi & tu repromittas*, adeoque alteto non repromittente, & ſe viciſſim obligante, nulla conſurgit ex ptiore ptomiſſione obligatio, *Sanch. cit. l. 1. diſ. 5. nnm. 10. & ſeqq. Laym. libr. 5. Theol. mor. p. 1. c. 1. n. 2.* Si verò Paulus omnino abſolutè, & gratuitò matrimonium promittat Annæ, in memoriam v. g. beneficii ab ea accepti, tunc hac acceptante promiſſionem, nec repromittente, ſolus Paulus promittens obligatus erit ad ducendam illam: non vi Sponſalium, quæ claudicare nequeunt, ſed vi ſimplicis, & liberalis promiſſionis, quæ poteſt eſſe, & obligare ex parte unius, manente altero immuni ab obligatione, *Sanch. c. l. n. 12. Laym. c. l.* quamvis ſolitaria hujusmodi promiſſio, etiam acceptata, non obliget graviter, niſi grave inde damnum ſequatur, & cum ſolemnitate ſit facta, *Tann. tom 4. diſ. 8. de Sacram. Mat dub. 1 n. 4.*

IV. Notandum 3. promiſſio ſponſaliorum debet, ex parte intellectûs, habere ſufficientem deliberationem, quæ ſcilicet ſufficit, & exigitur ad peccatum mortale, *Sanch. cit. l. 1. diſ. 8. n. 5.* Ratio eſt, tum quia Sponſalia obligant ſub peccato mortali, ut infrà dicetur, ergo exigunt deliberationem requiſitam ad peccatum mortale: tum quia ea deliberatio ſufficiens eſt ad votum, *c. 2. de voto*, ergo etiam ſufficit ad Sponſalia. Quamvis plena, & matura deliberatio prævia omnium circumſtantiarum non requiratur. Textus Jutis in ſpeciem contrarii intelligendi ſunt de itacundia adimente uſum rationis, & deliberationem requiſitam ad peccatum mortale, *Sanch. cit. diſ. 8. n. 11.*

Nontandum 4. Promiſſio Sponſalium non debet eſſe ficta, nam talis promiſſio non eſt vera, & ſeria promiſſio, ſed promiſſionis fictio, adeoque qui fictè promiſit matrimonium orerenus ſolùm, absque animo promittendi, aut cum intentione quidem promittendi, ſed ſine intentione ſe obligandi, non obligatur, ex vi promiſſionis, & Sponſalium, quia deficit internus conſenſus. Omnis enim obligatio, quæ non eſt ex lege, oritur ex privata hominis voluntate: ergo ubi deeſt obligandi voluntas, deficit obligatio, *Sanch. cit. l. diſ. 9. n. 5.* Quamvis autem ſic fictè promittens matrimonium, non ex vi talium ſponſalium obligetur, peccat tamen ſic promittendo mortaliter, quia eſt mendacium perniciosum in re gravi, & contra legem juſtitiæ, quæ præſcribit, ut in quolibet contractu utrinque obligatorio, qualis eſt Sponſalium, uterque vere contrahat, *Sanch. cit. l. 1. diſ. 9. n. 5.* de quo pluta videri poſſunt apud eundem *c. l. diſ. 10.*

V. Notandum 5. Ex eo, quòd Sponſalia ſunt promiſſio futuri matrimonii, ſequitur, concubitum cum alieno ſponſo, vel ſponſa non eſſe adulterium, tum quia adulterium propriè in nuptam committitur, *l. Inter. 6. §. 1. ff. ad leg. Iul. de adult.* At ſponſa de futuro non eſt nupta, ergo concubitus cum illa non eſt adulterium, *c. Lex illa. 2. §. Cùm ergo. cauſ. 36 q. 1.* At qui accedit ad alienam ſponſam de futuro, non violat alienum torum, quia hic non eſt permiſſus ſponſis, ante matrimonium contractum per verba de præſenti, ergo talis non committit adulterium. Non obſtat, quòd in *l. Si uxor. 13. §. Divi. ff. ad leg. Iul. de adult.* permittitur vindicari concubitus etiam cum ſponſa alterius, tanquam adultetium, ubi manifeſtè de Sponſalibus de futuro eſſe ſermonem patet ex eo, quod additur, *quia nec ſpem matrimonii violare permittitur*, ſponſalia autem de præſenti, non ſpes matrimonii, ſed ipſum matrimonium dicuntur. Sed reſpondetur, concedi ibi vindictam ſponſo, non ex eo, quòd fornicatio cum ſponſa alterius ſit adulterium, ſed quia atrox injuria ipſi ſponſo eſt illata, *Covarr. in Epitome Libr. IV. Decret. p. 1. c. 1. n. 8. & 9. Sanch. cit. l. 1. diſ. 2. n. 2. & 3. Tanner. cit. diſ. 8. dub. 3. num. 40.* An autem circumſtantia Sponſaliotum ob fornicationem cum alieno ſponſo vel ſponſa, neceſſariò in confeſſione ſit exprimenda, tractat *Sanch. c. l. n. 4. & ſeqq. Tanner. c. l. n. 41. & 42.* & alii Theologi, qui videri poſſunt.

VI. Notandum 6. Quamvis abſolutè, & per ſe loquendo, poſſint, qui matrimonium contrahere volunt, ſponſalia prætermittere, ſine ſcelete, & peccato, quia nullâ lege præceptum reperitur, quòd ipſum matrimonium neceſſariò præcedere debeat promiſſio de eo contrahendo: omnino tamen decens eſt, & honeſtum, ut præcedant hujusmodi ſponſalia, ut colligitur ex *c. 1. & c. 3. cauſ. 30. q. 5.* idque ut indiſſolubilis ſtatus, & obligatio matrimonii, majore cum deliberatione ſuſcipiatur, *Tann. cit. diſ. 8. dub. 1. n. 2.* imò poſt *Concil. Trident.* vi cujus publicæ denuntiationes præmitti debent, moraliter neceſſarium eſt, ut promiſſio ſaltem tacita de conttahendo matrimonio præcedat, ut notat *Tanner. c. l.*

VII. ASSERTIO 2. Sponſalia contrahuntur per verba aut ſigna quælibet, quibus ſecundùm communem loquendi modum, & præſentes rerum circumſtantias, exprimitur mutua promiſſio de matrimonio contrahendo. Cujusmodi ſunt, *accipio te in meam, vel in meum: ducam te in uxorem, vel virum: contraham tecum matrimonium, volo te eſſe meam ſponſam, vel ſponſum & c. Tanner. cit. diſ. 8. dub. 1. num. 8.* De quibusdam autem verbis dubitatur, an ſit obligatio Sponſalium, ut ſi quis dicat, *nullam aliam ducam*, *niſi te*: nam *Sanch. cit. l. 1. diſ. 19. n. 5.* & alii communitet, negant eſſe Sponſalia, ſed ſolùm promiſſionem conditionalem, ſi aliquam ductutus ſum, te ducam, *arg. l. Si ſterilis. 21. §. Si tibi. ff. de action. empt.* Ex qua colligitur, quòd promittens non vendere, niſi huic, non tenetur abſolutè vendere, ſed ſolùm tenetur huic, caſu, quo vendiderit. At verò ſi quis dicat, *non aliam, ſed te ducam*, etunt ſponſalia. Idémque dicendum videtur de hac formula: *nullam aliam ducam præter te*, ſic enim juxta regulam Dialecticorum exponenda eſt: *te ducam, & nullam aliam à te ducam.* Sicut hæc propoſitio, *nullus homo currit, præter Petrum*, ſic exponitur, *Petrus currit, & nullus alius currit.* Addi tamen hîc debet iſta limitatio, ut, ſi quis dicat, *non aliam ſe ducturum, niſi hanc, vel præter hanc*, tum demum ſimpliciter, & abſolutè obligetur ad ducendam illam, ſi aliunde, vel ex aliis

con-

conjecturis conſtet, eum certum animum habere contrahendi matrimonii, quia in foro conſcientiæ præcipuè ſpectanda eſt intentio promittentis, *Laym. cit. c. 1. n. 2. in fine.*

VIII. Prædictis addendum 1. Si verba ſint dubia, quæ vel ſolum propoſitum, *ut contrahat tecum matrimonium*; vel etiam plus, quàm promiſſionem matrimonii ſignificare poſſunt. *Vt volo te eſſe uxorem meam: volo tecum contrahere matrimonium*: tum in foro quidem conſcientiæ ſtandum eſt intentioni contrahentium, ſi de ea conſter, quia verba habent vim obligandi ex conſenſu interno, & non ſermoni res, id eſt, intellectus, ſed rei eſt ſermo ſubjectus, *c. Intelligentia. 6. junctâ Gl. V. Res de V. S.* In foro tamen externo non ſtatur intentioni contrahentium, quia ea Eccleſiam latet, ſed potiùs communi, & recepto verborum ſenſui, quem verba communiter rectè intelligentibus ingerere ſolent, *Sanch. cit. l. 1. diſ. 18. n. 1. & 4. Tanner. cit. dub. 1. n. 30.*

Addendum 2. Interdum etiam ſigna ſupplent verborum vices, ſic enim annuli traditione, vel immiſſione in digitum: item donatione, & acceptatione arrhæ, & munerum ſponſalitiorum exprimitur ſufficienter conſenſus, & contrahi poſſunt Sponſalia, absque verbis, præſertim ſi jam inter parentes, vel amicos præceſſit tractatio aliqua de matrimonio contrahendo, quia tunc talia ſunt ſufficientia ſigna mutuæ promiſſionis, in quo tamen potiſſimùm loci conſuetudo ſpectanda erit, *Sanch. cit. l. 1. diſ. 22. n. 1. & 5. Tanner. c. l.*

§. II.

Quinam ſint habiles, vel inhabiles ad Sponſalia contrahenda, vel matrimonium?

IX. Assertio 1. Generatim loquendo, ab illis ſolis contrahi poſſunt Sponſalia, inter quos aliquando (adveniente ætate) conſiſtere poteſt licitè, & validè matrimonium, ut eſt communis DD. ſententia apud *Tanner. tom. 4. diſ. 8. dub. 2. n. 16.* Ratio eſt, qui Sponſalia ſunt promiſſio futuri matrimonii, ergo ut valeant, debent eſſe promiſſio liciti, & validi matrimonii, quia promiſſio rei illicitæ etiam juramento firmata non valet. In quo tamen ſemper reſpiciendum eſt ad tempus implendæ promiſſionis. Hinc impuberes ſeptennio majores contrahere poſſunt Sponſalia, cùm tamen pro eo tempore non poſſint contrahere matrimonium: & tempore tali voto caſtitatis, v. g. ad unum, vel duos annos obſtrictus, validè contrahit Sponſalia implenda, eo tempore, quo votum non ampliùs obligat, *Tanner. c. l. n. 17.*

X. Assertio 2. In ſpecie verò Sponſalia, & matrimonia à furioſis, & amentibus, ſive etiam cum illis contracta non valent, ob defectum pleni, & deliberati conſenſûs, prout conſtat ex *c. Dilectus 14. h. t.* Ubi reſpondet Papa, quòd mulier matrimonialiter copulata viro, qui continuo furore laborabat, etiam tempore contracti matrimonii (*Gl. hic V. Furore.*) cum ipſo morari non poſſit, quia propter mentis alienationem legitimus conſenſus inter eos intervenire non potuit: ideòque mandat eos ab invicem ſeparari, ſi res ita ſe habeat. Excipe, niſi furioſus habeat dilucida intervalla, tunc enim poteſt, eo tempore, Sponſalia & matrimonium contrahere, cùm ſit rationis compos, ita ut etiamſi poſtea furor denuò ſuperveniat, Sponſalia vel matrimonium non reddantur invalida: quamvis regulariter etiam tunc licitè, & ſine peccato non contrahat, quia ſi perpetuo furore laboret, ineptus eſt ad prolem educandam, niſi id munus alii committere poſſit, *Sanch. cit. l. 1. diſ. 8. n. 15. 16. & 18.* Porro ſi dubitetur, an actus geſtus à furioſo, ſit geſtus, tempore furoris, vel intervalli, in tali dubio præſumitur geſtus tempore furoris, quia hic præſumitur durare omni tempore: niſi ex actûs qualitate præſumendum ſit eſſe geſtum, tempore ſanæ mentis, *Sanch. c. l. n. 17.* & alii apud *Barboſ. in Collect. in cit. c. Dilectus. n. 5.* Similiter ebrius, ſi tempore ebrietatis contrahat Sponſalia, vel matrimonium, nihil agit, quia caret conſenſu libero, & debitâ deliberatione, *Sanch. c. l. n. 19.*

XI. Assertio 3. Senſibus deſtituti, ut ſurdus tantùm, vel mutus tantùm, imò etiam ſurdus ſimul, & mutus à natura poſſunt validè contrahere Sponſalia, vel matrimonium, prout ſumitur ex *c. Cùm apud. 23. h. t.* Ubi Papa Innocentius III. conſultus, utrùm mutus, & ſurdus (qui prorſus non audit) poſſit matrimonium (vel Sponſalia) contrahere? Reſpondet, cùm Edictum de matrimonio contrahendo ſit prohibitorium, quicunque non prohibetur, per conſequens admittitur, quia ſolus conſenſus ſufficit ad matrimonium contrahendum. Unde ſi talis velit contrahere, non poteſt, nec debet id ei denegari, cùm quod verbis non poteſt, ſignis valeat declarare. Ubi cùm dicatur in ſingulari, videtur intelligendum de eodem utroque ſenſu privato. Nam ſæpe tales ſunt ſatis perſpicacis, & acuti ingenii, ut ſignis edoceri poſſint, quid ſit matrimonium, & nutu, vel alio ſigno indicare conſenſum. Item tales poſſunt confiteri, & abſolvi à peccatis, ergo etiam matrimonium contrahere. Quòd ſi quis ſimul ſit ſurdus, & mutus, ac cœcus, *Sanch. cit. diſ. 8. n. 13.* negat talem poſſe contrahere Sponſalia, vel matrimonium, eò quòd mutus ſolis ſignis inſtrui poſſit, quid ſit matrimonium: cœcus autem hæc ſigna percipere nequeat, nec etiam verba, cùm ſimul ſit ſurdus. Id quod ſaltem moraliter loquendo, & ordinariè eſt verum: etſi fortè phyſicè loquendo, non ſit impoſſibile, ut ſurdus, mutus & cœcus, ob perſpicaciam ingenii, ſolâ ratione naturali cognoſcat rationem Sacramenti matrimonii, ut notat *Tanner. cit. dub. 2. num. 32.* Hinc colligitur, quòd verba non ſint neceſſaria in matrimonio carnali, etiam in iis, qui loqui poſſunt, ſed ſufficit, ut conſenſus contrahentium matrimonium, vel Sponſalia ſigno aliquo externo exprimatur. Porro quando in *cit. c. Cùm apud.* dicitur, quòd Edictum de matrimonio contrahendo ſit prohibitorium, id intelligendum eſt, quòd ordinariè quidem ſit de re jure permiſſa, adeòque permiſſorium, prohibitorium tamen ratione certarum perſonarum, ut notat *Abb. hic n. 2.*

XII. Præterea huc pertinet, quòd ſtatuitur in *c. Tua. 15. h. t.* Ubi cùm quæſitum fuiſſet, utrùm

» ſolis verbis, & quibus matrimonium contrahi-
» tur? Reſpondet Papa, quòd matrimonium in ve-
» ritate contrahitur per legitimum viri, & mulieris
» conſenſum: ſed verba exprimentia conſenſum de
» præſenti ſunt neceſſaria, quantùm ad Eccleſiam.
» Nam ſurdi, & muti poſſunt contrahere matri-
» monium per conſenſum mutuum, ſine verbis:
» & pueri ante annos legitimos (ſcilicet diſcretio-
» nis) per verba ſolùm non contrahunt, quia non
» intelliguntur conſentire.

XIII. Ubi notandum 1. Ex hoc c. nonnulli colligunt, ſolum conſenſum internum, ſine verbis, vel aliis ſignis, ſufficere ad matrimonium contrahendum, aut etiam Sponſalia. Sed non rectè, quia Papa hic non loquitur de conſenſu meræ interno, ſed de conſenſu verbis, vel ſignis expreſſo, nam ſi conſiderentur matrimonium, prout eſt contractus, qui celebratur inter homines ignorantes interna cordis, neceſſariò requiritur, ut conſenſus internus, ſigno aliquo externo manifeſtetur: ſi verò ſpectetur matrimonium, prout eſt Sacramentum, de ratione illius eſt, ut ſit ſignum ſenſibile, ut notavit *Sanch. l. 2. de matrim. diſ. 30. n. 1.* Idque probatur apertè ex verbis immediatè ſequentibus: *nam ſurdi, & muti poſſunt contrahere matrimonium per mutuum conſenſum ſine verbis*, ubi *Gloſſ.* addit, *ſed non ſine ſignis, vel nutibus*: ergo loquitur ibi Papa non de conſenſu mutuo merè interno, ſed de expreſſo verbis, vel aliis ſignis, ut in muto, qui contrahit quidem matrimonium ſine verbis, ſed non ſine aliis ſignis: quia enim regulariter verba requiruntur, ut denotetur, ſeu manifeſtetur conſenſus internus, hic autem exprimi poſſit, non ſolùm per verba voce prolata, ſed etiam per alia ſigna: ideo iſta ſufficiunt. *Sanch. c. l. diſ. 31. n. 1.* Deinde Papa in *cit. c. Tuæ*, non abſolutè ait, verba eſſe neceſſaria ad contrahendum matrimonium, ſed quòad Eccleſiam, hoc eſt, quòad, faciliorem ac tutiorem probationem in foro externo Eccleſiæ: & ita non excluditur aliùs modus probandi, quod enim non requiritur neceſſariò ad ſubſtantiam rei, ſeu actûs, ſed ad probationem tantùm, poteſt impleri per æquipollens. *Sanch. c. l. n. 6.* Quare verba non ſunt præcisè neceſſaria ad ſubſtantiam matrimonii, etiam in illis, qui loqui poſſunt, ſed ſatis eſt conſenſum exprimi per alia ſigna, aliàs muti non poſſent contrahere matrimonium, ut ex dictis pater: quamvis verba inter alia ſigna obtineant principatum, ita ut probatio ex verbis ſit certior, quàm quæ fit aliis ſignis, *Covarr. in Epitom. Libr. IV. Decret. p. 2. c. 4. in init. n. 1.*

XIV. Notandum 2. Etſi verba non ſint neceſſaria ad ſubſtantiam matrimonii, videntur tamen neceſſaria ex præcepto Eccleſiæ, ut colligitur ex *cit. c. Tuæ.* ibi: *neceſſaria ſunt, quantùm ad Eccleſiam verba &c. & ex c. Licèt. 3.* de ſponſa duorum, ibi: *Si inter virum, & mulierem legitimum conſenſus interveniat, ita ut unus alterum verbis conſuetis expreſsè recipiat &c.* Idque confirmatur ex Eccleſiæ conſuetudine, & praxi, ſecundùm quam ij, qui loqui poſſunt, verbis contrahere ſolent matrimonium, ac proinde Eccleſia non toleraret, ſi qui loqui poſſunt, ſolis ſignis aut nutibus matrimonium contrahere vellent. Et quamvis *Sanch. cit. diſ. 31. n. 10.* dicat, nullum extare de hoc Eccleſiæ præceptum: fatetur tamen grave peccatum fore non exprimere in hoc contractu matrimonii conſenſum per verba, per quæ meliùs, & clariùs is exprimitur, quàm per ſigna, ſaltem ſi conſenſus per alia ſigna externa non ſufficienter exprimeretur. Porro per verba hic intelliguntur, non ſolùm illa, quæ articulatâ voce proferuntur, ſed etiam, quæ per litteras, vel nuntios explicantur, quaſi per inſtrumenta, cùm materia matrimonii ſit favorabilis, *c. uls. de ſent. & re judic. Barb. in Collect. hic n. 2. §. Intellige verba.* Quinam autem ob ætatem ſint inhabiles ad contrahenda Sponſalia, vel matrimonium, infrà dicetur.

§. III.

Quomodo & quando obligent Sponſalia, & an etiam obligent ſi gravi metu ſint extorta?

XV. ASSERTIO 1. Sponſalia, etſi clàm, & ſine teſtibus, ac arrhis contracta, obligant ex juſtitia ſub culpa lethali, ad matrimonium contrahendum. Eſt communis ſententia apud *Sanch. l. 1. de Sponſal. diſ. 27. n. 2.* Probatur ex *c. Deſponſatus. 46. c. Atho. 47. & c. De conjugali. 50. cauſ. 27. q. 2. c. Ex literis. 10. & c. Requiſivit, 17. h. t.* Ratio eſt, quia omnis contractus obligat ex juſtitia, & quidem in materia gravi ſub peccato mortali, at Sponſalia ſunt contractus, *facio ut facias*, inducens obligationem mutuam, & reciprocam, & materia eſt gravis, cùm magna injuria infertur alteri, ſi non impleatur: ergo obligant graviter. Unde lex Civilis 1 *C. De Sponſal.* dans deſponſatæ libertatem renunciandi, & nubendi alii, eſt correcta per Canones, *Tanner. tom. 4. diſ. 8. q. 1. dub. 3. n. 34.*

XVI. ASSERTIO 2. Sponſalia obligant ad matrimonium contrahendum tempore à contrahentibus præfixo: ſi autem nullum certum tempus ſit conſtitutum, tenetur quisque contrahere, altero exigente, quàm primùm commodè poteſt. *Sanch. cit. l. 1. diſ. 28. n. 2. Tanner. cit. dub. 3. n. 35.* Ratio eſt, quia id generale eſt in omni debito, cui dies certus præfixus non eſt: neque enim prius tenetur debitor ſolvere, quàm creditor poſtulaverit, *l. Debitores. 10. C. De pignorib.* niſi creditor non audeat petere, ex timore etiam reverentiali, vel debiti fuerit oblitus, vel aliàs commodè non poſſit petere: alioquin ſi creditor non petat, conſcius, ac memor debiti, & potens commodè petere, cenſetur conſentire in dilationem ſolutionis. Cæterùm Parochis, curandum eſt, ut poſt contractâ à Sponſis ſponſalia, quàm primùm fieri poteſt, matrimonium contrahatur, ad vitandum periculum fornicationis.

XVII. ASSERTIO 3. Qui ſine legitima cauſa fidem Sponſalium implere recuſat, is à Judice Eccleſiaſtico, poſt Canonicam admonitionem, poteſt, ac debet per cenſuras cogi ad contrahendum matrimonium, ſive Sponſalia jurata fuerint, ſive non: niſi gravia mala, & ſcandala, & perpetuæ diſſenſiones, & jurgia, vel alia mala, inter Conjuges, ex invitis nuptiis timeantur, *Sanch. cit. l. 1. diſ. 29. n. 4. Tanner. cit. dub. 3. n. 36. Laym. l. 5 tract. 10. p. 2. c. 1. n. 3. & 4.*

Prima

Prima pars, ſcilicet cogendum eſſe reſilientem à Sponſalibus, ad ſervandum, quod promiſit, ſumitur ex c. *Ex litteris.* 10. *h. t.* Ubi talis caſus propo-
» nitur: Duo nobiles G. & B. habebant filios, & filias impuberes, quos invicem deſponſârunt, &
» hoc tam patris, quàm filii juramento firmârunt
» ſe facturos. Prior nobilis G. filiam alterius B.
» conſentiente patre, juravit ſe ductutum in uxo-
» rem, ſed poſtmodum aliam ducere propoſuit.
» Verùm Epiſcopus eum compellere voluit, ut quod
» juraverat, impleret. Conſultus ſuper hac re Pa-
» pa Alexander III. reſpondit: periculoſum eſſe di-
» ctum G. contra juramentum ſuum venire, ideóque
» mandavit Epiſcopo, ut ſi hoc eſt conſtiterit, illum
» moneat, & ſi monitus non acquieverit, per cen-
» ſuram Eccleſiaſticam compellat, ut ipſam, quam
» juravit ducere, in uxorem recipiat, & maritali
» affectione pertractet, niſi rationabilis cauſa ob-
» ſtiterit.

XVIII. Ubi notandum, licèt, cùm in hoc c. dicitur, reſilientem à Sponſalibus cogendum eſſe ad contrahendum matrimonium, ſermo ſit de Sponſalibus juratis, idem tamen jus obtinet etiam in non juratis, quia congruus eſt, non ob juramentum, ſed propter injuſtitiam, quæ committitur, ſive ſponſalia ſint jurata, ſive non, nam prædictum cap. non innititur juramento, ſed narrat, quod in facto contigit. Ratio univerſalis eſt, quia Judex tenetur ex officio compellere ad reddendum unicuique quod ſuum eſt, vel ex juſtitia illi eſt debitum, ergo qui promiſit alicui matrimonium, poteſt cogi ad illud contrahendum, etſi ſimpliciter, & ſine juramento promiſerit, quia ex juſtitia eſt obligatus ad implendum id, quod promiſit, etſi non jurârit: quamvis magis cogendus ſit, qui per juramentum Sponſalia firmavit, propter majus vinculum Religionis adjectum, *Sanch. c. l. n.* 5. Idque confirmatur, quia pacta legitima ſervanda ſunt, *c. 1. de pact.*

XIX. Verùm aliquando tamen etiam qui cum juramento promiſit cum aliqua contrahere matrimonium, moneri priùs potiùs debet, quàm compelli ad contrahendum, prout ſumitur ex *c. Requiſivit.* 17. *h. t.* Nam cùm mulier quædam, interpoſito juramento, promiſiſſet cuidam viro, ſe ipſi nupturam,
» poſtea verò, mutatâ voluntate, renuit. Conſul-
» tus ſuper hac re Papa Lucius III. reſpondit, quòd
» cùm libera eſſe debeant matrimonia, non coacta,
» potiùs mulier illa eſt monenda, quàm cogenda,
» cùm coactiones hujusmodi frequenter ſoleant difficiles exitus habere. Ratio eſt, quia ad Judicem Eccleſiaſticum, ſive Epiſcopum ſpectat cogere ad contrahendum matrimonium ſponſos, ſi id expediat ad finem matrimonii: at verò quando gravia, & publica ſcandala, vel alia mala timentur ex contractu matrimonii, tunc non expedit fini matrimonii, ut contrahatur, quia per tale inatrimonium potiùs impediretur mutuum obſequium, quod conjuges ſibi invicem præſtare debent, & perturbaretur ſtatus matrimonii, ergo tunc non debet ſponſus, vel ſponſa compelli ad contrahendum, niſi prius moneatur, quia tunc adeſt rationabilis cauſa, ob quam compelli non debet ad contrahendum matrimonium, etſi interpoſito juramento illud promiſerit, ut patet ex *c. Ex litteris.* 10. ibi: *niſi rationabilis cauſa obſtiterit, in uxorem recipiat, h. t.*

XX. Præterea expedit quandoque permittere minus malum, ut majus evitetur. Majus autem malum eſt, in propoſito, permittere ſcandala, & perpetuas diſcordias oriri inter conjuges, quàm fidem Sponſalium violare, ideóque hoc poſterius juſtè permittit Eccleſia, ut prius, quod gravius malum eſt, evitetur, *Sanch. cit. diſ. 29. n. 4.* Quare cùm in *cit. c. Requiſivit*, dicitur, quòd mulier nolens contrahere matrimonium cum eo, cui id jurata promiſit, potiùs ſit monenda, quàm cogenda, id ita exponi debet, quòd priùs monenda ſit, & poſtea cogenda, ſi monitioni non acquieverit, & ita non contradicit priori *cap. Ex litteris. h. t.* ſed concordat cum illo, quamvis ſponſi debeant admoneri, & per cenſuras Eccleſiaſticas compelli, ut promiſſum conſenſum conjugalem præſtent, juxta *cit. c. Ex litteris.* ſed cùm libera eſſe debeant matrimonia, neque à Judice metus inferri debeat ſponſis, per quem libet conſenſus ad matrimonium neceſſarius tollatur: eſt enim matrimonium ejus, qui liberè Sponſalia contraxit, metu gravi poſtea contractum, ipſo jure nullum, ut ex infrà dicendis patebit: ideo non debet eſſe talis coactio ſtrictiſſima, ſed moderata, ita ut ſi videat Judex ſponſum eſſe obſtinatum, & liberè conſentiſſe in matrimonium nolit, non debeat contra ipſum procedere abſolutè, & ſtrictè compellendo, ſed potiùs uti monitione, juxta *cit. c. Requiſivit.* quia hæc compulſio ad liberum conſenſum eliciendum adhibetur, non ut invitus ad matrimonium adigatur. Unde ſi poſt latam, hoc caſu, excommunicationem, videat Judex ſponſum pertinacem manere, debet ipſum denique abſolvere à cenſura, etiamſi id non petat. *Covarr. in Epit. l. 4. Decret. p. 1. c. 4. n. 5. Sanch. cit. diſ. 29. n. 7.* Potro ſi Sponſus, vel ſponſa, quæ promiſit matrimonium alicui, ſive cum juramento, ſive ſine illo, poſtea violatâ fide datâ, contrahat matrimonium cum alio, vel alia, contractus tenet, nec poteſt compelli, ut redeat ad priorem ſponſum, vel ſponſam, *Gl. in cit. c. Ex litteris. V. Compellat in fine.*

XXI. Assertio 4. Probabilius eſt, ſponſalia de futuro etiam per gravem metum injuſtè incuſſum contracta, eſſe valida, donec per Judicis ſententiam, ob hanc, vel alias cauſas, reſcindantur, *Silveſt. V. Sponſalia. q. 6. in fine; Tanner, cit. diſ. 8. q. 1. dub. 1. n. 14. & 15.* Ubi tamen id limitat, modò alter contrahens ipſemet injuſtè metum non incuſſerit, quia licèt jure ſtatutum ſit, ut matrimonium injuſto gravi metu initum ſit ipſo jure nullum, ut infrà dicetur, non tamen id ſtatutum repertur in Sponſalibus. Ratio diverſitatis eſt, quia matrimonium ſemel validè contractum non poteſt ullo modo ampliùs diſſolvi, ideóque æquum fuit, ut ob gravem metum injuſtè contractum ab initio irritaretur. At verò Sponſalia de futuro facilè diſſolvuntur, & poſſunt per diſpenſationem Epiſcopi hujusmodi ſponſalia metu inita diſſolvi, etiamſi juramento firmata ſint: quam ſi metu contrahens non petat, videtur ſponte, & absque coactione matrimonium contraxiſſe, *Tanner, c. l.*

* * *

Digitized by Google

§. IV.

An Sponſalium contractui adiici poſſit pœna, vel arrha?

XXII. Assertio 1. Pœna propriè dicta, quæ ſcilicet conſiſtit in proprio peculio, ſeu patrimonio v. g. diminuendo, ſolvenda per eum, qui fidem frangit, adjecta contractui Sponſalium, eſt utroque jure irrita, tum Civili *l. Mulier. 5. C. De Sponſal.* tum Canonico, ut conſtat ex *c. Gemma 29. h. t.* „ Nam cùm filia T. mulieris G. infra VII. annos contraxiſſet Sponſalia cum P. (quæ fuerunt invalida) „ præſentibus parentibus, appoſita fuit pœna, quam „ pars, quæ reſiliebat, alteri perſolveret. Poſtea „ dicta filia T. contraxit matrimonium cum C. unde petitum fuit, ut pœnam adjectam perſolveret, Re delata ad Papam Gregorium IX. is reſpondit; cùm matrimonia libera eſſe debeant (ab omni „ coactione) ideo talis ſtipulatio pœnæ in ſponſâ„ libus appoſitæ meritò eſt reprobanda. Mandavit igitur Papa, ut ſi ita eſt, petens pœnam per „ Eccleſiaſticam cenſuram compellatur ab illius ex„ torſione deſiſtere. Ratio eſt, ut libertati matrimonii conſulatur, nec timore pœnæ ſolvendæ coactè matrimonium ineatur, *Sanch. cit. l. 1. diſ. 30. n. 1. & 2.*

XXIII. Idque extenditur 1. quòd non tantùm ſit irrita pœna, ſi ea per ipſos ſponſos ſit adjecta contractui ſponſalium, ſed etiam ſi per conſanguineos ipſorum, ita ut probabile ſit fore, ut inducantur ſponſi ad matrimonium contrahendum, ne conſanguinei pœnam ſolvere debeant, *Sanch. c. l. n. 3.* At verò pœna appoſita inter omnino extraneos ipſis ſponſis, valida eſt, quia per illam ſponſi non inducuntur ad matrimonium contrahendum, ne hi pœnam ſolvere debeant, *Sanch. c. l. n. 5.* Eſt autem verius, pœnam adjectam contractui ſponſalium nec quidem juramento firmari, cùm ſit contra bonos mores, & publicam utilitatem, nam Reipublicæ intereſt libera eſſe matrimonia, quia ex coactis matrimoniis oriuntur jurgia, diſſenſiones, & mala liberorum educatio, *Sanch. cit. l. 1. diſ. 32. n. 21. Tanner. eis. diſ. 8. dub. 3. n. 44.*

Extendunt 2. communiter DD. quòd irrita ſit adjectio pœnæ, ſive quis ex juſta cauſa à contractu ſponſaliorum reſilias, quod eſt indubitatum: ſive etiam injuſtè ac perfidè, nihilominus quod etiam hoc caſu pœna Sponſalibus adjecta non debeatur. Contrarium tamen eſt valde probabile, ut docet *Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 1. n. 8.* quia tunc ceſſat ratio, ob quam pœna ſponſalibus adjecta irrita cenſenda eſt, ne libertas matrimonii impediatur: quia ſi quis nullam habeat cauſam reſiliendi à ſponſalibus, tunc nullam retinet libertatem contrahendi matrimonium, ſed pœnâ conventionali compelli debet ad contrahendum, cùm etiam poſſit per cenſuras Eccleſiaſticas compelli, juxta *c. Ex literis. 30. h. t.* & dictum ſuprà *n. 17.*

XXIV. Porro quod attinet ad pœnam impropriè dictam, quæ conſiſtit in lucro amittendo, vel non acquirendo, ſi apponatur ab ipſis contrahentibus, niſi hoc vel illud matrimonium ineatur, ut promitto tibi centum ducatos, ſi mecum matrimonium contraxeris, talis promiſſio irrita eſt, ſecundùm præſumptionem fori externi, quia promittens cenſetur, intuitu libidinis, alterum velle inducere ad matrimonium. Si verò pœna ab aliis apponatur, quàm ab ipſis contrahentibus, ut ſi Teſtator leget aliquid Annæ, ſi Petro nupſerit, illa verò Petro nolit nubere, tunc lucrum illud legari perdit, quia hæc non eſt vera pœna, ſed potiùs eſt invitatio ad certum matrimonium, & liberalis promiſſio, ſeu donatio ſub conditione cenſetur, per quam libertas matrimonii non tollitur; quia non agitur de pœna damni, cujus metu poſſet quis induci ad contrahendum matrimonium contra voluntatem, ſed ſolùm de non acquirendo lucro, per quod allicitur quis ad matrimonium, ut colligitur ex *l. Titio. 71. §. 1.* ubi dicitur, *aliud eſt enim eligendi matrimonii, pœnæ meta, libertatem auferri, aliud ad matrimonium coræ legem invitari, ff. de condit. & demonſtr. Sanch. l. 1. diſ. 33. n. 3. & 6. Laym. cit. c. 1. n. 9.* Ubi ait, quòd valeat talis promiſſio, ſi præſumptio turpitudinis ceſſat, ut ſi nomine doris, vel promiſſionis propter nuptias aliquid promiſſum videatur.

XXV. Assertio 2. Non tantùm Jure Civili, ſed etiam Canonico, intervenire poſſunt arrhæ in contractu ſponſaliorum, ſecundùm magis receptam ſententiam, quaſi pignoris loco traditæ à ſponſis, ita ut eas amittat tradens, ſi culpâ ſuâ reſiliat à ſponſalibus, adeóque matrimonium non ſequatur; eo autem ſecuto, redeunt ad tradentem, ut conſtat ex *l. Mulier. 5. C. de ſponſal.* & docet *Sanch. cit. l. 1. diſ. 36. n. 2.* Quòd ſi uterque ſponſus arrhas tradidit, & recepit, injuſtè reſiliens, & ſuas perdit, & acceptas reſtituere tenetur: ſi verò alter contrahens, ſeu ſponſa, ſeu ſponſus ſolus tradidit arrhas, & culpâ non tradentis, matrimonium non ſequatur, teneturis duplum reſtituere, id eſt, ipſas arrhas receptas, & tantundem de ſuo patrimonio, vel etiam triplum, aut quadruplum, ſi ita inter partes conventum ſit, *cit. l. pen. C. de ſponſal.* dummodo contrahens ſponſalia ſit major 25. annis, nam minor 25. annis non tenetur amplius, quàm accepit, reſtituere, *cit. l. pen. C. de ſponſal. Sanch. cit. diſ. 36. n. 7. & 9.* Quamvis autem Jure communi arrhæ à dante repeti poſſint poſt nuptias, quippe ceſſante cauſâ, ob quam datæ ſunt; ex conſuetudine tamen inter ſponſalitias donationes numerantur, *Laym. cit. c. 1. n. 8.* Cur autem ſponſalibus adjici poſſint arrhæ, non autem pœna, difficile eſt veram rationem diſcriminis reperire: imò *Laym. c. l.* aſſerit, id eſſe impoſſibile, cùm arrha etiam pœnæ rationem habeat, & quidem juſtæ, quæ non repugnat libertati matrimonii, dummodo decteta ſit in eum, qui ob culpam talem pœnam meretur: ſi autem juſtè quis reſiliat à ſponſalibus, tunc adjectio pœnæ utique irrita eſt, juxta *c. Gemma. 29. h. t.* & conſequenter etiam adjectio arrhæ.

§. V.

Virùm ſponſalia clandeſtina Jure novo ſint irrita, & quomodo transeant in matrimonium?

XXVI. Assertio 1. Non eſt neceſſarium, etiam poſt Concilium Tridentinum, ut ſponſalia de futuro

Digitized by Google

futuro coram Parocho, & teſtibus contrahantur, ſed etiam clam contracta ſunt valida, imò & licita, per ſe loquendo, *Sanch. cit. dif.* 12. *n.* 2. & alii communiter. Quia decretum Concilii Tridentini irritans matrimonium clandeſtinum eſt correctorium Juris communis, eique derogat, ac proinde ſtrictè interpretandum, neque extendendum ultra caſum expreſſum, *l. Præcipimus.* 32. *C. de appellat.* Cùm ergo ſolùm declaret irritum matrimonium clandeſtinum, non debet extendi ad ſponſalia, nam ſi intelligatur decretum Concilii Tridentini, ut non irritentur ſponſalia clandeſtina, reditur ad Jus commune, ſecundùm quod ea valida erant. Expoſitio autem, per quam redit ur ad Jus commune, favorem continet, quia vitatur correctio Juris communis, quod eſt favorabile, ergo hæc expoſitio quippe favorabilis eſt complectenda, *Sanch. c. l. n.* 1. Porro quamvis prohibito matrimonio abſolutè, ſeu omnibus modis, cenſeantur etiam hoc ipſo prohibita ſponſalia, per quæ perveniturad matrimonium: ſecus tamen eſt, ſi ſolùm prohibeatur matrimonium, ne tali modo contrahatur, ut in propoſito, ne clam ineatur: priore enim caſu, quia nullo modo poteſt contrahi matrimonium, ſponſalia eſſent promiſſio rei illicitæ, & ſic nulla. Poſteriore verò caſu non item, quia clandeſtinè contrahentes ſponſalia ſpondent, & ſe obligant ad contrahendum matrimonium, non clam, quod foret illicitum, ſed eo modo, quo præcipit Eccleſia, quæ eſt promiſſio rei licitæ, adeoque valida. Textus in ſpeciem contrarii, ut *l. Oratio.* 16. *ff. de ſponſal. l. Si quis tutor.* 60. §. *Quæm. ff. de ritu nupt.* intelligendi ſunt, quando prohibe ur matrimonium abſolutè, ut nullo modo contrahatur: vel quando eſt eadem ratio prohibitionis in matrimonio, & ſponſalibus: atqui matrimonium clandeſtinum prohibetur ad vitandum concubinatum cum ſecunda uxore, ad quam quippe publicè ductam Eccleſia cogebar, cui de priore matrimonio, quippe clam in.to, nihil conſtabat: cùm tamen revera matrimonium cum prim. validum eſſet: quod non habet locum in ſponſalibus: quibus non obſtantibus, matrimonium poſteriùs contractum eſt validum, *Sanch. c, l. n.* 2. Quòd autem ſponſalia clandeſtina ſint etiam licita, adeóque ſine peccato ſic contrahi poſſint, pater ex eo, quia nullo Jure prohibentur, nec antiquo, nec novo, quamvis decenter ſine teſte non fiant, ut notat *Tanner. cit. dub.* 1. *n.* 12. Imò conſultum eſt, teſtes adhiberi ſponſalibus, ut fides iis in externo foro habeatur.

XXVII. Assertio 2. Spectato Jure antiquo Canonico, ſponſalia de futuro, per ſecutam copulam carnalem tranſeunt in matrimonium, prout ſumitur ex *c. Venient.* 15. *& c. Is qui.* 30. *h. t.* Ubi » Papa Gregorius IX. ita reſcribit: Is, qui fidem de» dit alicui mulieri, quòd eam in uxorem ducere ve» lit, & ſi poſtea illam carnaliter cognoſcat: aliâm» que in facie Eccleſiæ ducat, ad primam, redire te» netur: quia licèt primum matrimonium præſump» ptum videatur, tamen contra talem præſumptio» nem probatio in contrarium non eſt admittenda, » Unde ſequitur, quòd matrimonium poſtea de fa» cto contractum non verum ſit matrimonium, ſed » nullum. Ratio eſt, quia Eccleſia ex carnali copu» la præſumit in ſponſis conjugalem conſenſum ad excludendum peccatum, quòd ſcilicet ſponſus & ſponſa, non fornicario, ſed affectu maritali ſe invicem cognoſcere voluerint, quia delictum non eſt præſumendum. Et eſt hæc præſumptio Juris, & de Jure, id eſt, omnino certa, & indubitata, contra quam non admittitur probatio, & conſequenter non auditur ſponſus aſſerens, ſe non cognoviſſe ſponſam affectu maritali, vel animo contrahendi matrimonium cum illa, *Covarr. in Epitome l. 4. Decret. p.* 1. *c.* 4. §. 1. *n.* 1. *&* 2. Confirmatur, quia copula carnalis ſecuta poſt ſponſalia de futuro, eſt ſufficiens ſignum conſenſûs de præſenti in matrimonium, & ſponſi per eam ſe cenſentur ſibi invicem tradere, quæ præſumptio habet locum in foro contentioſo, & judiciali tantùm, non autem in foro conſcientiæ, & pœnitentiali. Unde ſi ſponſus verè cognoviſſet ſponſam, non affectu maritali, ſed fornicario, non eſſet verum matrimonium in foro pœnitentiali, & coram DEO: quia Papa non poteſt facere, ut ſine conſenſu expreſſo, vel tacito, ſit verum matrimonium, *Hoſtienſ. hic col.* 2. *in fine, Fagnan. hic n.* 6. *&* 7.

XXVIII. Porro prædicta Conſtitutio, per quam ſponſalia tranſeunt in matrimonium, ſubſequente carnali copulâ, procedit nunc etiam in locis, in quibus decretum Concilii Tridentini *Seſſ.* 24. *de reform. matr. c.* 1. non eſt receptum. At verò ubi dictum Concilium eſt receptum, & promulgatum quoad matrimonia clandeſtina, non habent locum matrimonia præſumpta, adeoque ſponſalia de futuro per copulam ſubſecutam non tranſeunt in matrimonium, niſi per verba de præſenti, ſive per expreſſum conſenſum coram parocho, & teſtibus matrimonium iterum contrahatur, quia aliàs non poſſet conſtare Eccleſiæ de tali matrimonio, & ſic non eſt ampliùs locus diſpoſitioni *cit. c. Is qui*, ut ſæpius cenſuit S. Congreg. Cardinal. apud *Barboſ. ibid. n.* 8. *Sanch. l.* 3. *de matrim. diſ.* 40. *n.* 3. Verùm ſi à ſponſis conſenſus utrinque renovaretur, isque exprimeretur per ſignum aliquod externum, v. g. per traductionem ſponſæ in domum ſponſi, vel per ſubarrhationem ſolemniter factam, coram parocho, & teſtibus, qui advertunt, quid agatur, & quâ intentione, poſſet talis actus eſſe ſufficiens ſignum, ut ſponſalia cenſeantur tranſire in matrimonium, *Tanner. cit. dub.* 3. *n.* 43.

XXIX. Illud poſtremò hoc loco addendum; etſi poſt ſponſalia de futuro, ſi ſequatur copula carnalis, præſumatur matrimonium inter illos contractum eſſe, ut dictum, non tamen hoc præſumitur, quando copula carnalis verè non fuit ſecuta, ſed ſolùm niſus, ſeu conatus ad illam, prout ſumitur ex *c. Adoleſcens.* 32. *& ult. h. t.* Ubi Papa Gregorius IX. ita reſcribit: Adoleſcens, qui deſponſatam ſibi » per verba de futuro ſæpius niſus fuit carnaliter » cognoſcere, ſed non potuit: poſtea cum alia per » verba de præſenti contraxit matrimonium, is non » poteſt primam ducere, quia non fuit verum ma» trimonium ex forma contractûs, (ob defectum » conſenſûs per verba de præſenti) nec præſumptum » matrimonium, quia conatus ad copulam non ha» buit effectum, cùm ea non ſit perfecta, ſeu conſummata: ideóque retinere debet ſecundam, cum » qua contraxit per verba de præſenti. »

Hinc infertur, quòd conatus, ſive voluntas ſine effectu

Digitized by Google

effectu non obſit, neque conatus reputatur pro actu perfecto, *Gl. hic V. Conatus*, neque affectus punitur, niſi ſequatur effectus, *Barb. hic in Collect. n. 45.* Ubi addit, excipi delicta atrociſſima, ut crimen læſæ Majeſtatis, aſſaſſinii, ſimoniæ, veneficii &c.

XXX. Verùm deciſioni dicti *c. ult.* obſtare videtur *c. Juvenis. 3.* ſupra *h. t.* Ubi Juvenis, qui ſponſalia contraxit cum puella necdum ſeptenni, propter ſuſpicionem copulæ ſolùm attentatæ, etſi non completæ, jubetur ſeparari ab illa. Reſpondetur, per ſolum conatum ad copulam, ſine effectu, matrimonium non conſummatur, nec præſumitur contractum, etiamſi ſponſalia contraxerint, quia facto opus eſt, ſicut in furto requiritur actualis contrectatio rei. Oritur tamen ex tali conatu ad copulam impedimentum publicæ honeſtatis, ut in *cit. c. Juvenis*, propter famam, quâ exiſtimabatur eſſe ſponſa illius Juvenis: in quo attenditur non factum, ſeu effectus, ſed naturalis conſenſus, & publica honeſtas. In *c.* verò *ult. h. t.* agitur de matrimonio præſumpto, ad quod neceſſariò requiritur, ut copula carnalis non tantùm ſit attentata, ſed etiam conſummata, *Hoſtienſ. in cit. c. ult. in fine*, quæ reſponſio magis patebit ex dicendis §. *ſeq.*

§. VI.

De impedimento publicæ honeſtatis proveniente ex ſponſalibus de futuro.

Quæritur 1. Quid ſit impedimentum publicæ honeſtatis? Reſp. eſt quædam quaſi affinitas, ſeu propinquitas Jure Eccleſiaſtico introducta, proveniens ex ſponſalibus de futuro, ob publicam honeſtatem morum. Ratio eſt, quia æquum, & conſonum honeſtati eſt, ut propter inchoationem matrimonii, quæ fit per ſponſalia, prohibeatur matrimonium cum conſanguinei unius ſponſi cum altero: ita ut ſicut per matrimonium affinitas contrahitur dirimens ſubſequens mattimonium: ita ex ſponſalibus oriatur aliud vinculum conjunctionis, ſed minùs perfectum, ſimiliter dirimens mattimonium, *Sanch. l. 7. de matrim. diſ. 68. n. 1. Laym. l. 5. tract. 10. p. 4. c. 9. n. 1.*

XXXI. Quæritur 2. An ſponſalia à pubere contracta cum puella minore ſeptennio patiant publicæ honeſtatis juſtitiam? Reſp. Si major ſeptennio cum puella proxima ſeptennio, in qua malitia ſuppleat ætatem, contrahat ſponſalia de futuro, oritur juſtitia publicæ honeſtatis, uti ſumitur ex *c. Juvenis. 3. h. t.* maximè ſi carnalem copulam attentârunt, juxta intellectum Innocentii, & *Ioann. Andr. hîc.*

» Nam quidam Juvenis puellam nondum ſeptem
» annorum duxit in uxorem (de facto, non de jure)
» vel potiùs ſponſalia cum illa contraxit, & forſi-
» tan cum eadem puella tentavit, quod complere
» non potuit, ſed poſtea idem Juvenis cum illius
» puellæ conſobrina matrimonium contraxit. Re
» delatâ ad Papam Eugenium III. is mandat, ut con-
» ſobrina puellæ, quam idem juvenis poſtea duxe-
» rat in uxorem, ab illa ſeparetur. Idque tum quia
» in his, quæ dubia ſunt, quod certius exiſtimatur,
» ſervari debet: eſt autem dubium, quòd tentaverit id, quod complere non potuit, nempe an juvenis ille puellam nondum ſeptennem carnaliter cognoſcere tentaverit, ideóque hoc præſumendum eſt, tanquam certius, & ſecurius: tum propter honeſtatem Eccleſiæ: quia illa puella dicti Juvenis conjux (id eſt, ſponſa, *Gl. hic V. Conjux*) fuiſſe dicitur.

XXXII. Pro explicatione hujus *c.* notandum 1. non potuiſſe in caſu hujus *c.* juvenis, qui cum puella ſeptenni ſponſalia contraxit, & forſan tentavit illam carnaliter cognoſcere, poſtea matrimonium contrahere cum conſobrina illius, ſive filia ſororis matris ſuæ, nec cum illa permanere: idque non propter affinitatem ortam ex niſu, ſeu conatu ad copulam, quia affinitas non contrahitur, niſi ex copula carnali completa: ſed propter impedimentum publicæ honeſtatis ortæ ex ſponſalibus de futuro, quæ ibi præceſſerant; & ideo hîc dicitur, propter honeſtatem Eccleſiæ hoc impedimentum eſſe contractum. Nec obſtat, quòd ex ſponſalibus contractis ante ſeptennium non oritur publica honeſtas, quia ſponſalia ante ſeptennium inita ſunt invalida, ut infrà dicetur. Nam reſpondetur, ideo in hoc *c.* ex ſponſalibus initis cum puella nondum ſeptenni, ortum eſſe impedimentum publicæ honeſtatis, quia apparebat puellam illam eſſe propinquam ſeptennio, & in illa malitiam ſuppleſſe ætatem, ac proinde ex conſenſu præſtito in ſponſalibus validis, & ex multa cohabitatione, cum niſu ad copulam, oriebatur impedimentum publicæ honeſtatis, *Abb. hic n. 4.* & clariùs *Barboſ. in collect. num. 3. & 4.* Nam ſi priora ſponſalia juvenis inita cum puella invalida fuerunt, nihil impediebat, quin cum conſobrina ipſius validè matrimonium contrahere poſſet, non enim præſtat impedimentum, quod de jure non ſortitur effectum, *Reg. Iur. 52. in 6. Henric. Caniſ. in cit. c. 3. n. 2. h. t.* Itaque probabilior intellectus hujus *c.* eſt, quòd Juvenis ille debeat à conſobrina puellæ, quam poſteriùs duxit, ſeparari propter impedimentum publicæ honeſtatis, nam etſi dubium erat, an priora ſponſalia valida eſſent, eò quòd ex conjecturis probata non erant omnino certa: ſufficientem tamen ad ea valida cenſenda certitudinem habuerunt, quia malitia puellæ ſupplevit ætatem, quoad ſponſalia, & impedimentum ex illis conſurgens erat ſufficienter certum, ideóque matrimonium poſteriùs initum cum ejusdem conſobrina judicatum fuit nullum, *Sanch. l. 1. moral. c. 10. n. 15.*

Notandum 2. quando hîc dicitur, in his, quæ dubia ſunt, id, quod certius, & tutius exiſtimatur, tenendum eſſe, id intelligi debet, quando verè dubium eſt, ita ut intellectus neutri parti contradictionis adhæreat, ſive aſſentiatur, tunc enim debet quis eligere, quod tutius eſt, & in quo nullum peccati periculum verſatur, ut ſi quis practicè dubitet, an hîc, & nunc teneatur jejunare, teneturque jejunare, niſi dubinm deponat. Si verò quis probabiliter opinetur, ac judicet aliquid eſſe licitum, etſi ſpeculativè judicet, oppoſitum eſſe probabilius ac tutius, poteſt eligere etiam minùs tutum, & in hoc caſu tantùm conſilium eſt ſequi id, quod certius, ac tutius eſt, *Sanch. l. 2. de matr. diſ. 41. n. 9.* & alii DD. communiter. Sed hoc aliò pertinet.

XXXIII. Quæ-

Digitized by Google

XXXIII. Quæritur 3. An impedimentum licæ honeſtatis oriatur ex ſponſalibus invalidis? . hoc impedimentum, ſpectato Jure antiquo onico, oritur ex ſponſalibus contractis inter anguineos, quamvis nulla ſint, ſeu invalida, t mortuo ſponſo, non poſſit ſponſa ducere fra- ſponſi mortui, etiamſi intervenerit juramen- , prout ſumitur ex *c. Ad audientiam. 4. h.t.* Ubi hae- tur, 1. quòd cùm quidam Civis Papienſis H. vel- filiam ſuam date in matrimonium cuidam fi- orum concivis ſui L. juravit, quòd ſi ille eam, ca- quodam interveniente, haberet non poſſit, al- ri filio ipſius ex alia uxore genito, eandem ma- imonio copularet. Poſtquam verò filia H. ſpon- lia contraxit cum filio L. quidam juramento af- rmârunt, eos eſſe conſanguineos: ideóque præ- dictus H. eandem filiam ſuam date alteri filio di- li L. in uxorem voluit, prout juravit, ſed quia criptum eſt, quòd ſponſam fratris frater habere on poteſt: ideo mandat Papa Alexander III. ne ermittatur implere propoſitum ſuum (quod illi ertum fuit) ſed pœnitentiam de illicito juramen- o agere, monitione præmiſſa, per Eccleſiaſticam enſuram compellatur.

Hinc colligitur, ſpectato Jure communi Detalium, oritur impedimentum publicæ honeſta- etiam ex ſponſalibus irritis ad dirimenda ſequen- ſponſalia, & matrimoninm, dummodo non ſint ta ex defectu conſenſûs, *Covarr. in Epitom. l. 4. cret. p. 2. c. 6. §. 2. in princ. Sanch. l. 7. de matr. diſ. . n. 9.* Unde in caſu hujus cap. filia Civis H. poſt nſalia contracta cum filio Civis L. ſibi conſangui- , adeoque quæ erant irrita, non potuit matri- nialiter copulari fratri ejusdem utetino, qui ex uxore dicti L. erat genitus, ob impedimentum blicæ honeſtatis, quod contraxit cum priore filio vis L.

XXXIV. Ubi prætetea notandum, hoc impe- nentum ex invalidis ſponſalibus deſcendens, Jute mmuni Decretalium, extenditur ad quartum uſq; adum incluſivè, ita ut conſanguinei intra quartum nſanguinitatis, & affinitatis gradum, non poſſint m ſponſa matrimonium contrahere, & è conver- , prout etiam conſtat ex *c. Sponſam. 8. h.t.* Ubi di- citur: nullus conſanguineus poteſt ſibi matrimo- nio copulare ſponſam alterius, maximè ſi nubili ætati ſit proxima: quia poſtquam ſponſus & ſpon- contraxerunt ſponſalia de futuro, ſive promiſe- nt ſe mattimonium inter ſe contracturos, publica oneſtas exigit, ut unus eorum non poſſit ampliùs ntrahere matrimonium cum conſanguineo alte- as, *Vivian. in Ration. in cit. c. Sponſam. h.t.* Idque ultò fortiùs locum habet, ſi ſponſa ſit proxima nu- li ætati ſive pubertati, licèt idem ſit dicendum, ſi proxima ſeptennio, & doli capax, *Gl. hic V. Nu- li*, & patet ex *c. Juvenis. 3. h.t.* de quo ſuprà. Ne- ne obſtat *cit. c. Ad audientiam*, ubi ſolùm de fratre feſtimo, adeoque ex eo ſolùm probatur, ſponſalia alia impedire, & dirimere matrimonium ſubſe- uens ob publicam honeſtatem in primo gradu. Nam i factum ſolùm narratur, & Pontifex tantùm re- ondit ad caſum ſpecialem, de quo fuit conſultus. lem tamen eſt dicendum de aliis conſanguineis onſi uſque ad quartum gradum incluſivè. *Abb. in cit. c. Ad audientiam, n. 3. Barb. ibid. n. 5.* Idque locum habet, non tantùm ſi ſponſalia de futuro ſint nulla, ob impedimentum conſanguinitatis, de quo ibi eſt ſermo: ſed etiam ſi ſint nulla ex quovis alio impedimento Juris poſitivi, v. g. affinitatis, vel alio, quia ſatis eſt ad inducendum impedimentum publicæ honeſtatis, ut ſponſalia ſint valida de Jure naturali, & teneant ratione conſenſûs, quia Sacri Canones in inducendo impedimento publicæ honeſtatis, & juſtitiæ, magis attenderunt ad factum, quàm ad jus, quia communiter æſtimatur, inhoneſtum eſſe, ut quis habeat ſponſam conſanguinei ſui in uxorem, unde nihil mirum, ſi præſtet impedimentum etiam, quod de Jure non ſortitur effectum, *Gl. in cit. c. Ad audientiam. V. Habere non poteſt*, & *Abb. ibid. n. 7.* prout magis ex dicendis patebit.

XXXV. Quæritur 4. Utrùm ex ſponſalibus puris, & certis, etſi nullis, & an ex incertis, & conditionalibus inducatur impedimentum publicæ honeſtatis, & juſtitiæ? Reſp. De his agitur in *c. Ex Sponſalibus unic. h.t. in 6.* Ubi Bonifacius VIII. ita reſcribit: Ex ſponſalibus (de futuro) puris, ſive abſolutis, & certis, etiamſi conſanguinitatis (ſcilicet intra quartum gradum) affinitatis (in primo genere, & quarto gradu citeriore, ſeu ulteriore, *Gl. hic V. Eodem.*) Religionis (ſive ſolemnis profeſſionis præcedentis) aut alia quavis ratione ſint nulla: dummodo non ſint nulla ex defectu conſenſûs, oritur efficax impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis, ad impediendum, & dirimendum ſequentia ſponſalia, aut matrimonia, non autem ad præcedentia diſſolvendum. Quare qui ſponſalia purè, ac determinatè cum aliqua contraxit: & poſtmodum cum alia prioris conſanguinea idem fecit, vigore priorum ſponſalium (quibus per publicæ honeſtatis juſtitiam ex ſponſalibus cum ſecunda contractis inductam minimè derogatur) ad contrahendum cum prima manet obligatus. Additur in fine §. *Ille verò*: ſi quis cum aliqua ſponſalia ſub conditione contraxit, & ante conditionis eventum (ſecus ſi poſt) cum alia prioris conſanguinea per verba de præſenti contraxit, cum ſecunda remanete debet: quia ex ſponſalibus conditionalibus, ante exiſtentiam conditionis, perinde ut ex conſenſum non habentibus, & incertis, nulla publicæ honeſtatis juſtitia oritur.

XXXVI. Pro explicatione hujus c. notandum 1. impedimentum hoc publicæ honeſtatis contrahitur ſolùm cum conſanguineis alterius ſponſi, non autem cum affinibus illius, quia conjuges non prohibentur à matrimonio cum affinibus alterius conjugis, ut inſtà dicetur, ergo multò minùs ſponſi de futuro, *Franc. hic n. 3. hot. 7. Sanch. l. 7. de matr. diſ. 68. n. 3.*

Notandum 2. Ex quibusvis ſponſalibus, id eſt, cum determinata perſona initis, & abſolutis, hoc eſt, absque conditione ſuſpendente, quæ nondum eſt completa, contractis, quamvis ea irrita ſint ex quacunque cauſa, dummodo non ſint irrita ex defectu conſenſûs, ut ſi contracta ſint ab infante, vel furioſo, aut amente, qui non ſunt capaces conſenſûs, orlitur hoc impedimentum. At verò ſi ſponſalia de futuro cum aliqua inita, ſint irrita, ob impotentiam,

Digitized by Google

Ordinem ſacrum, votum ſolemne caſtitatis, vel Profeſſionis Religioſæ, aut ob aliud impedimentum dirimens, eum tamen effectum habent, ut proprii conſanguinei ſponſi uſque ad quartum gradum non poſſint validè fœminam, ſeu ſponſam illam ducere, propter impedimentum illud publicæ honeſtatis ex illis ſponſalibus irritis conſurgens, *Sanch. cit. diſ. 68. num. 5. & 6.* Ubi *n. 7.* addit, id locum habere, ſive ſponſi ſciant hoc impedimentum, ſive ignorent, quia textus in *cit. c. unic.* indiſtinctè loquitur, & quia major adeſt conſenſus, quando contrahens ſcit impedimentum, quàm quando ignorat, quia nihil magis contrarium eſt conſenſui, quàm error.

Notandum *3.* Poteſt aliquis actus eſſe nullus de Jure poſitivo, quia Jus illum annullat, ita tamen ut non ſit nullus de Jure naturali, quia ſcilicet adeſt conſenſus jure naturæ requiritus ad contractum, *Franc. hic n. 2. not. 3.*

Notandum *4.* Faciliùs tollitur actus, qui primùm futurus eſt, vel celebrandus, quàm qui jam factus eſt, & ideo impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis inducſum ex conſtitutione Eccleſiæ, licèt non tollat, aut dirimat præcedentia ſponſalia, vel matrimonium contrahendum, tollit tamen, ac dirimit ſequentia, ut habetur in *cit. c. unic. Franc. ibid. n. 4. not. 5.*

Notandum *5.* Impedimentum hoc publicæ honeſtatis ex ſponſalibus conſurgens eſt perpetuum, ſive perpetuò durat, ita ut nec poſt mortem alterius ſponſi extinguatur, *c. Si quis. 14. & c. ſeq. cauſ. 27. q. 2. & c. Sponſam. 8. h. t.* Ubi dicitur, nullum ex conſanguineis ſponſi poſſe ſponſam ejusdem matrimonio ſibi copulare, id eſt, nullus ex conſanguineis ſponſi, intra gradum prohibitum, poteſt in perpetuum matrimonium cum ſponſa inire, *Abb. in cit. c. Sponſam. n. 2. Sanch. cit. diſ. 68. n. 20. & 21.*

XXXVII. Notandum *6.* Per poſteriora ſponſalia inita cum perſona conſanguinea prioris ſponſi, aut ſponſæ, non oritur impedimentum publicæ honeſtatis dirimens priora ſponſalia, quamvis affinitas ſuperveniens diſſolvat priora ſponſalia de futuro contracta, *Gl. in cit. c. unic. V. Derogatur.* Ubi rationem reddit, quia poſteriora ſponſalia prorſus irrita ſunt, ob juſtitiam publicæ honeſtatis, ex prioribus ſponſalibus inductam, ideóque ex poſterioribus non poteſt publica honeſtas prioribus derogans conſurgere, *Franc. hic num. 6. Sanch. c. l. num. 23.*

Porro ſi poſt ſponſalia de futuro cum certa perſona, ſponſus contrahat matrimonium de præſenti cum ejus ſorore, vel alia conſanguinea in prohibito gradu, & nondum illud conſummavit, obligatur ad fidem ſervandam priori ſponſæ, matrimonium cum illa ineundo, quia matrimonium illud poſterius, quippe irritum, non inducit impedimentum publicæ honeſtatis derogans prioribus ſponſalibus, adeóque matrimonium cum priore ſponſa initum validum erit. Si verò matrimonium cum poſtetiore invalidè initum conſummaſſet, cum neutra poſſet illud validè inire: non cum priore, ob impedimentum affinitatis conſurgens ex copula cum ejus ſorore, vel alia conſanguinea in gradu prohibito habita: non cum poſteriore, propter impedimentum publicæ honeſtatis ortum ex ſponſalibus validè contractis cum ejus ſorore, vel aliâ ejus conſanguineâ in gradu prohibito, *Sanch. cit. diſ. 68. n. 24.*

Notandum *7.* Ex ſponſalibus incertis, ut ſiquis promittat ſe ducturum unam ex filiabus Titii, & illæ conſentiunt, non oritur impedimentum publicæ honeſtatis, *cit. c. unic. h. t. in 6.* Quia ſicut matrimonium debet neceſſariò iniri cum perſona certa, & determinata, ita & ſponſalia, quæ ſunt ejus initium, *Sanch. l. 1. de ſponſal. diſ. 26. num. 1. & l. 7. diſ. 69. n. 1.*

XXXVIII. Notandum *8. & ult.* ex ſponſalibus contractis cum aliqua, ſub conditione de futuro, non oritur impedimentum publicæ honeſtatis, ante impletam conditionem. Quare ſi quis contrahat ſponſalia de præſenti, vel matrimonium cum ſorore, aut alia conſanguinea prioris ſponſæ, conditione nondum extante, valet matrimonium, quia cùm conditio ſuſpendat conſenſum uſque ad eventum illius, antequam ea impleatur, ſponſalia non ſunt valida, ex defectu conſenſûs, ac proinde ex hujusmodi conditionalibus ſponſalibus non oritur impedimentum publicæ honeſtatis, *cit. c. unic. §. Ille verò. h. t. in 6.* At verò poſt eventum conditionis oritur, ut colligitur à contrario ſenſu, quia tunc ſunt ſponſalia pura, ſeu abſoluta, & habent perfectum conſenſum, *Sanch. cit. l. 7. diſ. 69. n. 2.* Id verò intelligi debet de conditione de futuro, nam ſi ſit conditio de præſenti, vel de præterito, ſtatim oritur impedimentum publicæ honeſtatis, ſi hæ conditiones veræ ſint, ut colligitur ex *cit. c. un.* ibi: *ante conditionem extantem*, quia per conditionem præſentem, vel de præterito, quando jam extat, conſenſus non ſuſpenditur, ac proinde ea ſunt vera, & abſoluta ſponſalia *Sanch. cit. diſ. 69. n. 4.* & alii apud ipſum. Quòd ſi conditio de futuro ſit impoſſibilis, aut turpis, ita tamen ut non ſit contra ſubſtantiam matrimonii, ſtatim oritur impedimentum publicæ honeſtatis, quia cùm ea conditio habeatur pro non adjecta, manent ſponſalia omnino abſoluta, *Sanch. c. l. n. 6.*

XXXIX. Cæterùm hactenus dicta proſequunt de Jure communi Decretalium, quæ per Concilium Tridentinum ſunt correcta *Seſſ. 24. c. 3. de reform. matr.* quoad duo. Primum eſt, quòd hoc impedimentum hodie tantùm oriatur ex ſponſalibus de futuro validis, ac proinde ſi ſponſalia ex quacunque cauſa invalida ſint, nullum ex iis oritur impedimentum publicæ honeſtatis, ut cenſuit etiam S. Congregatio Concilii apud *Io. Gallemart. ibid. in declarationibus n. 2.* Idque procedit, etiamſi irrita ſint, ob defectum conſenſûs interni, quia Concilium univerſaliter ſponſalia, quæ ex quacunque cauſa valida non erant, prorſus tollit. Quamvis *Sanch. cit. diſ. 68. n. 14.* dicat, Concilium intelligendum eſſe, quando ſponſalia ſunt irrita, ob defectum conſenſûs externi, non autem interni. Ubi *n. 14.* addit, ſi ſponſalia irrita ſint, ob aliud impedimentum omnino occultum, tunc in externo foro cenſebuntur eſſe valida, ſi defectus probari non poſſit, & conſequenter non producant impedimentum publicæ honeſtatis, cùm tunc ſcandalum deſit, & ratio, ob quam inductum eſt hoc impedimentum. Alterum eſt quoad gradum, nam juxta *cit.* Decretum Tridentini, ſponſalia, etiam valida, primum gradum conſanguinitatis non excedunt, tam in linea recta, quàm tranſ-

verſa.

Digitized by Google

verſa, cùm generaliter, & indiſtinctè Concilium loquatur. Quare hodie contrahens ſponſalia de futuro cum aliquo, vel aliqua, non poteſt validum matrimonium inire cum parte, vel matre, fratribus, vel ſororibus, vel filiis ſponſi alterius, vel ſponſæ: poteſt autem cum aliis conſanguineis, ſive aſcendentibus, ſive deſcendentibus, ſive collateralibus, quia omnes alii ſunt conjuncti ſponſis ultra primum gradum, quem impedimentum hoc, juxta Concilium Tridentinum, non excedit, *Sanch. cit. diſ. 28. n. 10.* An verò ex ſponſalibus de præſenti, ſive ex matrimonio rato, & non conſummato, valido, vel irrito, oriatur impedimentum publicæ honeſtatis, & ad quem gradum ſe extendat, infrà dicetur.

SECTIO II.

DE DISSOLUTIONE SPONSALIUM.

§. I.

Quas ob cauſas diſſolvi poſſint ſponſalia de futuro?

XL. Quæritur 1. An ſponſalia de futuro mutuo contrahentium conſenſu diſſolvi poſſint? Reſp. ſponſalia puberum (nam aliud eſt de ſponſalibus impuberum, de quibus *cit. ſeq.*) etiam legitimè contracta, poſſunt per mutuum ſponſorum diſſenſum dirimi, ſicut cæteri contractus, ut colligitur ex *c. Præterea. 2. h. t.* Ratio eſt, quia omnis res per quas cauſas naſcitur, per easdem diſſolvitur, *c. 2.* infrà de R. J. Et *nihil tam naturale eſt, quàm eo genere quidquam diſſolvi, quo colligatum eſt. l. Nihil. 35. ff. eod. & §. ult. Inſtit. quibus mod. toll. oblig. Obligationes, quæ conſenſu contrahuntur, contrariâ voluntate diſſolvuntur. Sanch. l. 1. de ſponſ. diſ. 52. n. 2.* Excipitur contractus matrimonii, qui ob rationem Sacramenti eſt indiſſolubilis. Idque extenditur etiam ad ſponſalia, quæ juramento ſunt firmata, quia juramentum promiſſorium appoſitum contractui tanquam acceſſorium ſequitur ejus naturam, & conditiones, *c. Quemadmodum. 25. de Iureiur.* ergo ſublatâ per mutuum contrahentium conſenſum obligatione ortâ ex contractu ſponſalium, tollitur etiam ea, quæ eſt ex juramento, & priori innitebatur, eráque confirmatoria illius: nam ſponſalibus (ſicut & aliis promiſſionibus) ineſt hæc tacita conditio, *niſi ea poſtea remiſſa*, & mutuo conſenſu ſoluta fuerint. Quare vel juramentum præſtitum eſt in favorem partis, & poteſt ejus conſenſu remitti, quis quilibet poteſt favori ſuo renunciare, juramentum autem dirigitur in Deum, tanquam in teſtem promiſſionis homini factæ, quo remittente juramentum in gratiam ſuam præſtitum, etiam Deus illud remittit. *Abb. inc. 2. n. 3. h. t. Sanch. l. 1. de ſponſal. diſ. 52. n. 6.* Vel juramentum in honorem Dei eſt præſtitum, ita tamen ut tota res promiſſa cedat in utilitatem partis, ut ſi quis intuita pietatis juret fœminæ pauperi, ſe eam in uxorem ducturum, tum Deus recipit juramentum tale in utilitatem partis, adeoque pars, cui res promiſſa eſt ſub juramento, poteſt illud remittere, ſi velit, *Abb. c. l. n. 6. Covarruv. in Epit. l. 4. Decret. p. 1. c. 5. n. 1. Sanch. cit. diſ. 52. n. 6. 7. & 8.*

XLI. Porro quod dictum eſt, mutuo conſenſu ſponſorum diſſolvi ſponſalia, *id verè tum procedit*, cùm ſponſi ſimul liberè, & mutuo conſenſu, & non coactè ſponſalia contracta diſſolvunt: nam ſi unus ex ſponſis à ſponſalibus, ſine cauſa, reſiliat, altero non conſentiente, tunc prior peccat, nec obligatione liberatur, alter tamen fit liber, ſi velit, quia prior ſponſalibus renunciavit, *Sanch. cit. diſ. 52. n. 4.* Si verò alterutra pars non ſponte, ac liberè in diſſolutionem ſponſalium conſenſit, ſed minis, terroribus, vel nimiâ alterius importunitate ducta, & quaſi coacta ab altera parte conſenſit, tunc pars ſic inducens manet in conſcientia obligata ad ſervanda ſponſalia, *Sanch. c. l. n. 3. Tanner. tom. 4. diſ. 8. q. 2. dub. 4. n. 59.*

XLII. Sed his obſtare videtur reſponſio data ab Innocentio III. in *c. Præterea. 2. h. t.* Ubi ita reſcribit: Qui de matrimonio purè, & ſine omni conditione, ſibi invicem fidem dederunt, commonendi ſunt, & modis omnibus inducendi (imò & compellendi, ſi jurârunt, *Gl. hìc V. Inducendi.*) ut fidem datam obſervent. Si autem hoc facere noluerint, non ſunt compellendi, (ſcilicet ad matrimonium contrahendum, ne deterius aliquid inde contingat) nempe ut illam quis ducat, quam odio habet: ſed ad inſtar eorum, qui ſocietatem contrahunt, fide invicem datâ, & poſtea eandem ſibi remittunt, hoc poterit in patientia tolerari.

Ex hoc c. apertè colligi videtur, remiſſionem, ſive diſſolutionem ſponſaliorum mutuo conſenſu factam eſſe nullam, & illicitam, permitti tamen, ac tolerari, vitandi pejoris exitûs cauſâ, ne quis ducat talem uxorem, quam odio habet. Reſpondent communiter DD. cum Abbate hìc n. 3. Pontificem ita reſpondiſſe, ad vitandam ſpeciem mali, quia homines vulgò putant, ſponſos, ſi reſiliant à ſponſalibus, fidem datam, vel juramentum violare, ideóque ſunt monendi, & inducendi ad ſervandam fidem, ne temerè ab illa reſiliant: reipſâ autem id malum non eſt, et ſi nolint ſervare fidem datam, ſed diſſolvere ſponſalia, Eccleſia id toletat, non ſolùm permittendo, ſed approbando tanquam licitum, *Sanch. c. l. n. 2.* Idque confirmatur ex illis verbis *cit. c. 2. in fine: Videtur, quòd inſtar eorum, qui ſocietatem, inter ſpoſitos fidei contrahunt, & poſtea ſibi eandem remittunt, hoc poſſit in patientia tolerari.* Ubi Papa concedit, ſponſalia diſſolvi poſſe, eo modo, quo ſocietas diſſolvitur, vi cujus bonorum, vel negotiationis alicujus communio ſic inſtituitur, ut ejus lucrum, & damnum ad unumquemq; communiter pertineat, *l. 1. & ſeqq. ff. pro ſocio*: ſed contractus ſocietatis mutuo conſenſu contrahentium diſſolvi poteſt, ergo etiam contractus ſponſalium: addit tamen id non facilè fieri debere, quia habet ſpeciem mali, quamvis malum non ſit.

Præterea duobus modis poteſt aliquid à jure pet patientiam tolerari: primo permittendo illud, quod per ſe quidem malum eſt: ſed permittitur ad vitandum majus malum, ut exemplum habetur de pluralitate beneficiorum in *c. Cùm jam dudum. 18. de præbend.* ſic permittuntur etiam lupanaria, ad vitanda majora mala, ut adulteria, inceſtus &c. Altero modo toleratur aliquid à jure, permittendo illud non tanquam in ſe malum comparatione majoris, ſed ac minùs conveniens propter notam inconſtan-

uæ, ſic in *cit. c. 2.* ſtatuit Pontifex, ut deteſtandæ inconſtantiæ cauſâ, ſponſi potiùs matrimonium contraherent, quàm mutato animo à ſponſalibus reſilirent ſine cauſâ, ideóque priùs monendos, & inducendos eſſe vult ad matrimonium, quàm à ſponſalibus diſcedant, *Henric. Caniſ. in cit. c. 2. n. 4. h. t.*

XLIII. Aliam reſponſionem ad prædictum cap. quæ convenientior videtur, dat *Laym. l. 5. tr. 19. p. 1. c. 2. n. 1.* Quòd Papa ibi loquatur de eo caſu, qui frequenter accidere ſolet, nempe ut unus ex ſponſis, v. g. mulier deſideret quidem fidem datam ſervare à viro, ſed is omnino recuſet, & cupiat ſponſalia remitti, ac diſſolvi, eò quòd abhorreat à muliere, tunc enim commonendus eſt, & omnibus modis inducendus, ut fidem datam obſervet, ut dicitur in *cit. c. 2.* Si verò malus exitus timeatur, & mulier non ſpontaneè, ac liberè voluntate, ſed quaſi coacta conſentiat in diſſolutionem ſponſalium, tunc vir quidem peccat, permittitur tamen ab Eccleſia, ut ſponſalia diſſolvantur, ſique non approbando, ſed tolerando, ad majora mala, ſeu incommoda vitanda. Porro conſuetudo eſt in multis Eccleſiis, ut ſi ſponſalia coram Parocho, & teſtibus ſint celebrata, non permittatur fieri eorum diſſolutio, niſi cauſa priùs ad Epiſcopum deferatur, ut notat *Laym. c. l.*

XLIV. Quæritur 2. An & qua ratione diſſolvantur ſponſalia, elapſo termino, ſeu tempore ad matrimonium contrahendum præfixo? Hæc quæſtio dependet ex interpretatione, ſeu intellectu *c. Sicut. 22. h. t.* Ubi talis caſus proponitur. Quidam „ Laurentius nomine juravit patri mulieris P. ſe „ eam ductorum, & pater viciſſim juravit, ſe ei filiam ſuam datorum in uxorem: non autem per virum, ſed per mulierem ſtetit, quominùs contrahertur. Poſt annos verò 4. vel 5. elapſos, idem „ Laurentius aliam mulierem E. per verba de præſenti deſponſavit. Conſultus ſuper hoc Pontifex Innocentius III. reſcripſit Epiſcopo cuidam, ſi „ conſtiterit, quòd idem L. priorem mulierem P. „ per verba de futuro, mulierem verò E. per verba „ de præſenti ſibi deſponſaverit, impoſitâ ei pœnitentiâ, propter ſponſalia priora de futuro jurata „ violata, matrimonium ſecundo loco contractum „ legitimum judicari debere: (niſi fortè in juramento ſuo certum terminum præfixit, intra quem duceret illam in uxorem, nec per eum ſtetit, quin ad ſtatutum terminum matrimonium conſummaret.) Quòd ſi fortè ſponſalia per verba de futuro „ cum utrâque contraxit, primum juramentum „ quippe licitè factum, ſervandum eſt, & ſuper ſecundo ei pœnitentia eſt injungenda. Si verò de „ his plenè nondum conſtet, tandiu Epiſcopus cognoſcat de cauſa, donec de ea plenius inſtruatur.

XLV. Hinc colligitur 1. Sponſalia de futuro etiam jurata diſſolvuntur per ſecunda ſponſalia cum alia contracta de præſenti, non autem per ſecunda de futuro, ut patet ex hoc cap. Sed de hoc plura infrà.

Colligitur 2. Sponſalia de futuro diſſolvuntur, lapſu termini, ſeu temporis ad matrimonium contrahendum præfixi: nam ſi unus ex ſponſis die conſtituto, ſeu condicto, matrimonium contrahere non vult, alter eſt liber à ſponſalium fide, ſeu liberè reſilire poteſt, *cit. c. Sicut. h. t.* Ex quo conſtat, alterum ſponſum eſſe liberum ab obligatione ſponſalium, quando ſine ejus culpa ſponſalia, præfixo termino, non ſunt impleta, *Covarr. in Epit. l. 4. Decret. p. 1. c. 5. n. 8. Sanch. l. 1. de Sponſal. diſ. 53. n. 1.* & alii DDo communiter.

XLVI. Ubi præterea notandum, duobus modis poteſt in ipſo contractu ſponſaliorum apponi terminus, ſive dies ad contrahendum matrimonium vel ad reſtringendam, ſive finiendam obligationem, ita ut niſi intra tale tempus, nuptiæ ſequantur, reſilire liceat. Et tunc ſi quidem per utrumque contrahentem ſtetit, quominùs nuptiæ ſequerentur intra tempus præfixum, ex parte utriuſque ſolvuntur ſponſalia; ſi verò per alterum tantùm ſtetit, hic adhuc obligatur, ne ex culpa ſua commodum referat, alter verò liber manet, ut colligitur ex *cit. c. Sicut.* ibi: *nec per eum ſtetit.* Vel tempus eſt adjectum obligationi ſponſalium, poſt ea contracta ſolùm ad ſtatuendam, ſive exequendam obligationem, nimirum ut nuptiæ tunc executioni mandari debeant, aliquin pars, per quam ſtetit, ne ſequeretur matrimonium, in culpabili morâ eſſe cenſeatur: hoc caſu, lapſu termini, ſeu temporis præfixi non diſſolvuntur ſponſalia, ſed utrique contrahenti obligatus manet. Ratio diſcriminis eſt, quia priore caſu, unica obligatio eſt, eáque non abſoluta, ſed alligata certo tempori, quo elapſo, deſinit obligatio, velut conditionis defectu: Poſteriore verò caſu, duplex eſt obligatio, una contrahendi nuptias, altera contrahendi tali tempore: ergo licèt hæc ſecunda obligatio non impleatur in ſponſalibus: manet tamen prior obligatio abſoluta, & à poſteriore independens, ut colligitur ex *L. Celſus. 23. §. 1. ff. de recept. arbitr.* ex qua patet in obligatione ſolvendi, certo tempore, duas obligationes contineri, unam ſolvendi, alteram tali termino, ſeu tempore ſolvendi, ergo ſi poſterior obligatio in ſponſalibus non ſit impleta, debet adhuc prior impleri, *Sanch. cit. diſ. 53. n. 5. & 6. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 16. Becan. p. 3. Theol. Schol. c. 43. q. 28. n. 2. 3. & 5.*

XLVII. Quæritur 3. An diſſolvantur ſponſalia de futuro propter diſceſſum, vel abſentiam ſponſi? Reſp. Si ſponſus ſe transferat in terras, ſeu Regiones longinquas, ſine licentia ſponſæ, libérum eſt ſponſæ alteri nubere, ſeu matrimonium cum alio contrahere, prout ſumitur ex *c. De illis. 5. h. t.* Nam cùm quæſitum fuiſſet ex Papa Alexandro III. quid faciendum eſſet de illis, qui juramento præſtito, promittunt ſe aliquas mulieres ducturos, & poſtea iis inſciis ſe ad alias partes, ſeu exteras terras transferunt? Reſpondet Papa, liberum eſſe mulieribus illis, ſi non eſt ampliùs in facto proceſſum (id eſt, ſi conſenſus de præſenti, vel carnis copula non interceſſit) cum aliis matrimonium inire: impoſitâ tamen ipſis pœnitentiâ ob perjurium, ſi per eas ſtetit, quominùs matrimonium ſit ſubſecutum, & conſummatum. Ratio eſt, quia ſponſus migrans in alienas terras, inſciâ ſponſâ, cenſetur renunciare ſponſalibus: rum quia nimis grave foret ſponſæ tandiu abſtinere nuptiis, nec cenſentur contrahentes ſponſalia ad hoc ſe voluiſſe obligare, niſi id expreſſerint. Idque procedit, etiamſi ſponſalia ſint juramento uttinque firmata, ut patet ex *cit. c. De illis*, ubi tamen additur, ſpon-

Digitized by Google

…nſæ de perjurio ponitentiam eſſe injungendam, …er illam ſtetit, ne matrimonium, tempore, quo …orrebat, fuerit contractum: tunc enim ſi ſpon… ob eam causam in aliam terram ſe transferat, …onſa ab ipſo liberatur, cenſetur tamen aliquo mo… causam perjurii dediſſe. *Sanch. c. l. n. 7. Laym. l. n. 15.*

XLVIII. Ubi præterea notandum 1. Si ſpon… is ſit in loco propinquo, is eſt ſpectandus à ſpon…, vel requirendus, ut intra certum tempus con…ahat matrimonium; *Covarr. cit. c. 5. n. 7. Sanch. l. 1. diſ. 54. n. 11.* Si verò ſponſus ad remotas artes ſe transferat, animo mutandi domicilium, & ine licentia ſponſæ, nec ſpes ſit brevi rediturus, um non teneatur ſponſa eum ſequi, ſed eſt libera ab ipſo, ut colligitur ex *cit. c. De illis.* ibi: *diuturnus terrarum, ſe ad partes alias transferentes*, per quæ verba ſignificari videtur mutatio domicilii. Idémque eſt, ſi intelligat ſponſa, virum eſſe vagabundum, quia eſt notabilis rerum mutatio, nec antea, ut ſupponitur, prægnita, ac proinde non cenſetur ſponſa ad hanc ſe obligaſſe. *Sanch. c. l. num. 14. Laym. cit. c. 2. n. 15.*

Notandum 2. Si ſponſus diſcedat à ſponſa, & aliò ſe conferat, etiam in terras alienas negotii conficiendi causâ, adeoque animo redeundi, ut Studioſus ſtudiorum causâ, non cenſetur tacitè renunciare ſponſalibus, ideóque exſpectandus eſt, donec redeat. *Henric. Caniſ. in cit. c. De illis. n. 1.*

Notandum 3. vel abeſt ſponſus diutiùs, ob cauſam neceſſariam, vel ob voluntariam. Si primum, tunc exſpectandus eſt, donec ceſſet juſtum ejus impedimentum, *l. 2. ff. de ſponſal.* niſi aliter conventum ſit, vel inconſtantiæ periculum ſponſæ immineat, vel alia neceſſitas contrahendi matrimonium urgeat, *Laym. c. l. num. 13.* Si ſecundum, ſcilicet ſi ſponſus abſit, ob cauſam voluntariam, eámque juſtam: tunc ſecundùm Jus Civile, exſpectandus eſt biennio, ſi intra Provinciam, juxta *l. 2. C. de ſponſal.* triennio verò, ſi extra Provinciam verſetur, juxta *l. 2. C. De repudiis.*

XLIX. Sed hîc dubitatur, utrùm prædictæ leges Civiles per Jus Canonicum ſint correctæ? Affirmat *Sanch. cit. diſ. 54. n. 6.* & alii apud ipſum, quia in *cit. c. De illis.* dicitur abſolutè, libertum eſſe mulieribus relictis, ad alia vota ſe transferre: ſi autem exſpectaredebet per triennium, non poſſet alteri liberè nubere. Sed probabiliùs negant eſſe correctas, *Silveſt. V. Sponſalia. q. 10.* in quarto caſu, *Covarr. c. l. n. 7. Henric. Caniſ. in cit. c. De illis. n. 2. Laym. c. l. n. 14.* neque enim ex *cit. c. De illis.* colligi poteſt per illud derogari legibus Civilibus; cùm ergo hæ leges per ſe juſtæ ſint, in foro Canonico, & Civili, externo & conſcientiæ obſervandæ ſunt, non enim SS. Canones dedignantur ſequi Leges Civiles, *c. 1. de novi oper. nuntiat.* quando de re aliqua nihil eſt deciſum Jure Canonico: præſertim cùm ſponſalia de futuro non ſint Sacramentum, nec alia res ſpiritualis, ſive Eccleſiaſtica. Poterit tamen Judex Eccleſiaſticus hoc tempus triennii, vel biennii reſtringere ob periculum incontinentiæ ſponſæ, vel ex alia juſta cauſa, & jubere, ut ſponſo ſignificetur, ſi non intra tale tempus redierit, ſponſam ab ipſo liberam fore, ut tradunt DD. citt. Quare cùm Jus Canonicum ſtatuit in *cit. c. De illis.* poſſe ſponſam liberè cum alio contrahere matrimonium, ob abſentiam ſponſi, id intelligi debet, exſpectato tempore legali, cùm Jus Civile in hac re non ſit correctum per Jus Canonicum. *Bonac. cit. p. 43. q. 2. n. 5.*

§. II.

An & qua ratione diſſolvantur priora ſponſalia de futuro, per ingreſſum Religionis, vel ſuſceptionem Sacri Ordinis?

L. Assertio 1. Certum eſt ſponſalia de futuro per ingreſſum Religionis approbatæ diſſolvi, ſecutâ profeſſione, quia cùm ſponſalia de præſenti, ſive matrimonium ratum per ſolemnem profeſſionem diſſolvantur, *c. Ex publico, 7. de conſenſ. conjug.* multò magis ſponſalia de futuro, *Covarr. in Epit. l. 4. Decret. p. 2. c. 5. n. 11.* Sed dubitatur 1. an ſolo ingreſſu Religionis, etiamſi profeſſio non ſit ſecuta, ſive per ingreſſum Novitiatûs ſolvantur ſponſalia? Reſp. pars in ſæculo remanens liberatur ab obligatione ſponſalium, ita ut poſſit cum alio matrimonium contrahere, tum quia Religionem ingrediens tacitè, & ipſo facto renuntiat ſponſalibus priùs initis, ſuſcipiendo ſtatum ita diſparatum: tum quia notabilis fit mutatio ex parte ejus, qui Religionem ingreditur, & probro tribueretur parti manenti in ſæculo, ſi teneretur deſerentem Religionem in matrimonium, vel uxorem recipere: & nimis durum foret, ſi deberet toto tempore Novitiatûs eum exſpectare. *Sanch. l. 1. de ſponſ. diſ. 42. n. 2.* Utrùm autem etiam ita, qui Religionem eſt ingreſſus, liberetur, major eſt controverſia? Affirmat *Sanch. c. l. n. 5.* Saltem ſi ſponſus, bonâ fide, ingrediatur, ſecus eſt, ſi dolosè, & animo iterum exeundi. Sed probabiliùs id negant *Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 3. Tanner. tom. 4. diſ. 2. dub. 4. n. 47.* Quia ingreſſus in Religionem nec ex natura ſua hoc habet, ut omnino diſſolvat ſponſalia, cùm non ſit aliquis ſtatus incompoſſibilis cum matrimonio; neque etiam id habet ex Jure poſitivo: ſicut nec diſſolvit vota ſimplicia, quæ ſuſpenſa manent: ergo egrediens Religionem, profeſſione non ſecutâ, adhuc obſtrictus manet, & cogi poteſt, ut fidem ſponſaliorum olim datam impleat, ſi ſponſus remanens in ſæculo ita voluerit, & exſpectârit, nec interim ad alia ſponſalia tranſierit.

LI. Dubitatur 2. An per votum ingredienti Religionem, ac profitendi, diſſolvantur penitus ſponſalia priùs inita, etiam jurata? Reſp. diſſolvi, adeoque talis ſponſus poteſt Religionem ingredi, non priùs contracto matrimonio, *Covarr. cit. c. 5. n. 11. Sanch. l. 1. de ſponſal. diſ. 43. n. 3. Laym. cit. c. 2. n. 4. Tanner. dub. 4. n. 48.* Ratio eſt, tum quia promiſſioni ſponſalium ineſt hæc tacita conditio, niſi promittens perfectiorem Religionis ſtatum elegerit: ergo etiam ineſt juramento, quod ſortitur naturam, & conditiones actûs, ſuper quo interponitur, *c. Quemadmodum. 25. de Jurejur.* Tum quia ſponſus licitè poteſt Religionem profiteri, ut eſt communis ſententia DD. ergo etiam licitè poteſt illam, reſciſſis ſponſalibus, vovere, vel addito juramento

Digitized by Google

mento promittere. Tum quia frustraneum omnino est contrahere matrimonium, animo ingrediendi statim Religionem, cùm hoc sit decipere partem alteram, quæ hujus animi conscia, opitler contraherè matrimonium, nec momentaneâ illi solutione revera implere juramentum. Confirmatur, sicut se habet matrimonium ratum ad sponsalia de futuro: ita proportionaliter se habet professio ad votum profitendi: sed matrimonium ratum dissolvitur per solemnem professionem, *c. Ex publico 7. de convers. conjug.* ergo etiam sponsalia dissolvuntur per votum solemniter profitendi.

Excipi debet, nisi necessitas urgeret ad ptiùs contrahendum matrimonium, quia sponsa aliàs gravem infamiam incurreret, quippe quæ spe matrimonij cognita, & forte gravida facta fuit: vel ut proles ex ea nata legitima fiat: tunc enim tenetur sponsus contrahere priùs matrimonium, & ante consummationem potest Religionem ingredi, *Sanch. cit. l. n. 4.* Neque verò tale votum ingrediendi, ac profitendi Religionem DEO gratum esse potest, neque obligat, quatenus cedit in injustum sponsæ detrimentum, *Laym. cit. l. n. 4.*

LII. Sed prædictis obstare videtur *c. Commissum. 2 & h. t.* Nam cùm quidam alicui mulieri fidem dedisset de contrahendo matrimonio, & infra biennium se per verba de præsenti illud contractuerum, juramento firmâsset: postea privatâ lege ductus ad frugem melioris vitæ transire suspiraret. Consultus Pontifex Alexander III. respondit, tutius esse ei, ut religione juramenti firmatâ, priùs matrimonium contrahat: & postea, si elegerit, ad Religionem transeat: dumodo post desponsationem carnalis copula inter eos non intervenerit.

LIII. Pro explicatione hujus c. notandum 1. ex decisione hac dubium oritur, cur Papa rescribat, mattimonium priùs contrahendum esse à sponso, quàm is Religionem ingrediatur, cùm tamen aperti juris sit, non tantùm contractis sponsalibus de futuro, sed etiam mattimonio per verba de præsenti, ante consummationem illius, per copulam carnalem, permissum esse alteri contrahentium, etiam invito altero, ingredi Religionem, *c. 2. c. Ex publico. 7. c. Ex parte. 9. de convers. conjug.* adeóque frustra, & inutiliter priùs contraheretur matrimonium à tali sponso. Aliqui respondent, quòd Pontifex hìc dicat, tutius esse servare juramentum, & primò contrahere matrimonium, non quidem ex præcepto, sed ex consilio, ob vitandum scandalum puisillorum, & propter reverentiam juramenti. Sed melior est responsio, quòd in casu hujus c. ille, qui sponsalia juramento promisit, nullum votum fecit ingrediendi Religionem, imò necdum plenè deliberavit, & secum firmiter statuit Religionem ingredi: & ex alia parte, instabat tempus, quo juramentum obligabat ad contrahendum matrimonium, ideo dixit Pontifex tutius esse, ut priùs contrahat matrimonium, ne incidat in perjurium, post elapsum biennium, & contracto matrimonio, potetit adhuc per bimestre deliberate de ingressu Religionis, ut colligitur ex illis verbis, *& postea elegerit ad Religionem migrare.* Quòd si sponsus ille jam certò constituisset ingredi Religionem, tunc non obstante juramento, potuisset eam ingredi, quia tunc omnino inutiliter contraheret matrimonium, *Sanch. cit. dis. 43. n. 5. Azor p. 1. Instit. lib. 11. c. 5. q. 4. 5. Contrahat. Canis. in cit. c. Commissum. n. 3.* Porrò quod ibid. dicitur in fine, *dummodo copula carnalis cum sponsa non intervenerit*, id ideo additum est, quia si copula intervenisset, non posset sponsus, invitâ sponsâ, Religionem ingredi, quia tunc jam censeretur matrimonium esse per copulam contractum, & consummatum, *Canis. cit. l. num. 2.*

Notandum 2. quando hìc dicitur, quòd sponsus iste, privatâ lege ductus, ad frugem melioris vitæ suspiravit transire, per privatam legem intelligitur instinctus Spiritûs S. qui in corde scribitur, & privatim quoidam movet ad religiosum statum: per publicam verò legem intelligitur lex DEI, & Ecclesiæ, sive SS. Canonum, quæ ab omnibus observanda est, juxta *c. Duæ sunt. 2. caus. 19. q. 2.* & consentit *c. Licèt. 18. de Regular.*

LIV. Dubitatur 3. An si quis non solùm sponsalia cum Virgine contraxit, sed etiam sub spe matrimonij eam corrupit, possit, ante contractum, vel consummatum matrimonium, Religionem ingredi? pr. non potest, sed tenetur eam ducere. Idémque dicendum, si copula non sit secuta, notabilem tamen famæ jacturam patiatur fœmina, quia talis, moraliter loquendo, non potest injuriam violatæ virginitatis, aut famæ aliter restaurare, ad quod tamen ex justitia obligatur, *Sanch. l. 1. de sponsal. dis. 44. n. 3. & 4. Tanner. cit. dis. 8. q. 1. dub. 4. n. 50.* Sed quid si votum Religionis à sponso emissum sit, ante sponsalia, isque postea eam corrupit, fide datâ de matrimonio contrahendo, teneturne eam ducere, non obstante voto? Duæ sunt sententiæ, una ait, teneri eum corruptam ducere, si voti ignara fuit, *Sanch. cit. l. 1. dis. 45. n. 3. Tanner. cit. l. n. 51.* Ratio est, quia votum non obligat, si res ita notabiliter sint mutatæ, ut sine magno tertij damno votum impleti non possit. Accedit, quòd qui post votum Religionis fœminam à se corruptam ducit, non absolvatur omnino à voto, sed ejus executio tantùm ad tempus differtur, quia soluto matrimonio ingredi tenetur Religionem, si adhuc idoneus sit, votum enim implere tenetur, quatenus potest, sine alterius præjudicio. Et hæc sententia speculativè est probabilis. Contraria tamen non teneri illam ducere, est communis, & in praxi recepta, teste *Laym. cit. c. 2. n. 5.* Cùm enim per votum priùs DEO jus sit quæsitum, non potest vovens, propriâ auctoritate, illud tollere, magis se alteri obligando, vel statum voto contrarium suscipiendo, sed requiritur, ut Judex, seu Prælatus Ecclesiasticus in voto dispenset, ejúsque obligationem, causâ cognitâ, relaxet, ideóque etiam vovens petere tenetur dispensationem.

LV. Assertio 2. Solvuuntur sponsalia de futuro, etiam per susceptionem Ordinis sacri, seu majoris, quia Ordo sacer, ob solemne votum castitatis ipsi annexum, reddit suscipientem incapacem matrimonij contrahendi, ergo multò magis Ordo sacer dirimit sponsalia contracta. Non autem per susceptionem Ordinum minorum dirimuntur sponsalia priùs contracta, ac proinde sponsus licitè potest ad illos promoveri, quia hi Ordines non repugnant matrimonio, nec impediunt, quò minùs sponsus eosdem licitè suscipere possit. An verò votum suscipiendi

Digitized by Google

i Ordines ſacros etiam ditimat ſponſalia priùs actæ, ita ut ſponſus licitè poſſit etiam ad ſacros nes promoveri, controverſia eſt inter DD. Af- it *Tanner. cit. dub. 4. n. 52.* Nam cùm Status Ec- iſticus dignior ſit, & ſanctior ſtatu matrimonij, que de meliori bono, non videtur per obliga- em ſponſalium, quippe quæ minoris momenti c minùs fortis, impediti debere Status Eccleſia- is. Sed probabilius eſt, per votum ſacrum Ordi- ſuſcipiendi non dirimi ſponſalia priùs contra- nec illis aſtrictum poſſe licitè promoveri ad Or- es ſacros, *Sanch. cit. l. 1. diſ. 47. n. 3.* tum quia vo- caſtitatis incluſum in Ordine ſacro, per ſe, & ex ura ſua non eſt ſolemne, ſed tantùm peracci- is, quia ex Conſtitutione Eccleſiæ habet effectum i ſolemnis, nempe ut matrimonium contractum imat: tum quia non reperitur in Jure conceſſus : effectus dirimendi ſponſalia præcedentia ſuſce- ioni Ordinis ſacri, etſi ei annexum ſit votum con- ientiæ: ſicut votum ingrediendi Religionem diri- it ſponſalia priùs contracta, ut ſuprà dictum *n. 51.* atio eſt, quia qui Ordines ſacros ſuſcipit, poſt con- acta cum aliqua ſponſalia, facit illi gravem inju- am, ac proinde non poteſt illos ſuſcipere, ſine ejus onſenſu. Cæterùm ſponſus, qui vovit ſuſcipere acros Ordines, cenſetur renunciare ſponſalibus riùs contractis, atque ita alteta pars libera eſt ab obligatione ſponſalium, *Sanch. cit. l. n. 4.* Porro an per votum ſimplex perpetuæ continentiæ diſſolvan- ur ſponſalia de futuro præcedentia votum, ſive ante vorum contracta, non conſentiunt DD. de quo infrà luo loco in *Tit. 6.* hoc libro commodiùs agetur.

§. III.

Utrùm priora ſponſalia de futuro ſolvantur per poſteriora iuramento firmata, vel per matrimonium cum alia contractum, & an etiam per ſubſequentem fornicationem?

LVI. ASSERTIO 1. Per ſponſalia poſteriora non ſolvuntur priora, etiam juramento firmata, *Sanch. l. 1. de ſponſal. diſ. 50. n. 2.* & alij apud ipſum. Ratio eſt, quia ſecunda ſponſalia, etiam jurata, ſunt invalida, cùm nemo poſſit validè rem aliquam alicui promittere, quam alteri validè obligavit, neque jutamentum eſt vinculum iniquitatis, *c. Quanto. 18. de Jurejur.* neque obligat cum præjudicio tertij, *Reg. Non eſt obligatorium. 58. de R. I. in 6.* Ex parte tamen illius, cum qua primò ſponſalia ſunt contracta, ea ſunt ſoluta, quia illa poteſt recedere, ſi velit: nam contrahens ſecunda ſponſalia eo ipſo cenſetur renunciare prioribus, *Sanch. cit. l. n. 3.*

LVII. Sed quid ſi cum poſteriore ſponſa, ignarâ priorum ſponſalium, carnalis copula ſit ſubſecuta, an non ſaltem ratione damni illati tali caſu diſſolventur priora ſponſalia? Reſp. in rigore non diſſolvi, ſed tullis ſponſus adhuc priorem ſponſam ducere debet, *Sanch. lib. 1. diſ. 49. n. 5.* quia cùm poſt Concil. Trident. ſponſalia poſteriora non tranſeant per copulam in matrimonium, ſed matrimonium præſumptum ceſſavit, ut dictum ſuprà *num. 28. h. t.* ideo non dirimuntur priora ſponſalia: neque etiam per injuriam illatam poſteriori ſponſæ aufertur jus prioris: aliud eſt in voto Religionis vel Caſtitatis, quo non obſtante, corruptor virginis tenetur eam ducere, ut docetur infrà in *tit. 16. lib. 5.* quia ex voto oritur ſolùm obligatio Religionis: ex ſponſalibus autem, cum defloratione, oritur obligatio ex juſtitia, quæ multò eſt ſtrictior. Deinde prius votum non omnino tollitur, ſed ſuſpenditur per matrimonium: at hîc prior obligatio per ſequens matrimonium omnino extinguitur. Item DEVS non vult impleri promiſſionem ſibi factam, cum damno tertij: homines autem nolunt privari ſuo jure, propter injuriam alteri illatam, *Sanch. cit. diſ. 49. n. 5.* ubi tamen *n. 6.* addit, quòd aliquando ex æquitate poſteriora ſponſalia ſervanda erunt, ut ſi corrupta grave damnum famæ pateretur: prior verò ſponſa leviter læderetur: tunc enim ſaltem ex charitate hæc teneretur conſentire in diſſolutionem ſponſalium, ad vitandum grave damnum alterius, & Judex poterit illa diſſolvere. Præterea aliquando ſponſalia priora ita diſſolvuntur per poſteriora, cum copula, ut matrimonium cum neutra iniri poſſit, ut ſi ſponſalia poſteriora cum copula habita ſunt cum cognata in primo gradu prioris ſponſæ: tunc enim cum prima ſponſa non poterit contrahi matrimonium, ob impedimentum affinitatis: neque cum ſecunda ob impedimentum publicæ honeſtatis, quod ex prioribus ſponſalibus validis ortum eſt, & primum gradum non excedit, poſt Concilium Trident. *Sanch. cit. l. n. 3.* Denique ſi aliquo caſu contingat, priora ſponſalia diſſolvi, is qui inijt ſecunda, etſi jurata, non tenetur ea poſtea, primis diſſolutis, implere, quia illa ſecunda ſponſalia, cùm initentur, erant invalida, ratione priorum ſponſalium, quibus ligatus erat contrahens: quod autem ab initio validum non fuit, tractu temporis non convaleſcit, *Reg. juris 18. in 6. & reg. 29. ff. eod.* ob quam cauſam etiam, ſi ligatus voto caſtitatis contrahat ſponſalia, etiamſi poſtea diſpenſationem voti impetret, non tenetur ad ea ſervanda, quippe quæ ab initio invalida fuerunt, *Sanch. cit. l. 1. diſ. 50. n. 6.*

LVIII. ASSERTIO 2. Sponſalia de futuro, etiam jurata, ſolvuntur per ſponſalia de præſenti, ſive per matrimonium ſubſequens validè, etſi illicitè contractum cum alia, *c. 1. De ſponſa duorum.* & habetur etiam in *c. Si inter. 31. h. t.* ubi inprimis dicitur: Si inter virum, & mulierem mutuus conſenſus interveniat, per verba de præſenti expreſſus, dicente utroque: *Ego te in meam accipio, & ego te accipio in meum*: vel per alia verba conſenſum exprimentia de præſenti: ſive juramentum ſit appoſitum, ſive non (quia juramentum non eſt de ſubſtantia matrimonij, *Gl. hîc V. Juramentum*) non licet illis poſtea ad alia vota tranſire, ſive aliud matrimonium contrahere. Quòd ſi fecerint, ſeparari debent, etſi carnalis copula ſit ſubſecuta, & primum matrimonium firmum maneat. Verùm ſi inter ipſos tantùm intervenit promiſſio ſponſalium per verba de futuro, utroque dicente: *Ego te accipiam in meam, & ego te in meum*, vel per alia ſimilia verba, etiam juramento interpoſito, tum ſi alius poſtea mulierem illam per verba de præſenti deſpon-

» ſponſaverit, matrimonium poſteriùs contractum » tenet, nec ſeparari poteſt. Debet tamen eis, ob » violatam fidem priorum ſponſalium de futuro » pœnitentia injungi. Ratio eſt, quia matrimonium etiam ratum tantùm, eſt fortius vinculum, adeòque dirimit ſponſalia priora de futuro, etiam jurata, ſi fit validum: ſi verò matrimonium ſubſequens fit irritum, obligabunt adhuc priora ſponſalia, quia non præſtat impedimentum, quod de jure non ſortitur effectum, *Reg. jur. 51. in 6.* manet tamen alter ſponſus liber à ſponſalium fide, ſi in matrimonium cum alia non conſenſit, ſed tunc alter ſponſus volens contrahere cum alia matrimonium, cenſetur tacitè prioribus ſponſalibus renunciâſſe, *Sanch. l. 1. dif. 48. n. 1.*

Ex hoc c. colligi videtur, quòd in contractu matrimonii vir priùs interrogari debeat, an conſentiat, quàm mulier: ſed hoc non eſt neceſſarium, nam in quibuſdam locis priùs interrogatur mulier: idque non ſine ratione, ne ſi fortè vir primò interrogatus conſentiat, & mulier poſtea nolit, non ſine dedecore viri, ut notavit *Abb. hîc n. 3.*

LIX. Porro hîc dubium oritur, utrùm per ſubſequens matrimonium validum omnino extinguatur obligatio priorum ſponſalium: an verò ſolùm ſuſpendatur, ita ut ſi uxor, cum qua contra fidem priorum ſponſalium, matrimonium contraxit Titius, moriatur ante ſponſam primam, nec ſupervenit novum impedimentum, an, inquam, Titius adhuc obligatus ſit illam ducere, vi priorum ſponſalium, ſi illa velit? Cenſent aliqui ſolùm ſuſpendi, ſed probabilius eſt, illa omnino extingui, ut docet *Sanch. cit. dif. 48. n. 3. Laym. cit. c. 2. n. 12. Tanner. cit dif. 8. q. 1. dub. 4. n. 56. & 57.* & alii: & ſatis colligitur ex *cit. c. Si inter. h. t. & c. 1. De ſponſa duorum. & c. ult. cauſ. 27. q. 2.* Ex quibus conſtat, quòd ſponſalia per matrimonium cum alia contractum ſolvuntur, adeòque omnino extinguuntur, & non tantùm ſuſpenduntur: obligatio autem ſemel extincta amplius non reviviſcit, *c. Quæris. 129. dif. 4. de conſecr. l. Quires. 98. §. Æream. ff. de ſolution.* Confirmatur, quia cùm ſponſalia, & matrimonium ſint obligationes ejuſdem rationis, & ordinis, quippe utraque ex juſtitia, & utraque facta homini, prior obligatio extinguitur per fortiorem ſupervenientem: ſicut votum ſtrictioris Religionis omnino extinguitur per profeſſionem ſecutam in ordine laxiore, juxta *c. 5. de Regular. in 6.* Nec refert, quòd per ſubſequens matrimonium non diſſolvitur prius votum ſimplex ingrediendæ Religionis, ſed ſuſpenditur, durante matrimonio: nam votum, & matrimonium ſunt obligationes diverſæ rationis, una enim ſit DEO, altera homini. Tenetur tamen Titius compenſare damnũ primæ ſponſæ, quod illi intulit, violando fidem ſponſalium: imò ſi illam ſub matrimonii ſpe violâſſet, teneretur illam, ſoluto matrimonio, ducere, niſi jam aliunde damno effet ſatisfactum, quod tamen vix aliâ ratione fieri poteſt, quàm ducendo illam, *Sanch. cit. l. n. 5. Laym. cit. l.*

LX. ASSERTIO 3. Solvuntur ſponſalia etiam jurata per ſequentem fornicationem tam ſponſi, quàm ſponſæ, ita ut innocens jus habeat ea reſcindendi, non autem nocens, ne ex iniquitate ſua commodum ferat, prout ſtatuitur *in c. Quemadmodum, 25. de jurejur.* quòd quamvis de fornicatione ſponſæ ſolùm loquatur, rationes tamen ibidem allatæ etiam in fornicatione ſponſi locum habent: nam & in promiſſione ſponſi talis debet conditio intelligi, ſi is contra tenuam deſponſationis non venerit, alioqui enim etiam ipſi fidem frangenti fides ſervanda non eſſet: deinde non tantùm ob fornicationem uxoris, ſed etiam matiti coniugium contractum diſſolvitur quoad torum, ergo multò magis ſponſalia. Idemque dicendum de fornicatione ſpirituali, ut ſi alteruter ſponſus in hæreſin incidat; ſit enim valde notabilis mutatio, per quam grave vitium indncitur in comparte, *Sanch. l. 1. dif. 55. n. 1. & 3.*

LXI. Ubi præterea notandum, quamvis quoad actualem fornicationem, vir & fœmina æquali jure gaudeant, aſſignantur tamen quædam diſcrimina inter ſponſum, & ſponſam communiter ab Auctoribus: Nam 1. Si ſponſa permittat ſe turpiter tangi ab aliis, licet ſponſo reſilire, quia illa cenſetur vivere impudicè, nec poteſt vir eam, ſine gravi nota, ducere. Contrà verò non id permittitur ſponſæ, ob oſculà, vel tactus impudicos ſponſi cum alia, quia per hoc non redditur vir ita infamis, nec id eſt dedecus ſponſæ: niſi eiuſmodi tactus eſſent frequentes, ita ut indicarent ſponſum alteram magis amare, aut fidem ſponſæ non ſervaturum, *Sanch. cit. dif. 55. n. 5. Laym. cit. c. 2. n. 11.* Secundò ſi ſponſa ab alio vi oppreſſa ſit, poteſt repudiari, & diſſolvi poſſunt ſponſalia, quia & hoc caſu ſponſa multò ſit vilior, & cenſetur viro infame talem ducere: & periculo exponitur, ne alienam prolem pro ſua alat: contrà verò ob viri omnino inviti culpæq; expertis fornicationem non ſolvuntur ſponſalia, quia fœmina per hoc nullam gravem incurrit notam, vel damnum: quare vir, & fœmina quoad fornicationem ad paria judicantur, quando fornicatio ex parte viri eſt culpabilis: non autem ſi ſit inculpabilis, *Sanch. cit. dif. 55. n. 8. Laym. cit. c. 2. n. 11.*

LXII. Tertiò quando ſponſa corrupta fuit ab alio, ante ſponſalia, ſi ſponſus id ignorabat, exiſtimans eam eſſe Virginem, poteſt reſcindere ſponſalia. Ratio eſt, quia eſt notabilis mutatio, & ignominioſum eſt viro fœminam corruptam ducere: quare ſponſus graviter decipitur, & tantùm per errorem conſentit dantem cauſam contractui, ideòque is reſcindi poteſt à decepto, *Sanch. l. 1. dif. 63. n. 3.* qui *n. 5.* idem ait eſſe dicendum, ſi ſponſus ſciebat quidem ſponſam eſſe viduam, ignorabat tamen eius fornicationem, nam & ratione eius ipſa facta eſt vilis & impudica, & probroſum eſt viro ducere inhoneſtam, quam ipſe putabat eſſe viduam honeſtam. Nec dictis obſtat, quòd in *cit. c. Quemadmodum.* dicitur, quòd ſponſus non poteſt obiicere ſponſæ fornicationem præcedentem, ſed ſubſequentem, non obſtante juramento eam ducendi: nam hoc intelligendum eſt de fornicatione præcedente ſponſo cognitâ, quia ex quo probavit ſemel mores illius, non poteſt poſtea illos reprobare, niſi novâ cauſâ ſuperveniente, *Gl. ibid. V. Præcedentem. Sanch. cit. dif. 63. n. 7.* Contrà verò ob fornicationem ſponſi præcedentem ſponſalia, & poſtea ſponſæ cognitam, non poteſt reſilire ſponſa, quia per hoc non fit ſponſus notabiliter vilior, nec notâ gravi afficitur ſponſa, ſi tali nubat, tegulariter loquendo, *Sanch. cit. l. n. 9.*

Quarto

Quartò denique ſi ambo tam vir, quàm fœmina, ſponſalia fuerint fornicati, non compenſatur ctum cum delicto, ſed reſilire poteſt ſponſus, non ſponſa. *Sanch. l. 1. diſ. 55. n. 9. Laym. cit. c. 2.* 1. & alii communiter. Ratio eſt, quia delicta non t paria; ſed turpior eſt fornicatio in fœmina, im in viro, multòque ignominioſius eſt ſponſo em ducere, quàm ſponſæ tali nubere, maiúsque nnum ſponſo obvenire poterit ex fornicatione nſæ, ob incertitudinem prolis ſecuturæ. Nec re:, quòd vir non poſſit repudiare adulteram, ſi & e adulter ſit: quia longè difficilius permittitur libertium; ſeu ſeparatio matrimonii, quoad torum, iàm diſſolutio ſponſalium, quæ ob quamvis notalem rerũ mutationem fieri poteſt, ut mox dicetur.

§. IV.

An, & qua ratione præterea diſſolvantur ſponſalia, ob ſupervenientem notabilem mutationem, ex parte ſponſi, vel ſponſæ?

LXIII. Assertio 1. Solvuntur præterea ſponſalia, propter quamlibet novam cauſam rationabilem, vel mutationem notabilem ſupervenientem poſt contracta ſponſalia, ob quam notabiliter difficilior redditur ſtatus matrimonii, ſive quæ talem difficultatem inducit, propter quam aliquis merìtò, prudentum judicio, & approbatione, ſi ab initio extitiſſet, vel cognita fuiſſet, ab eiuſmodi ſponſalium contractu abſtinuiſſet, ut colligitur ex *cit. c. Quemadmodum. 25. de iurejur.* & docet *Silveſt. V. Sponſalia. q. 10. caſu 17. Sanch. cit. l. 1. diſp. 62. n. 3. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 18. Tanner. cit. dub. 4. n. 69.* & alii communiter. Ratio eſt, quia promiſſio non obligat ultra promittentis intentionem; nemo autem præſumitur ſe obligare voluiſſe ad talem caſum difficilem, propter quem prævìſum, quivis homo prudens, & cordatus à matrimonii promiſſione abſterritus fuiſſet. Et cùm par ſit, quoad hoc, utriúsque contrahentis conditio, nulla pars poteſt conqueri eiuſmodi caſum excipi. Et extenditur hoc etiam ad ſponſalia jutata, quia juramentum includit omnes conditiones contractûs, cui adjicitur. *l. fin. C. de non numer. pecun.* & habet hanc conditionem tacitè ſubintellectam, *rebus in eodem ſtatu permanentibus, cit. c. Quemadmodum. Sanch. cit. diſ. 62. n. 4.* ac proinde non eſt opus tali caſu relaxationem juramenti petere, *Sanch. cit. l. 1. diſ. 67. n. 2. & 3.*

Porrò ſponſo, vel ſponſæ aſſerenti, ſi ralie cauſa à principio extitiſſet, ſe non contractum fuiſſe ſponſalia, fides in utroque foro adhibenda eſt, ſi perpenſis circumſtantiis rei, veriſimile ſit non promiſſurum, ſi talis cauſa præcognita fuiſſet, *Sanch. cit. diſ. 62. n. 6. Laym. cit. l.* quia in his, quæ ad animum pertinent, ut ſunt ſcientia, ignorantia, intentio &c. ſtandum eſt cujusque juramento, ſi alio modo probari non poſſint, ut docet *Covarr. l. 2. reſol. c. 10. n. 1. §. Tertio.*

LXIV. Assertio 2. In ſpecie autem mutationes ejusmodi notabiles, ob quas à ſponſalibus recedere licet, plures numerantur à Doctoribus. Veluti 1. Si ſponſus, vel ſponſa amittat naſum, utrumque, vel ſaltem alterũ oculũ, vel aliàs fiat notabiliter deformis, *cit. c. Quemadmodum. 25. de jurejur.* quamvis in viris valde magna debeat eſſe deformitas ſuperveniens, ut propter illam ſponſæ reſilire liceat à ſponſalibus, quia in viris non ita requiritur pulchritudo, ut notat *Coning. de Sacram. diſ. 13. dub. 7. n. 66.* Secundò ſi alteruter incurrat lepra, morbũ gallicum, paralyſin, epilepſiam, vel alium morbum incurabilem, aut contagioſum, nemo enim habenter cum talibus contraheret; *Sanch. cit. l. 1. diſ. 57. n. 1. & ſeqq.* Tertiò ſi alteruter incurrat graven infamiam: vel ſi de novo deteratur. alterum eſſe lævis, & truculentis moribus, vel valde deditum ebrietati, ſcortationibus, aut ſimilibus gravibus vitiis: lævitia enim mariti eſt ſufficiens cauſa inſtituendi divortium matrimonii, *c. Litteras. 13. in fine de reſtit. ſpoliat.* ergo multò magis diſſolvit ſponſalia. Nec obſtat, quòd in *c. Veniens. 5. Qui Clerici, vel voventes &c.* dicitur, mulierem, quæ plura audierat de ſponſi ſeverìtate, ideóque ei noluit copulari, fidem violaſſe. Nam ibi ſupponitur, mulierem id non certò cognoviſſe, ſed incertò ſolùm rumore audiviſſe, & nimis leviter credidiſſe. *Tanner. cit. dub. 4. n. 66.* Quartò, ſi alteruter ex ſponſis gravem famæ, vel bonorum jacturam pariatur, & ex honeſto ſtatu ad paupertatem decidat: ſecus eſt, ſi unus ex ſponſis ditior fiat, novam hæreditatem acquirendo, quia per hoc alter non eſt factus deterioris conditionis, *Sanch. cit. l. 1. diſ. 59. n. 6. & 7.* Quintò, ſi ſponſa, ejúsque parentes, vel non poſſint, vel non velint dare promiſſam dotem, quia ſub illius conditione cenſentur ſponſalia contracta, *c. De illis. 3. de condition. appoſ.* Nam grave onus ſubiret ſponſus, ſi deberet ducere indotatam, & ſolus onera matrimonii ex propriis bonis ſuſtinere, *Sanch. cit. l. 1. diſ. 59. n. 2.* Idémque eſt, ſi ſponſalia ſint inita, ſine mentione dotis, intelligunturque enim, eo caſu, tacitè inita ſub conditione dotis, *Sanch. cit. l. n. 4.* Sextò, ſi graves, & capitales inimicitiæ oriantur inter ſponſos, aut eorum parentes, & conſanguineos, quia v.g. altera pars ſe obſtinatè opponit matrimonio, ita ut ex eò magna ſcandala, & infelices exitus timeantur; & ratio eſt, quia promiſſio non poteſt obligare ad actum, qui ſine peccato impleri non poteſt, *Tanner. cit. l. n. 67.* Item ſi ſponſus domicilium mutare, & vagari conſtituat, cum incommodo ſponſæ, *Laym. cit. c. 2. n. 18.*

LXV. Cæterùm prædictæ cauſæ, & mutationes, non ſolùm, ſi poſt ſponſalia, ſed etiam ſi ante illa inita extiterint, tamen erant ab altero ex contrahente probabiliter ignoratæ, iis poſtea cognitis, dant illi jus reſcindendi ſponſalia: quia enim tempore ſponſaliorum vitium non apparebat, perinde erat, ac ſi non eſſet, nam paria cenſentur in Jure non eſſe, & non apparere, *L. In lege. 77. ff. de contrah. empt.* quando verò poſtea apparere incipit, perinde eſt, ac ſi de novo exiſtat, *Sanch. cit. l. 1. diſ. 63. n. 2.* Quòd ſi tamen ſponſus, cognitâ ejusmodi causâ, carnaliter ſponſam cognoſcat, cenſetur remittere jus reſcindendi ſponſalia, quod alioqui habebat, ratione cauſæ præcedentis ignoratæ, vel ſubſequentis, ſi illius cauſæ, tempore copulæ, erat conſcius, & ſponſalia ratificare, *Sanch. cit. l. diſ. 66. n. 2.* Sed difficultas eſt, utrùm ad diſſolvenda ſponſalia, ob hactenùs allatas

causas, opus sit sententiâ Judicis: an verò propriâ auctoritate possint contrahentes à sponsalibus resilire? Resp. Non esse opus auctoritate Judicis, quando causa dissolvendi sponsalia est moraliter certa, & manifesta: si tamen certa quidem sit, sed occulta, & sponsalia publica, requiritur sententia Judicis solventis sponsalia, vel declarantis ea per hujusmodi causam esse soluta, idque ratione scandali vitandi, sicut etiam requiritur, si causa sit dubia: quòd si cōstat de causa, dubitatur verò de sufficientia, potest quis sequi etiam viri docti, & prudentis judicium. *Sanch. dis. 69. num. 3. & seqq.* Judex autem, cujus auctoritate sponsalia sunt dissolvenda, est solus Ecclesiasticus, Ordinarius, vel delegatus, quia hæc materia est spiritualis, *Sanch. c. l. n. 10.*

Denique dissolvuntur sponsalia per superveniens impedimentum juris dirimens matrimonium, propter quod illud non potest inter sponsos consistere, *Sanch. c. l. dis. 56. n. 1.* de quibus infrà agetur.

SECTIO III.

DE MATRIMONIO SECUNDùm se, ejúsque essentia.

LXVI. Quatuor præcipuè sunt nomina synonyma, quæ matrimonio conveniunt, matrimonium, nuptiæ, connubium, conjugium. Matrimonium dicitur, vel quia mulier nubit, ut mater fiat: vel quia partus magis onerosus, & laboriosus est matri, quàm patri. Nuptiæ, seu connubium ab obnubendo, quia sponsæ, pudoris gratiâ, quando nubebant, velo se quasi nube tegebant: dicitur etiam conjugium ab effectu, quia duos, ut una caro fiant, conjungit, quasi sub uno jugo.

§. I.

Quid sit matrimonium, & quotuplex?

LXVII. Assertio 1. *Matrimonium est maris, & fœminæ conjunctio, individuam vitæ consuetudinem retinens.* Ita definitur in *c. Illud. 11. §. Verùm de præsumpt. & l. 1. ff. de ritu nupt. & Instit. de patria potest. in princ.* Dicitur 1. *Conjunctio*, quia matrimonium dupliciter accipi potest, 1. pro actuali contractu, in quo legitimæ personæ, consensu verbis, vel signis expresso, se mutuò obligant ad vitæ societatem, & generationis usum. 2. Pro statu, seu vinculo permanente inter virum, & fœminam. Jam ergo matrimonii essentia non consistit in contractu, qui est tantùm causa efficiens, & transit, postquam est factus, cùm tamen matrimonium formaliter spectatum per modum statûs, duret usque ad mortem alterius conjugis: sed consistit in hujusmodi vinculo permanente, quo conjuges sunt inter se uniti, quod oritur ex mutuo consensu, & traditione, *Sanch. l. 2. de matr. dis. 1. n. 6.* Dicitur 2. *Maris, & fœminæ*, quia repugnat fini matrimonii polygamia, sive ut una fœmina plures habeat viros, vel unus vir simul plures uxores: ut infrà dicetur. Dicitur 3. *Individuam vitæ &c.* ut exprimatur mutua cohabitatio, & indissolubilitas matrimonii, quæ major est, quàm in aliis humanis contractibus, qui mutuo consensu iterum dissolvi possunt, non item matrimonii, de quo plura *§. seq.*

LXVIII. Assertio 2. Matrimonium dividitur in legitimum, ratum & consummatum. Legitimum est, quod legitimo consensu inter personas non impeditas est contractum, quale est etiam inter infideles, quod est verum matrimonium, non tamen ratum, ut dicitur *in c. Quanto. 7. de divort.* Ubi *Gl.* ait *Ratum*, quia dissolvi potest. Matrimonium ratum dicitur, quod est legitimum, & insuper etiam Sacramentum, sed nondum carnali copulâ consummatum: matrimonium consummatum dicitur, quod accedente carnis copulâ, est perfectum, & completum, *Sanch. l. 2. de matr. dis. 1. n. 9.* Quare ad substantiam matrimonii non requiritur, ut sit per copulam carnis consummatum, quia *nuptias non concubitus, sed consensus facit, Reg. Jur. 31. in ff. & in c. 1. & 4. caus. 27. q. 2.* dicitur, *matrimonium non facit coitus, sed voluntas.* Per copulam tamen carnis completur, & integratur matrimonium inter fideles, seu baptizatos contractum, ita ut inagis indissolubile fiat, ut ex infrà dicendis patebit.

LXIX. Sed jam hîc ulteriùs quæritur, an saltem consensus in carnalem copulam requisitus ad essentiam veri matrimonii. Ratio dubitandi est, quia inter B. Virginem, & S. Josephum fuit verum matrimonium contractum ex communiore sententia DD. ut colligitur ex *c. 1. Math. Noli timere accipere Mariam Conjugem tuam, & Luc. 2. Ut profiteretur eum desponsata sibi uxore prægnante.* Sed B. Virgo non consensit in carnalem copulam, quia cùm fuerit obstricta voto castitatis, teste *S. Augustin. libr. de Virgin.* & colligitur ex illis verbis Mariæ, *Luc. 2. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco*, vel saltem habuit propositum servandi votum Virginitatis, *c. Beata. 3. caus. 27. q. 2.* non potuit consentire in carnalem copulam, quia ut dicitur in *c. 4. dis. 27.* Virginitatem voventibus, non tantùm nubere, sed etiam nubere velle damnabile est, ergo est illis prohibitus etiam consensus in copulam, adeoque hic non requiritur ad substantiam matrimonii. Respondetur, contrahentes matrimonium necessariò consentiunt in copulam conjugalem implicitè, & remotè, ac virtualiter, seu in radice, & causa, consentiendo videlicet in matrimonium, quod intrinsecè ordinatur ad copulam, adeoque quatenus contrahentes consentiunt in mutuam corporum traditionem, per quam cuivis parti acquiritur jus ad copulam: non autem necessariò requiritur talis consensus in copulam, ex parte contrahentium, cùm possit contrahi matrimonium verum, etiam cum intentione non consentiendi expresè in copulam, quia sufficit ad matrimonium expresè consentire in jus, sive potestatem ad carnalem copulam, implicitè autem, & virtualiter in ipsam copulam, *Sanch. l. 2. de matr. dis. 28. n. 3. & 4.* Itaque B. Virgo consensit in copulam carnis, quoad potestatem, seu actum primum, non autem consensit, quoad actum secundum, seu actualem usum illius potestatis: nam quamvis Virgo Sanctissima, vi contractûs mattimonialis cum Josepho verè initi, obligara fuerit ad reddendum debitum carnis, si ille id peteret: ex altera tamen parte, revelante Deo, certò cognovit, ipsum nun-

nunquam debitum petiturum: ac proinde quia ſecura fuit, ſe nunquam votum ſuum violaturam, Deo ita volente, ac præcipiente, in conjugium conſenſit, ſed non in actualem copulam carnis expreſsè, ac directè, *Laym. l. 5. tract. 10. p. 2. c. 1, n. 3.* Ratio eſt, quia ſicut carnalis copula non eſt de eſſentia matrimonii: nam nuptias non concubitus, ſed conſenſus facit, *l. Nuptiæ. 30. ff. de R. I.* ita nec conſenſus matrimonialis expreſsè, & formaliter pro objecto habet ipſam copulam, ſed ſolùm obligationem ad eandem in confuſo conceptam, ſive ad officium conjugale, *Tanner. cit. diſ. 8. q. 3. dub. 2, n. 12.* Nec obſtat, quòd ſi mulier diceret viro, conſentio in te, ita tamen ut carnaliter me non cognoſcas, adeoque expreſsè excluderet copulam, tale matrimonium eſſet invalidum: nam talis conditio adjecta, non ſolùm repugnat actui, ſed etiam poteſtati ad carnalem copulam, & ideo eſt contraria matrimonio, illúdque irritum redditur, ut docet *S. Thom. 3. p. in ſupplem. q. 48. a. 1. ad 3. Tanner. c. l. n. 13.*

§. II.

De matrimonio, quatenus eſt Sacramentum.

LXX. Quæritur 1. An matrimonium ſit verum Sacramentum? Reſp. 1. matrimonium, in lege naturæ, & Veteri Moſaica, non fuit Sacramentum, ſed contractus naturalis, *Sanch. l. 2. de matr. diſ. 7. n. 2.* & eſt communis. Probatur, quia matrimonium eſt Sacramentum novæ legis à Chriſto inſtitutum, ut infrà dicetur: poteſt tamen dici fuiſſe Sacramentum latè, & impropriè loquendo, quia fuit ſignum rei ſacræ, & aliquo modo figurabat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, *Sanch. c. 1.*

LXXI. Reſp. 2. Quamvis poſt legem Evangelicam matrimonium inter infideles contractum non ſit Sacramentum, cùm nullum ſubſiſtat Sacramentum ſine Baptiſmo, qui eſt Sacramentorum janua, ut definivit Concilium Tridentinum in Decreto de Sacramento Baptiſmi: ſi tamen ambo conjuges ad fidem convertantur, tale matrimonium efficitur Sacramentum ſtatim, ac ambo conjuges baptizantur, ut ex probabiliore ſententia docet *Sanch. cit l. 2. diſ. 9. n. 5.* & alii apud *Tanner. cit. diſ. 8. q. 2. dub. 3. n. 51.* Ratio eſt, quia matrimonium illud infidelium, ſtatim atque conjuges iſti baptizantur, fit, manétque indiſſolubile, quia jam perfectè ſignificat individuam conjunctionem Chriſti cum Eccleſia ſponſa, ideóque ſtatim ac baptizantur, efficitur Sacramentum, ita ut diſſolvi non poſſit, etiamſi alter, vel uterque poſtea à fide deficiat. Neque verò in propoſito, deeſt ſufficiens conſenſus matrimonialis: nam eo ipſo, quòd baptizantur, virtualiter, & implicitè conſentiunt in matrimonium præcedens, ut ſit inſolubile, & perfectè ſignificet conjunctionem Chriſti cum Eccleſia: hæc enim inſolubilitas quaſi ex natura rei conſequitur ad baptiſmum, unde eo ipſo, quòd intendunt baptizari, virtualiter, & implicitè intendunt etiam, ut præteritum matrimonium ſit inſolubile, adeoque etiam Sacramentum. Et hic ipſe novus conſenſus eo ſigno externo baptiſmi expreſſus, eſt nova materia, & nova forma hujus Sacramenti. Et quamvis aliàs ad matrimonium de novo contrahendum inter eos, qui antea nunquam conjuges fuerunt, non ſufficiat ejusmodi conſenſus implicitus, & interpretativus in ipſa ſuſceptione Baptiſmi incluſus: ſufficit tamen ad matrimonium iſtud, quod non eſt omnino novum quoad ſubſtantiam, ſed ſolùm quaſi novum in ratione Sacramenti, & indiſſolubilitatis, quia ſcilicet prius matrimonium, quod erat contractus naturalis, profanus, & ſolubilis, poſt Baptiſmum efficitur inſolubilis, facet, & repræſentans unionem Chriſti cum Eccleſia, *Sanch. cit. diſ. 9. n. 6. Tanner. cit. dub. 3. n. 54.* Porro matrimonium fidelis ex diſpenſatione S. Pontificis contractum cum catechumena nondum baptizata, ex parte neutrius eſt Sacramentum. Ratio eſt, quia matrimonium in utroque conjuge baptizato, & non baptizato eſt unum numero Sacramentum, ſicut eſt unus numero contractus: ergo ſi in uno non eſt Sacramentum, nec in altero erit, adeoque uterque conjux debet eſſe capax Sacramenti, *Sanch. cit. l. 2. diſ. 8. n. 2. Laym. l. 5. tr. 10. p. 2. c. 2. n. 1.*

LXXII. Reſpondetur 3. Matrimonium inter fideles, ſeu baptizatos eſt verè, ac propriè dictum Sacramentum novæ legis à Chriſto inſtitutum. Eſt de fide, ac definitum in Concilio Tridentino *Seſſ. 24. de Sacram. matr. can. 1.* contra Lutheranos, & alios Sectarios. Probatur 1. Ex Apoſtolo ad *Epheſ. 5.* Ubi expreſsè matrimonium appellatur Sacramentum: cùm enim dixiſſet Apoſtolus: *propter hoc relinquet homo patrem, & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ* (per conjunctionem matrimonialem) *& erunt duo in carne una*, ſubjungit, *Sacramentum hoc magnum eſt; ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia*, quia ſcilicet per matrimonium ſignificatur conjunctio Chriſti ſpiritualis per gratiam, & charitatem cum Eccleſia, conſequenter Deus inſtituit, ut matrimonium contrahentibus ſpiritualis gratia conferretur, ſine qua recta, ac debita conjunctio animarum inter conjuges conſiſtere non poteſt. Eſt ergo matrimonium Sacramentum, quia eſt ſignum rei ſacræ, eſt enim expreſſum, & viſibile ſignum unionis Chriſti cum ſponſa Eccleſia per charitatem, & confert gratiam, ut habetur in *cit. can. 1.* Idque confirmatur, quia cùm matrimonium ex Chriſti lege *Matthæ. 5. & 19.* ſit vinculum perpetuum, & indiſſolubile permanendi cum conjuge ſterili, morbida &c. eſſet hoc jugum intolerabile, niſi idem Chriſtus promiſſionem gratiæ Divinæ annexuiſſet ad onera matrimonii ſuſtinenda, concupiſcentiæ ardorem extinguendum, liberos piè educandos &c. Deus autem in neceſſariis non deficit, *Sanch. cit. l. 2. diſ. 10. n. 2. Tanner. c. l. n. 21.* Non obſtar, quòd Eccleſia poſſit irritare matrimonium, & ramen Sacramentum irritare non poteſt, nam irritat matrimonium v. g. clandeſtinum, quatenus eſt civilis contractus, quo irritato, deſinit etiam Sacramentum ei annexum: ſicut irritat Eccleſia etiam Sacramentum pœnitentiæ, tollendo jurisdictionem neceſſariam ad abſolutionem à peccatis.

LXXIII. Potro quod attinet ad tempus, quo inſtitutum eſt hoc Sacramentum, de eo non ſatis conſtat; aliqui putant *Joan. 2.* in nuptiis factis in Cana Galilææ approbatum fuiſſe; inſtitutum autem *Matth. c. 19.* dum Chriſtus illud approbavit, ejúsque

ejúsque inſeparabilitátem præcepit, dicens: *quod Deus conjunxit, homo non ſeparet, Sanch. cit. l. 2. diſ. 4. n. 5.* & alii apud ipſum: *Tanner.* verò *cit. diſ. 8. q. 2. dub. 2. n. 26.* exiſtimat, inſtitutum tempore XL. dierum, quibus Chriſtus, poſt paſſionem ſuam, præbuit ſe ipſum vivum Apoſtolis, & loquens de Regno DEI, hoc eſt, de pertinentibus ad ſtatum Eccleſiæ, *Actor. 1.*

LXXIV. Reſp. 4. Matrimonium inter fideles, & baptizatos nunquam poteſt iniri, ſine Sacramento, nec ab eo ſeparari, *Sanch. cit. l. 2. diſ. 10. n. 6.* Ratio eſt, quia Chriſtus contractum matrimonii ad Eſſe, ſeu rationem Sacramenti elevando, ita hæc inſeparabiliter conjunxit, ut ſeparari nullo modo poſſint. Quare volentes ita contrahere matrimonium, ut abſolutè, & nullo modo velint ſuſcipere Sacramentum, nihil efficiunt, intentio enim hæc poſterior priorem elidit, ac deſtruit: cùm Eſſe, ſeu ratio Sacramenti, ex Chriſti inſtitutione ſit inſeparabilis à contractu matrimonii. Aliud eſt, ſi Acatholici contrahentes matrimonium, propter errorem ſpeculativum, quo putant, matrimonium non eſſe Sacramentum, nolunt ſuſcipere Sacramentum: ita tamen ut velint contrahere eo modo, quo ſolent fideles, & Chriſtiani, & in Eccleſia Chriſti conſuetum eſt: hi enim nihilominus ſuſcipiunt Sacramentum, ita ut tale matrimonium diſſolvi non poſſit; quia cùm ratio Sacramenti, ex Chriſti inſtitutione, ſit matrimonio inſeparabiliter annexa, non poteſt illud, privatâ, ac peculiari intentione, vel errore contrahentium à matrimonio ſeparari: aliàs enim etiam inter Catholicos, & Orthodoxos privatâ intentione matrimonium à Sacramento ſeparari poſſet. Unde ulteriùs ſequeretur, quòd hujusmodi matrimonia non eſſent omnimodè indiſſolubilia, quia omnimoda inſeparabilitas deſumitur à ratione Sacramenti, ut infrà dicetur, & notat *Tanner. cit. diſ. 8. q. 2. dub. 3. n. 47.*

LXXV. Quæritur 2. Quæ ſit materia, & forma Sacramenti matrimonii? Variæ ſunt hac de re Auctorum ſententiæ, quibus omiſſis, Reſponderur, materia circa quam, ſive remota ſunt ipſa corpora contrahentium, ut docet *Henriq. in Summa lib. 11. c. 2. §. 4.* quia corpora habent ſe in matrimonio, ſicut aqua in Baptismo, & peccata in Sacramento pœnitentiæ, quæ ſunt materia remota, nam circa corpora contrahentium verſatur mutua traditio, & acceptatio. Materia verò proxima eſt ipſa traditio corporum: forma verò eſt mutua acceptatio verbis, vel aliis ſignis expreſſa: ſive quod ferè in idem recidit, verba, ſeu ſigna, quibus conſenſus exprimitur, ſive potiùs ipſe conſenſus mutuus utriúsque conjugis ſignis externis expreſſus, quatenus habet rationem traditionis, eſt materia: quatenus verò habet rationem acceptationis, eſt forma, adeoque hi duo conſenſus utriúsque conjugis ſunt ſibi invicem materia, & forma, ſecundùm diverſas rationes, ita *Sanch. l. 2. diſ. 5. n. 6. Tanner. cit. diſ. 8. q. 2. dub. 2. n. 37.* Probatur, quia illud eſt tanquam materia in aliquo contractu, quod habet rationem indeterminati, & imperfecti: illud verò eſt tanquam forma, quod habet rationem determinantis, & perficientis: proprium enim formæ eſt determinare materiam, eámque perficere: atqui conſenſus verbis expreſſus, per quem ſit traditio corporum, ſive ipſa mutua traditio verbis, vel aliis ſignis expreſſa, per quam quilibet conjugum tradit ſui corporis poteſtatem alteri, antequam acceptetur, eſt ex ſe imperfecta, inefficax, & indeterminata, ut rata ſit, vel irrita: accedente autem acceptatione, quâ quilibet acceptat traditionem ſibi per alterum factam, perficitur, & determinatur ipſa traditio, ut ſit rata, & efficax ad producendam obligationem matrimonialem, ergo mutua traditio, ſive verba illam exprimentia, aut quod idem eſt, conſenſus verbis expreſſus, prout importat traditionem corporum, habet rationem materiæ: & mutua acceptatio per verba illam exprimentia, ſive conſenſus verbis expreſſus, prout importat acceptationem, habet rationem formæ. Paulò aliter loquitur de hac re *Laym. cit. p. 2. c. 2. n. 2.* Ubi ait, materiam Sacramenti matrimonii eſſe corpora conjugum mutuò tradenda: formam verò eſſe verba conjugum contrahentium. Idque probatur 1. quia inquovis contractu materia illicita illa res, quæ in commutationem venit, ſive de qua contractus inſtituitur, ut in venditione merx, & pretium ſunt materia: ſed in contractu matrimonii agitur de corporibus viri, ac fœminæ ſibi invicem tradendis; ergo hæc ſunt materia hujus contractûs. Deinde conjuges mutuo conſenſu conjuncti, ſive copulari, ſunt externum ſacrum ſignum ſpiritualis perpetuæ conjunctionis inter Chriſtum, & Eccleſiam, adeoque ſunt pars Sacramenti, & quidem ſubjectiva, ſive materialis: verba autem, per quæ hæc viri, & fœminæ conjunctio expreſsè ſignificatur, ſunt pars formalis, ſive forma hujus Sacramenti.

LXXVI. Quæritur 3. Quis ſit miniſter Sacramenti matrimonii, & an Sacerdos? Reſp. Ipſi contrahentes, ſeu conjuges ſunt miniſtri hujus Sacramenti, non Parochus, ut eſt communis, ac certa ſententia apud *Sanch. l. 2. diſ. 6. n. 2.* Probatur 1. quia ille eſt propriè miniſter Sacramenti, qui formam verborum profert, quibus Sacramentum conficitur: at conjuges proferunt verba, quibus Sacramentum matrimonii conficitur, ergo ipſi ſunt miniſter. Deinde cùm matrimonium ſit contractus, cujus naturam Chriſtus elevando illum ad rationem Sacramenti, non immutavit, ideo ſequitur aliorum contractuum naturam; ſicut ergo in aliis contractibus ipſi contrahentes efficiunt contractum: ita etiam in contractu matrimoniali, idem eſt miniſter conferens Sacramentum, qui eſt miniſter efficiens contractum. Nec obſtat, quòd in cæteris Sacramentis miniſter ſit Sacerdos, ex inſtituto per Sacri Ordinis ſuſceptionem ordinatus, ut ſit miniſter Sacramentorum: nam ſicut illud ſpeciale eſt, ac proprium Sacramenti matrimonii, quòd conſiſtat in contractu ipſorum ſuſcipientium: ita etiam ſpeciale, ac proprium eſt ejusdem, quòd ipſimet ſuſcipientes hoc Sacramentum ſint ejusdem Miniſtri, non alii. *Tanner. cit. diſ. 8. q. 3. dub. 1. n. 1. & 2.*

LXXVII. Ubi notandum, cùm matrimonium in nova lege Evangelica ſit Sacramentum à Chriſto inſtitutum, ad cujus eſſentiam requiritur, materia, forma, & miniſter, cum intentione faciendi, quod intendit facere Eccleſia, ut patet ex Concilio Florentino in Decreto Eugenii IV. pro inſtructione Armenorum, hinc videtur nullus alius aſſignari poſſe Miniſter

Digitized by Google

Miniſtet hujus Sacramenti, quàm aſſiſtens mattrimonio Sacerdos, adeo ut ſine ejus conſenſu, contractũ, non ſit Sacramentum. Sed oppoſitum omnino eſt tenendum, quia cùm Eccleſia Catholica ſemper docuerit, matrimonium eſſe Sacramentum, atque definitum ſit, matrimonium clandeſtinum ſemper fuiſſe verum matrimonium, ſequitur ſimiliter definitum eſſe, matrimonium clandeſtinum eſſe Sacramentum, etiam ſine parocho initum, uti olim ante Concil. Trident. initum fuit: adeoque Parochi præſentiam non requiri ad valorem Sacramenti matrimonii, ut ipſe tanquam legitimus Miniſter Sacramentum adminiſtret; cur autem Parochus adhiberi debeat, infrà dicetur *Tit.* 3. Nec refert, quòd Parochus, dum aſſiſtit contractui mattimoniali, dicat ex præſcripto Concilii Trident. *Seſſ. 24. c. 1. de reform. matr. Ego vos in matrimonium conjungo, in nomine Patris &c.* quia hæc verba proferuntur à Sacerdote, non tanquam Miniſtro Sacramentum adminiſtrante, ſed declarante, ſeu confirmante, quod inter ipſos contrahentes fit, vel factum eſt, adeoque id nova efficit, ſed confirmat, ſeu approbat. *Sanch. cit. diſ. 6. n. 6.* Quamvis Sacerdos aſſiſtens etiam aliis verbis uti poſſit, juxta receptum cujuscunque Provinciæ ritum, ut additur in Concil. Trident. *cit. c. 1.*

LXXVIII. Quæritur 4. Utrùm matrimonium, inter abſentes, per Procuratorem, vel Epiſtolam contractum, ſit validum, & an ſit Sacramentum? Reſp. 1. Matrimonium initum per Procuratorem fuit validum, ante Concilium Tridentinum, ut conſtat ex *c. ult. de Procuratorib. in 6.* & tatio eſt, quia Chriſtus elevando matrimonium ad rationem Sacramenti, non immutavit ejus naturam: ergo quicquid ſufficit ad rationem contractûs matrimonialis, ſufficit etiam inter Chriſtianos ad rationem Sacramenti: ſed alii contractus, ſuapte naturâ, poſſunt celebrari inter abſentes per Procuratorem; ergo etiam Sacramentum matrimonii, *Sanch. l. 2. de matr. diſ. 11. n. 2.* Ad hoc autem requiruntur in *cit. c. ult.* tres conditiones: prima eſt, ut habeat Procurator ſpeciale mandatum ad matrimonium contrahendum, loco alterius, & quidem cum certa perſona. 2. Ut per ſe ipſum hoc negotium peragat, nec alium ſubſtituat, niſi hoc expreſsè in mandato ſit ei conceſſum, quia cenſetur electa induſtria perſonæ. 3. Ut tempore intermedio mandatum non revocetur, ſed hæc de re plura dicta ſunt ſuprà *libr. 1. Tit. 38. §. 4. n. 26. & pluribus ſeqq.*

LXXIX. Ubi præterea notandum 1. matrimonium contractum per Procuratorem eſt validum, etiam in locis, ubi Concilium Trident. eſt receptum, modò contrahentes ſuum conſenſum coram Parocho, & teſtibus, per ſuos Procuratores, tanquam per ſuos interpretes, exprimant. Eſt communis ſententia, & patet ex praxi Eccleſiæ uſitata, præſertim inter Principes Chriſtianos. Probatur 1. quia Concilium Trident. ideo ſolùm irritavit mattimonia clandeſtina, eò quòd in facie Eccleſiæ probari non poſſint, ex quo multa, & gravia ſequi conſueverant incommoda: atqui matrimonium contractum per Procuratorem publicè, id eſt, coram Parocho, & teſtibus, poteſt probari in facie Eccleſiæ; ergo non irritavit Concilium tale matrimonium. Porro etſi non requiratur, ut Procurator accipiat mandatum coram Parocho, & teſtibus, neceſſarium tamen eſt, ut hi ſive ex litteris inſtrumenti, ſive ex aliis ſufficientibus indiciis cognoſcant mandatum Procuratoris ad contrahendum matrimonium, aliòquin enim nec intelligent, nec in foro externo teſtari poterunt, matrimonium inter conjuges contractum eſſe, *Coning. tract. de Sacram. diſ. 24. dub. 9. num. 78.*

Notandum 2. Ut quis validè contrahat matrimonium per Procuratorem, non requiritur, ut tunc, quando fit contractus, utatur tatione, ſed ſatis eſt, quòd compos rationis, ac liberè illud mandatum dederit, nec id poſtea revocaverit: unde etiamſi poſtmodum, tempore contractûs, principalis contrahens dormiat, vel ebrius, aut amens ſit, adhuc externus contractus Procuratoris eſt verè liber, & humanus (modò Procurator dum actu contrahit, ratione utatur) quia à libero mandato principalis contrahentis imperatus fuit, qui ſolus actus, ex parte mandantis, in illum contractum per Procuratorem geſtum influit: omnes autem actus ſequentes mandantis, per quos mandatum non revocatur, ſunt impertinentes: ſecus eſt, ſi quis in ebrietate, vel amentia per ſe ipſum contraheret matrimonium, tunc enim nihil agetet, etſi antè intendiſſet contrahere, dum ebrius, vel amens eſt, quia hoc caſu externus contractus matrimonii non eſt liber, & humanus, *Coning c. l. n. 71.*

LXXX. Reſpondetur 2. Matrimonium per Procuratorem contractum eſt Sacramentum conferens gratiam, ex certa, & communi ſententia apud *Sanch. cit. diſ. 11. n. 27.* & alii apud ipſum. Probatur nam omne matrimonium legitimum inter baptizatos eſt Sacramentum, quia Chriſtus elevans contractum naturalem matrimonii ad Eſſe Sacramenti, nihil aliud requiſivit in baptizatis, quàm id, quod requiritur ad legitimum contractum matrimonii: ſed matrimonium initum per Procuratorem eſt legitimus contractus; ergo etiam eſt validum Sacramentum. Confirmatur, quia Concilia Generalia dicunt, matrimonium, quod ante legem Evangelicam erat meras contractus naturalis, eſſe modò Sacramentum: ſed matrimonium, ut contractus, & ut Sacramentum, eſt idem numero, & reipſa, & ſolùm differunt, quia prout reſpicit vinculum contrahentium, dicitur contractus: prout autem elevatum eſt à Deo ad repræſentandam unionem Chriſti cum Eccleſia per charitatem, dicitur Sacramentum: ſi ergo, ut contractus, poteſt celebrari per Procuratorem, poterit etiam, ut Sacramentum: *Sanch. c. l. num. 27.* Porro quando matrimonium initur per Procuratorem, ipſe Procurator non eſt Miniſter, nec in ipſo recipitur Sacramentum, nec verba ipſius ſunt materia, & forma Sacramenti, ſed ipſi principales contrahentes, *Sanch. c. l. n. 28.* & patet ex ſuprà dictis. Non obſtat, quòd abſolutio Sacramentalis non poteſt dari abſenti, ſicut nec alia Sacramenta conferri poſſunt abſentibus. Sed reſpondetur, judicium externum poteſt inſtitui inter abſentes, quia perſonæ hujus judicii ſunt diſtinctæ, ut actor, reus & teſtis. Judicium verò pœnitentiale eſt judicium internum, & occultum, in quo pœnitens eſt ſimul accuſator, reus, & teſtis, & à præſenti diſpoſitione pœnitentis neceſſariò dependet, ideóque præſentiam Miniſtri,

Digitized by Google

ac pœnitentis requirit; *Tanner. cit. disp. 8. q. 2. dub. 3. n. 47.* Deinde id speciale est in matrimonio, quod cùm sit contractus, sequitur naturam aliorum contractuum, qui inter absentes celebrari possunt, ergo & matrimonium. Neque etiam obstat, quòd indefequeretur, aliquem absentem, non solùm dormientem suscipere Sacramentum, & recipere gratiam ex opere operato, sed etiam illud ministrare, & conficere. Ad hoc dicendum, neutrum esse inconveniens. Non primum, quia etiam alia Sacramenta, ut Baptismus, pœnitentia, & absolutio, ac extrema Unctio possunt recipi à dormiente, qui ea vigilans desideravit. Neque verò matrimonium physicè causat gratiam, sed solùm moraliter, & sic dum Procurator contrahit matrimonium, consensus principalium etsi transiverint, sunt adhuc præsentes moraliter, & opetantur, ut causa moralis. Neque secundum est inconveniens in Sacramento, quod consistit in contractu, talis enim Minister operatur ex virtuali intentione, quando Procurator operatur, juxta ejus mandatum non revocatum, *Sanch. cit. disp. 11. n. 32.*

LXXXI. Respondetur 3. Etiam post Concilium Tridentinum validè potest contrahi matrimonium per Epistolam, *Sanch. l. 2. de matr. disp. 12. n. 3.* & alii. Probatur, quia non est inducenda Jurium correctio, sine necessitate: hìc autem nulla est necessitas, cùm possint servari omnia præscripta à Concilio Tridentino ad valorem matrimonii. Veluti si in litteris quis scribat, se non tantùm de præsenti in Annam v. g. consentire tanquam in uxorem, sed etiam ipsius vicissim consensum ex nunc acceptare, ipso tempore, quo illum præstabit: tali enim Epistolâ lectâ coram Parocho, & testibus, & Annâ coram iisdem consentiente, adsunt omnia requisita ad matrimonium, secundùm Concil. Trident. *Sanch. cit. loc. n. 3.* Ubi etiam alium modum contrahendi matrimonium per litteras ponit: ut si Titius, qui accepit Epistolam ab Anna, rescribat mittenti, se accepisse litteras ab illa, in quibus de præsenti consentit in ipsum tanquam in maritum; & similiter se consentire in Ipsam, tanquam in uxorem, tunc enim si Epistola ista legatur coram Parocho, & Testibus, & coram illis Titius consensum exprimat, validum est matrimonium, quia constat Parocho, & testibus de mutua traditione, & acceptatione traditionis utriusque conjugis. Quòd autem hujusmodi matrimonium sit etiam Sacramentum, constat ex suprà dictis.

§. III.

De consensu requisito ad matrimonium.

LXXXII. Quæritur 1. Quomodo consensus internus debeat necessariò exteriùs exprimi? Resp. Ad valorem matrimonii non est satis, ut contrahentes in obligationem conjugalem de præsenti consentiant, sive internum consensum habeant, sed Jure quoque naturali requiritur, ut exprimant hunc consensum, eúmque mutuò acceptent, prout constat ex *c. Licèt. 3. de sponsa duorum*, ubi postquam dictum est, matrimonium contrahi per legitimum consensum de præsenti inter virum, & mulierem, subjungitur; *ita ut unus alterum, cum mutuo consensu verbis consuetis expresso, recipiat*, vel aliis signis externis, ut suprà dictum. Ratio est, quia nullus humanus contractus iniri potest, nisi utriúsque contrahentis voluntas exprimatur, & mutuò sibi innotescat, *Tanner. cit. disp. 8. q. 3. dub. 5. n. 88.* Non est autem necessarium ad valorem matrimonii, ut actualis utriúsque conjugis consensus simul, & eodem tempore exprimatur, modò secundùm moralem æstimationem, non nimis longum temporis intervallum intetet unius, & alterius consensum intercedat, & consensus ptioris conjugis intetea non sit expressè, vel tacitè revocatus, *Sanch. l. 2. disp. 32. n. 3. & 7. Coninck. tract. de Sacram. disp. 24. dub. 7. n. 15.* Ratio est, quia etiam in aliis contractibus, non est necesse, ut utriúsque consensus actu sit simul, quia aliàs inter absentes celebrari non possent; matrimonium autem sequitur naturam contractuum aliorum. Deinde idem etiam sit in Sacramento Pœnitentiæ, in quo confessio, quæ est pars materialis hujus Sacramenti, multo tempore potest præcedere absolutionem, quæ est ejus forma: quantum autem temporis debeat effluxisse, ut priotis consensus censeatur revocatus, nec virtute manere, non potest generatim definiri, sed prudentis arbitrio, ex variis circumstantiis considerandum relinquitur. *Coninck. cit. n. 58.* Requiritur tamen ad valorem matrimonii, ut utriúsque conjugis consensus, saltem habitualiter existat, quia aliquin non posset ex utriúsque partis consensu unus contractus constitui, *Coninck. l. n. 56.*

LXXXIII. Quæritur 2. An quando matrimonium fuit itritum, quia alter coujugum fictè, vel gravi metu coactus consensit, tunc sufficiat, si hic solùm postea consensum in matrimonium renovet: an verò necesse sit, ut uterque denuo consentiat? Resp. Probabilius est, satis esse, si ille, qui illegitimè consensit, denuo consentiat, nam cùm alterius consensus fuerit validus, ac legitimus, is que virtualiter, seu habitualiter adhuc perseveret, nec revocatus sit, ut supponitur, adeoque ex parte illius nihil desideretur: solus autem deficiat consensus illius, qui fictè, aut ex metu consensit, consequens est, accedente legitimo consensu ex parte hujus, matrimonium convalescere, *Sanch. cit. l. 2. disp. 32. n. 9.* Secus est, si uterque fictè, aut ex gravi metu invalidè consensisset, tunc enim debet uterque consensum renovare, quia cùm uterque consensus fuerit omnino nullus, petinde est, ac si matrimonium penitus non esset contractum. Idémque, si matrimonium irritum sit, ob aliquod impedimentum dirimens, *Sanch. c. l. num. 11.*

LXXXIV. Quæritur 3. Si aliqui contrahunt sponsalia, vel matrimonium per verba obscura, quomodo ea sint intelligenda? Resp. Si verba contrahentium sponsalia, vel matrimonium, sint obscura, secundùm communem significationem, seu loquendi modum intelligenda sunt, prout fumitur ex *c. Ex literis. 7. h. t.* Ubi cùm consultus fuisset Papa » Alexander III. quid debeat observari, quando in- » ter aliquos sponsalia (de præsenti, ut patet ex con- » textu) contrahuntur, ita ut alter non intelligat, » quod alter proponit? Respondet Papa, quòd Ju- » dex inspicere debet, an tales ad contrahendum » matri-

» matrimonium ſint idonei, ſcientiâ (id eſt, diſcre-
» tione) & ætate: quo cognito, ſi alter non intel-
» lexit, quod alter propoſuit, ad communem ver-
» borum intelligentiam recurrendum eſt: & uter-
» que cogendus eſt, verba prolata in eo ſenſu retine-
» re, & ſervare, quem ſolent apud rectè intelligen-
» tes habere.

LXXXV. Ubi notandum 1. Duo neceſſariò requiruntur in contractibus matrimoniorum, inprimis ſcientia, ſive judicium diſcretionis, quo quis intelligat, quid agat: unde furioſi, amentes, & ebrii, ſi tanta ſit ebrietas, ut uſu rationis privet, matrimonium contrahere non poſſunt, *c. Neque. 26. cauſ. 32. q. 7.* de quo dictum ſuprà *n. 10. h. t.* Deinde requiritur ætas legitima, nempe pubertatis, quæ in maſculo incipit poſt XIV. annum, & in fœmina poſt XII. niſi malitia, ſive ſagacitas naturæ ſuppleat ætatem, de quo plura *Tit. ſeq.*

Notandum 2. Si intentio, ſeu conſenſus internus deſit, nulla ſponſalium, aut matrimonii ortur obligatio, in foro interno, & coram DEO, qualiscunque ſint verba: & è converſo, ſi adſit intentio ſe obligandi vinculo ſponſalium, aut matrimonii, eâque manifeſtetur ſigno aliquo externo, ita ut ambo contrahentes intelligant, ſe mutuò velle contrahere ſponſalia de præſenti, vel matrimonium, id ſatis eſt, qualiacunque ſint verba, *Sanch. l. 1. de matr. diſ. 18. num. 2.*

Notandum 3. In foro externo, ſi de verborum interpretatione dubitetur, non ſtatur intentioni contrahentium, quia ea Eccleſiam latet, ſed ea interpretanda ſunt, ſecundùm communem loquendi uſum, ſive eo ſenſu, quo communiter à rectè intelligentibus accipiuntur, ut dicitur in hoc c. *Sanch. c. l. n. 4.* non enim ex opinionibus ſingulorum, ſed ex communi uſu loquendi verba æſtimanda ſunt, *l. Labro. 7. ff. de ſuppell. legat.*

Notandum 4. Etſi verba loquentium ſint intelligenda, ſecundùm eorum intentionem, quia verba intentioni deſerviunt, & non intentio verbis, verba enim inventa ſunt, ut per ea intentionem quis ſuam exprimat, *c. Humanæ. 11. cauſ. 22. q. 5. c. Intelligentia. 6.* & ibi *Gl. infr. de V. S.* Excipi tamen debet, niſi tempore contractûs conſtet, aliam fuiſſe mentem contrahentium, ut ſi aliqui rudes, & ſimplices, æſtimantes matrimonium non eſſe contractum perpetuum, vellent tantùm ad tempus inter ſe contrahere matrimonium, & ad cohabitandum conjugaliter ſe obligare, non in perpetuum, ſive uſque ad mortem, idque ſufficienter exprimerent: tale enim matrimonium foret nullum, propter defectum perpetui conſenſûs, qui ad validum matrimonium requiritur, *c. Solet. 6. cauſ. 32. q. 2. Caniſ. in cit. c. Ex litteris. 7. n. 4. h. t.*

Notandum 5. Si matrimonium ſit contractum per interpretem, ſicut fieri poteſt, cùm & cæteri contractus poſſint celebrari per interpretem, *l. 1. §. fin. ff. de V. O.* tum integra fides danda eſt interpreti, cùm fuerit communi conſenſu contrahentium electus: & ſi dubium incidat ex eo, quia alter contrahentium dicit, ſe non intellexiſſe verba interpretis, ad communem ſenſum, ſeu ſignificationem verborum recurrendum eſt, juxta *cit. c. Ex litteris.* & ibi *Gl. V. Intellexeris. h. t. Covarr. in Epitom. libr. 4. Decret. p. 2. c. 4. §. 1. num. 3. Sanch. libr. 3. de matrimon. diſ. 39. n. 3. & 4.*

LXXXVI. Quæritur 4. An ſit verè matrimonium contractum, quando vir & mulier ſibi invicem promittunt, quòd ex eo tempore habebunt ſe pro Conjugibus, & ſidem ſibi invicem conjugalem ſervabunt? De hac re agitur in *c. Ex parte. 9. h. t.* Nam cùm quidam Andreas nomine, juraſſet mulieri C. » quòd eam ab eo tempore pro Conjuge teneret, & » ei ſicut uxori ſuæ fidem ſervaret; ipsâque viciſſim » ſimiliter juraſſet Andreæ, ſe illum pro marito ha- » bituram, & fidem ei tanquam viro ſuo ſervatu- » ram: quo facto, dictus Andreas nihilominus ean- » dem reliquit (ſupple, & cum alia contraxit, *Gl. » hic V. Eandem.*) Quare mandat Pontifex Abbati- » bus à ſe delegatis, ut eundem ſuperinductâ dimiſ- » sâ, ad uxorem ſuam redire, monitione præmiſſâ, » per Eccleſiaſticam cenſuram cogant, quia nemini » licet, ſine manifeſta cauſa fornicationis, uxorem » ſuam dimittere: & tunc vel ipſam ſibi reconcilia- » re, vel ſe continere debet, ipsâ vivente. »

LXXXVII. Notandum 1. Si vir, & mulier juraverint (ut in caſu hujus c.) vel etiam ſine juramento promiſerint, per verba importantia executionem (quæ ſonant de futuro, ſed ſignificant conſenſum de præſenti) ſe invicem pro Conjugibus habituros, vel mutuâ fidem conjugalem ſervaturos, tunc inter eos cenſetur matrimonium contractum, prout ſumitur ex hoc c. ut ſi dicit: *ex nunc, vel ab hac tempore, vel deinceps habebo te pro uxore, vel tractabo te ſemper ut uxorem*, quia verba hæc, etſi ſint futuri temporis quoad ſonum, tamen reipsâ important conſenſum de præſenti; ſi enim quis promittat, quòd ex nunc, & deinceps ſemper hanc fœminam habebit pro uxore, ſeu tractabit ut uxorem, ergo modò eſt uxor ipſius, *Sanch. l. 1. de ſponſ. diſ. 18. n. 14.* Quamvis verò in *cit. c. Ex parte.* in reſponſione mulieris non apponantur hæc verba, *ab hoc tempore*, quæ faciunt, ut conſenſus de futuro importet conſenſum de præſenti, tacitè tamen ſubintelliguntur, cùm reſpondeat, juxta præcedentia verba viri, *Sanch. cit. l. n. 21.*

Notandum 2. Per hujuſmodi verba, *habebo te in uxorem*, vel *promitto, quòd ducam te in uxorem*, non matrimonium, ſed tantùm ſponſalia de futuro contrahuntur, quia non continent tempus præſens, ſed tantùm futurum: verba enim, quæ competunt contrahendo matrimonio, ſi proferantur in futuro tempore, non deſignant matrimonium de præſenti contractum: Ut ſi Petrus dicat Annæ, *habebo te in uxorem*, illa verba poſſunt intelligi eſſe vera, quamvis Petrus illam non habeat in uxorem: ergo non ſunt neceſſariò referenda ad matrimonium præſenti conſenſu contractum, *Covarr. cit. c. 4. §. 1. n. 5.* apud quem plura de hujuſmodi verborum formulis videri poſſunt, & dictum etiam ſuprà *ſec. 1. §. 1. n. 7.*

LXXXVIII. Quæritur 5. An matrimonium contractum, non ſervatâ lege, vel conſuetudine loci, ſeu Regionis, in qua matrimonia celebrari ſolent, ſit validum? Reſp. de hac quæſtione agitur in *c. De Francia. 1. h. t.* Ubi refertur, quòd quidam » ex Francia Orientali, ſive Franconia duxit nobi- » lem mulierem ex Saxonia otiundam, in uxorem, » ſecundùm legem, ſeu morem Saxonum; ſed quia » eam non ſecundùm legem, ſeu conſuetudinem »

Franco-

Digitized by Google

» Franconum, ſive Francorum, deſponſaverat (de » præſenti ſcilicet) ideo illâ dimiſsâ, aliam in uxo» rem duxit. (putabat enim ad ſubſtantiam matri» monii ſufficere, ut contrahatur, ſecundùm legem, ſeu conſuetudinem patriæ. *Gl. hic V. Francorum lege*) » Quare S. Concilium Tridentiense decrevit, ut ille » tanquam tranſgreſſor Evangelicæ Legis (quâ vetatur quis dimittere uxorem ſuam, & aliam ducere, ut *quod DEUS conjunxit, homo non ſeparet, Matth. c. 19.* » *& c. Ex parte. 9. h. t.*) pœnitentiæ ſubijciatur, & » à ſecunda uxore ſeparetur (quæ non erat legitima » uxor) & ad priorem redire cogatur.

LXXXIX. Pro declaratione hujus c. notandum 1. Validum eſt matrimonium contractum, licèt conſuetudines, vel ſolemnitates patriæ non ſerventur, ut patet ex hoc c. Et ratio eſt, quia conſuetudo, cùm ſit juris poſitivi, ſive humani, nullam vim habere poteſt contra matrimonium legitimè contractum, nec illud quoad ſubſtantialia irritare, vel rollere poteſt, quippe quod oritur ex Jure, ſeu Lege Divina, ideóque non poteſt ei præjudicare ulla conſuetudo, *Hoſtienſ. hic V. Superinduxit. Abb. ibid. n.* 3. *& 7.* ubi addit, idem eſſe dicendum de Statutis editis contra ea, quæ pertinent ad ſubſtantiam matrimonii, cùm hoc pertineat ad forum Eccleſiaſticum, non autem ſæculare. Id verò intelligendum eſt, non tantùm de conſuetudine laïcorum, qui nullam habent poteſtatem diſponendi de rebus ſpiritualibus, ſed etiam de conſuetudine communi Clericis, & laïcis, quia hoc cap. ſimpliciter, & generaliter loquitur de conſuetudine, ad quam inducendam requiritur conſenſus totius, vel majoris partis populi, adeoque loquitur de conſuetudine tam laïcorum, quàm Eccleſiaſticorum, cùm & hi ſint de populo, ſeu Univerſitate: ſicut autem laïci, ita etiam Clerici carent poteſtate ſtatuendi de his, quæ pertinent ad eſſentialia matrimonii, cùm hæc ſint S. Pontifici reſervata, adeoque nec conſuetudo illorum poteſt in his præjudicare matrimonio, *Fagn. in c. 1. n. 15. de cognat. ſpirit.* Neque verò talis conſuetudo poteſt eſſe legitimè præſcripta, cùm ſit contra Jus Divinum, ut probatur ex *cit. c.* 1. ibi: *ille tranſgreſſor Evangelicæ Legis, h. t.* adeoque nullo unquam tempore, etiam immemoriali, poteſt præſcribi, quia nulla lex, & nulla conſuetudo poteſt præjudicare Legi Divinæ, *Hoſtienſ. hic. Fagn. c. l. n. 16.*

Notandum 2. At verò circa accidentalia, ſeu acceſſoria matrimonii, poteſt conſuetudo patriæ, ſeu Regionis, in qua contrahitur matrimonium, valere, & diſponere, ut docet *Hoſtienſ. hic. & Abb. n.* 7. Cujuſmodi ſunt, ut nullum conjugium fiat, ſine dote, & ut nuptiæ publicè celebrentur, ut ſponſus, & ſponſa benedicantur à Sacerdote, & à Paranymphis offerantur, & aliæ ſimiles cæremoniæ adhibeantur, de quibus in *c. Aliter. 1. c. Sponſus. 5. c. Nullum. 6. & ſeqq. cauſ.* 30. *q.* 5. quia huiuſmodi ſolemnitates ad eſſentiam matrimonii non pertinent, ſed potiùs ſpectant ad ejus probationem, ita ut ſi eas interveniſſe conſiteriet, non ſit fas dubitare de matrimonio legitimè contracto: ſin verò omiſſæ fuerint, cenſetur concubitus illicitus, in dubio, *Caniſ. in cit. c. 1. n. 2. h. t.* Unde etiam ſi huiuſmodi ſolemnitates non omnes interveniant in nuptiali fœdere, id peccatum non eſſe, dicitur in *c. Noſtrates. 3. in fine, cit. cauſ. & q.* quia non exiguntur neceſſariò, *Gl. ſequ. ibid.*

§. IV.

Virùm ad valorem matrimonii contracti à liberis neceſſarius ſit conſenſus parentum: & an patria poteſtas ſe extendat ad retinendas uxores filiorum?

XC. Ad priorem quæſtionem reſpondetur, matrimonium à liberis utriuſque ſexûs, ſive maribus, ſive fœminis initum, ſine conſenſu parentum, eſſe validum, nec poteſt à parentibus, vel Magiſtratu infringi, vel irritari. Idque conſtat inprimis ex *c. Cùm virum. 22. in fine, de Regular.* ubi dicitur, quòd puella in nubilitate conſtituta, ſcilicet pubertate, non poſſit cogi ſequi voluntatem parentum, cùm liberum habeat arbitrium in electione propoſiti, ſcilicet intrandi Monaſterium, vel non, vel manendi in ſæculo, & nubendi. Idem definitum fuit in Concilio Tridentino *Seſſ. 24. c. 1. de reform.* ubi damnat eos, qui falsò affirmant, matrimonia à filiisfam. ſine conſenſu parentum, contracta, irrita eſſe, & parentes ea tata, vel irrita facere poſſe, *Sanch. l. 4. de matr. diſp. 22. n.* 3. Ratio eſt, quia quivis in iis, quæ ad ſtatûs electionem pertinent, eſt liber, & juſtis, nec pendet ab alterius arbitrio: quod maximè locum habet in ſtatu matrimonij, quia gravia onera annexa habet, éſtq; indiſſolubilis, & perpetua quædam quaſi ſervitus, à qua à natura liberi ſumus: unde non debet ejus electio pendere ab aliorum voluntate, quàm eorum, qui illum liberè ſuſcipiunt; nec parentes poſſunt filios cogere ad ineundum matrimonium, *Sanch. cit. l. n.* 4. Ex quo ſequitur, matrimonia filiorumfam. eſſe valida, non tantùm ſi ignorantibus, ſed etiam ſi invitis parentibus, ineantur, ſolus enim conſenſus eorum, de quorum conjunctionibus agitur, ad ſubſtantiam matrimonii ſufficit. Canones verò exigentes conſenſum parentum, intelligendi ſunt de honeſtate ac decentia, non de neceſſitate, ſeu obligatione. Leges autem Civiles decidentes matrimonium, ſine conſenſu parentum, initum, eſſe irritum, ſunt abrogatæ per Jus Canonicum, *Sanch. c. l. n.* 3. Quando verò Juſtinianus *Inſtit. de nuptiis. in princ.* ait, quòd Civilis, & naturalis ratio ſuadet, in nuptiis filiorum habendum eſſe conſenſum parentum, in quorum ſunt poteſtate: ſolùm aſſerit, id ſuadere rationem naturalem, non autem præcipere ut neceſſarium: nam filius emancipatus legitimè contrahit matrimonium, ſine conſenſu parentum, *l. Filius. 35. ff. de ritu nupt.* ergo non requiritur conſenſus parentum in matrimoniis filiorum jure naturali, *Caniſ. in c. 1. n. 4. h. t.*

XCI. Porro filius matrimonium contrahens tenetur priùs conſilium petere à parentibus, quia omnino conveniens eſt, ne filii in re gravi aliquid ſtatuant, ſine conſilio parentum: non tamen tenetur filius conſilium datum ſequi, ſed poteſt licitè inire matrimonium, etiam invitis parentibus, *Sanch. cit. l. 4. diſ. 23. n. 10.* ex doctrina *S. Thom. 2. 2. q. 104. art. 5.*

Digitized by Google

art. 5. in Corp. ubi ait, quòd inferior non tenetur obedire ſuo Superiori, ſi ei aliquid præcipiat in quo ei » non ſubditur: indéque infert, quòd homo in iis, » quæ ad natutam corporis pertinent, non tenetur » homini obedire, puta in ijs, quæ pertinent ad ho» minis ſuſtentationem, & prolis generationem: » unde non tenentur filii parentibus obedire de ma» trimonio contrahendo, vel virginitate ſervanda, ita *S. Thom.* ergo cùm quoad matrimonium ineundum, filius non ſubjaceat poteſtati patris, ſequitur, quòd per ſe loquendo, & ſpectatâ ſolùm auctoritate paternâ, & ſubjectione filiorum, poſſit etiam filius, ſine conſenſu patris, licitè matrimonium inire: quia etſi gravis injuria fit, ſi filius, patre inconſulto, contrahat matrimonium, non tamen ſi ipſo conſulto, etſi non conſentiente, quia utitur jure ſibi conceſſo, *Sanch. cit. diſ. 23. n. 12.*

XCII. Veruntamen negari non poteſt, quin peccent liberi, ſi absque juſta cauſa, ſine conſenſu parentum, matrimonium contrahant: imò propter extrinſecas cauſas, ſeu circumſtantias occurrentes, regulariter non poſſunt liberi licitè matrimonium inire, ſine conſenſu parentum, ut quia parentes gravem cauſam habent impediendi matrimonium liberorum, quia v. g. volunt matrimonium inire cum perſona inæquali, vel infami, non ſine dedecore familiæ, vel ex alia cauſa: ob juſtam verò cauſam poſſunt liberi, etiam parentibus non conſentientibus, vel ignorantibus, matrimonium inire, ut ſi parens liberos jam adultos, & in periculo incontinentiæ conſtitutos, nolit in matrimonio honeſto collocare. *Sanch. cit. diſ. 23. n. 4.* Sed dices, parentes poſſunt irritare vota filiorum, *c. 30. Numer. verſ. 4.* ergo multò magis poſſunt irritare contractum matrimonii ab illis initum: ſi enim promiſſio DEO facta poteſt irritari, multò magis facta homini. Sed negatur conſeq. quia DEVS voluit, ut promiſſio ſibi facta per votum penderet ex conſenſu, & voluntate hominis: non autem promiſſio facta homini per matrimonium, idque ob cauſas ſuprà allatas, *Becan. tr. de Sacrament. c. 45. n. 5.*

XCIII. Ad poſteriorem quæſtionem reſpondetur, ſi pater injuſtè detineat uxores filiorum, per cenſuram Eccleſiaſticam compelli debet, ut intra certum tempus; illas reſtituat ſuis maritis, prout ſu» mitur ex *c. Non eſt. 11. h.t.* Nam cùm Rex Angliæ, » propter diſcordiam inter ipſum, & filios ſuos ex» ortam, uxores eorum detineret, mandat Pontifex Epiſcopis, & aliis Prælatis Angliæ, ut quia juſtum eſt, ut viri uxores ſuas petant, Regem mo» neant ad eas reſtituendas: & ſi intra certum tem» pus, eaſdem non reſtituerit, ex tunc in quacunque » Provincia Regni uxores illæ detineantur, vel » etiam transferantur, donec ibi fuerint, nulla Di» vina Officia (præter Baptiſmum parvulorum, & » Pœnitentiam morientium) celebrentur, vel cele» brari permittantur. Ubi addit *Gl. ſin. Et præter Communionem*, ſive Evchariſtiam, quæ Viaticum appellatur.

XCIV. Notandum 1. Etſi per matrimonium filii, vel filiæ non eximantur à patria poteſtate, ſed maneant in poteſtate patris ſui, §. *fin. Inſtit. de patr. poteſt. l. 2. §. 1. ff. ſoluto matrim.* non tamen uxores eorum ſubijciuntur poteſtati ſoceri, cùm id nullo jure ſit expreſſum, ut in caſu hujus *c.* uxores filiorum Regis Angliæ non fuerunt ſubjectæ ipſi Regi, ideò que non potuit illas detinere contra voluntatem filiorum maritorum, imò neque ipſi filii in his Regi erant ſubjecti, quia in matrimonio, aliiſque cauſis ſpiritualibus non cenſetur filiusfam. eſſe in poteſtate patris, *c. ult. de Judic. in 6.* & ſi filius poteſt liberè diſponere de bonis caſtrenſibus, etiam patre invito, multò magis in rebus ſpiritualibus liber eſt à patria poteſtate, *Abb. hic n. 1.*

Notandum 2. Si uxor adhuc in poteſtate patris ſui exiſtens, invita ab eo detineatur, poteſt maritus contra eundem patrem agere interdicto ad exhibendam, & abducendam uxorem ſuam, *l. 2. ff. de liber. exhibend. & l. 3. C. eod. l. Si invita. 11. C. de nupt.* ut in caſu hujus *c.* poſſunt filii Regis uxores ſuas repetere per interdictum de liberis exhibendis, *Gl. hic V. Vxores*, quia in hac re fortius eſt vinculum matrimonii, quàm patriæ poteſtatis, *l. 1. in fine. ff. eod.* Si verò uxor nolens detineatur à patre, vel alio quopiam, poteſt maritus, implorato officio Judicis, vel Epiſcopi loci, petere, ut ad illum redeat, *l. fin. ff. de liber. exhibend. Gl. hic. V. Vxores.*

Notandum 3. Sive uxor detineatur invita, ſive volens, maritus poteſt adire Judicem, ſive Eccleſiaſticum, ſive etiam ſæcularem, & petere eam ſibi reſtitui: quia quamvis quando agitur de jure matrimonii, vel iis, quæ ad ſubſtantiam illius pertinent, an legitimè ſit contractum, ſolus Judex Eccleſiaſticus ſit competens Judex, *c. 2. de Judic. c. Lator. 5. & c. Cauſam. 7. Qui filii ſint legitimi.* Secus verò eſt, cùm agitur de recuperanda, ſeu reſtituenda uxore, & ſic quaſi poſſeſſorium inſtituitur: tunc enim æquè Judex ſæcularis aditi poteſt, quàm Eccleſiaſticus, *Abb. hic n. 6.* Ad Eccleſiaſticum verò Judicem pertinet etiam de hac re judiçare, ratione peccati, quod uxor committit, ſubtrahendo ſe marito, ſi volens detineatur penes alium, *Caniſ. in cit. c. Non eſt, n. 3. h.t.*

Notandum 4. Ex facto Principis poteſt tota Provincia ſubiici Interdicto Eccleſiaſtico, ut patet ex hoc *c.* & ſic indirectè puniuntur ſubditi, propter factum Principis, *Abb. hic n. 4.* Quæ verò in fine hîc addunntur de Officiis Divinis interdicendis, ea pertinent ad *Tit. 39. Libri V. ſequentis.*

SECTIO IV.

DE MATRIMONIO FICTO, ſeu ſimulato, & coacto.

§. I.

An matrimonium fictè contractum ſit validum, & ad quid obligetur, qui fictè contrahit?

XCV. Assertio 1. Qui fictè contrahit matrimonium cum muliere, per verba de præſenti, abſque interno conſenſu in illam, invalidè contrahit, prout ſumitur ex *c. Tua nos. 26. h.t.* Nam cùm » quidam non poſſet mulierem quandam aliter ad » concubitum inducere, niſi eam ſibi deſponsâſſet, »

cauſas, opus ſit ſententiâ Judicis: an verò propriâ auctoritate poſſint contrahentes à ſponſalibus reſilire? Reſp. Non eſſe opus auctoritate Judicis, quando cauſa diſſolvendi ſponſalia eſt moraliter certa, & manifeſta: ſi tamen certa quidem ſit, ſed occulta, & ſponſalia publica, requiritur ſententia Judicis ſolventis ſponſalia, vel declarantis ea per hujusmodi cauſam eſſe ſoluta, idque ratione ſcandali vitandi, ſicut etiam requiritur, ſi cauſa ſit dubia: quòd ſi cóſtat de cauſa, dubitatur verò de ſufficientia, poteſt quis ſequi etiam viri docti, & prudentis judicium, *Sanch. diſ. 69. num. 3. & ſeqq.* Judex autem, cujus auctoritate ſponſalia ſunt diſſolvenda, eſt ſolus Eccleſiaſticus, Ordinarius, vel delegatus, quia hæc materia eſt ſpiritualis, *Sanch. c. l. n. 10.*

Denique diſſolvuntur ſponſalia per ſuperveniens impedimentum juris dirimens matrimonium, propter quod illud non poteſt inter ſponſos conſiſtere: *Sanch. c. l. diſ. 56. n. 11.* de quibus infrà agetur.

SECTIO III.

DE MATRIMONIO SECUNDùm ſe, ejúsque eſſentia.

LXVI. Quatuor præcipuè ſunt nomina ſynonyma, quæ matrimonio conveniunt, matrimonium, nuptiæ, connubium, conjugium. Matrimonium dicitur, vel quia mulier nubit, ut matet fiat: vel quia partus magis oneroſus, & laborioſus eſt matri, quàm patri. Nuptiæ, ſeu connubium ab obnubendo, quia ſponſæ, pudoris gratiâ, quando nubebant, velo ſe quaſi nube tegebant: dicitur etiam conjugium ab effectu, quia duos, ut una caro fiant, conjungit, quaſi ſub uno jugo.

§. I.

Quid ſit matrimonium, & quotuplex?

LXVII. Assertio 1. *Matrimonium eſt maris, & fœminæ conjunctio, individuam vitæ conſuetudinem retinens.* Ita definitur in *c. Illud. 11. §. Veràm de præſumpt. & l. 1. ff. de ritu nupt. & Inſtit. de patria poteſt. in princ.* Dicitur 1. *Conjunctio*, quia matrimonium dupliciter accipi poteſt, 1. pro actuali contractu, in quo legitimæ perſonæ, conſenſu verbis, vel ſignis expreſſo, ſe mutuò obligant ad vitæ ſocietatem, & generationis uſum. 2. Pro ſtatu, ſeu vinculo permanente inter virum, & fœminam. Jam ergo matrimonii eſſentia non conſiſtit in contractu, qui eſt tantùm cauſa efficiens, & tranſit, poſtquam eſt factus, cùm tamen matrimonium formaliter ſpectatum per modum ſtatûs, duret uſque ad mortem alterius conjugis: ſed conſiſtit in hujusmodi vinculo permanente, quo conjuges ſunt inter ſe uniti, quod oritur ex mutuo conſenſu, & traditione, *Sanch. l. 2. de matr. diſ. 1. n. 6.* Dicitur 2. *Mariſ, & fœminæ*, quia repugnat fini matrimonii polygamia, ſive ut una fœmina plures habeat viros, vel unus vir ſimul plures uxores: ut infrà dicetur. Dicitur 3. *Individuam vitæ &c.* ut exprimatur mutua cohabitatio, & indiſſolubilitas matrimonii, quæ major eſt, quàm in aliis humanis contractibus, qui mutuo conſenſu iterum diſſolvi poſſunt, non item matrimonii, de quo pluta §. *ſeq.*

LXVIII. Assertio 2. Matrimonium dividitur in legitimum, ratum & conſummatum. Legitimum eſt, quod legitimo conſenſu inter perſonas non impeditas eſt contractum, quale eſt etiam inter infideles, quod eſt verum matrimonium, non tamen ratum, ut dicitur in *c. Quanto. 7. de divort.* Ubi *Gl.* ait *V. Ratum*, quia diſſolvi poteſt. Matrimonium ratum dicitur, quod eſt legitimum, & inſuper etiam Sacramentum, ſed nondum carnali copulâ conſummatum: matrimonium conſummatum dicitur, quod accedente carnis copulâ, eſt perfectum, & completum, *Sanch. l. 2. de matr. diſ. 1. n. 9.* Quare ad ſubſtantiam matrimonii non requiritur, ut ſit per copulam carnis conſummatum, quia *nuptias non concubitus, ſed conſenſus facit, Reg. Iur. 31. in ff. & in c. 1. & 4. cauſ. 27. q. 2.* dicitur, *matrimonium non facit coitus, ſed voluntas.* Per copulam tamen carnis completur, & integratur matrimonium inter fideles, ſeu baptizatos contractum, ita ut inde ſit indiſſolubile fiat, ut ex infrà dicendis patebit.

LXIX. Sed jam hic ulteriùs quæritur, an ſaltem conſenſus in carnalem copulam requiratur ad eſſentiam veri matrimonii. Ratio dubitandi eſt, quia inter B. Virginem, & S. Joſephum fuit verum matrimonium contractum ex communiore ſententia DD. ut colligitur ex *c. 1. Matth. Noli timere accipere Mariam Conjugem tuam, & Lucæ 2. Ut profiteretur cum deſponſata ſibi uxore prægnante.* Sed B. Virgo non conſenſit in carnalem copulam, quia cùm fuerit obſtricta voto caſtitatis, teſte *S. Auguſtin. libr. de Virgin.* & colligitur ex illis verbis Matræ, *Luc. 1. Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco*, vel ſaltem habuit propoſitum ſervandi votum Virginitatis, *c. Beata. 3. cauſ. 27. q. 2.* non potuit conſentire in carnalem copulam, quia ut dicitur in *c. 4. diſ. 27.* Virginitatem voventibus, non tantùm nubere, ſed etiam nubere velle damnabile eſt, ergo eſt illis prohibitus etiam conſenſus in copulam, adeoque hic non requiritur ad ſubſtantiam matrimonii. Reſpondetur, contrahentes matrimonium neceſſariò conſentiunt in copulam conjugalem implicitè, & remotè, ac virtualiter, ſeu in radice, & cauſa, conſentiendo videlicet in matrimonium, quod intrinſecè ordinatur ad copulam, adeoque quatenus contrahentes conſentiunt in mutuam corporum traditionem, per quam cuivis parti acquiritur jus ad copulam: non autem neceſſariò requiritur talis conſenſus in copulam, ex parte contrahentium, cùm poſſit contrahi matrimonium verum, etiam cum intentione non conſentiendi expreſsè in copulam, quia ſufficit ad matrimonium expreſsè conſentire in jus, ſive poteſtatem ad carnalem copulam, implicitè autem, & virtualiter in ipſam copulam, *Sanch. l. 2. de matr. diſ. 28. n. 3. & 4.* Itàque B. Virgo conſenſit in copulam carnis, quoad poteſtatem, ſeu actum primum, non autem conſenſit, quoad actum ſecundum, ſeu actualem uſum illius poteſtatis: nam quamvis Virgo Sanctiſſima, vi contractûs matrimonialis cum Joſepho verè initi, obligata fuerit ad reddendum debitum carnis, ſi ille id peteret: ex altera tamen parte, revelante Deo, certò cognovit, ipſum nun-

nunquam debitum petiturum: ac proinde quia ſecuta fuit, ſe nunquam votum ſuum violaturam, Deo ita volente, ac præcipiente, in conjugium conſenſit, ſed non in actualem copulam carnis expreſsè, ac directè, *Laym. l. 5. tract. 10. p. 2. c. 1. n. 3.* Ratio eſt, quia ſicut carnalis copula non eſt de eſſentia matrimonii: nam nuptias non concubitus, ſed conſenſus facit, *l. Nuptias. 30. ff. de R. I.* ita nec conſenſus matrimonialis expreſsè, & formaliter pro objecto habet ipſam copulam, ſed ſolùm obligationem ad eandem in confuſo conceptam, ſive ad officium conjugale, *Tanner. cit. diſ. 8. q. 3. dub. 2. n. 12.* Nec obſtat, quòd ſi mulier diceret viro, conſentio in te, ita tamen ut carnaliter me non cognoſcas, adeoque expreſsè excluderet copulam, tale matrimonium eſſet invalidum: nam talis conditio adjecta, non ſolùm repugnat actui, ſed etiam poteſtati ad carnalem copulam, & ideo eſt contraria matrimonio, illúdque irritum redditur, ut docet *S. Thom. 3. p. in ſupplem. q. 48. a. 1. ad 3. Tanner. c. l. n. 13.*

§. II.

De matrimonio, quatenus eſt Sacramentum.

LXX. Quæritur 1. An matrimonium ſit verum Sacramentum? Reſp. 1. matrimonium, in lege naturæ, & Veteri Moſaica, non fuit Sacramentum, ſed contractus naturalis, *Sanch. l. 2. de matr. diſ. 7. n. 2.* & eſt communis. Probatur, quia matrimonium eſt Sacramentum novæ legis à Chriſto inſtitutum, ut infrà dicetur: poteſt tamen dici fuiſſe Sacramentum latè, & impropriè loquendo, quia fuit ſignum rei ſacræ, & aliquo modo figurabat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, *Sanch. c. l.*

LXXI. Reſp. 2. Quamvis poſt legem Evangelicam matrimonium inter infideles contractum non ſit Sacramentum, cùm nullum ſubſiſtat Sacramentum ſine Baptismo, qui eſt Sacramentorum janua, ut definivit Concilium Tridentinum in Decreto de Sacramento Baptismi: ſi tamen ambo conjuges ad fidem convertantur, tale matrimonium efficitur Sacramentum ſtatim, ac ambo conjuges baptizantur, ut ex probabiliore ſententia docet *Sanch. cit l. 2. diſ. 9. n. 5.* & alii apud *Tanner. cit. diſ. 8. q. 2. dub. 3. n. 51.* Ratio eſt, quia matrimonium illud infidelium, ſtatim atque conjuges iſti baptizantur, fit, manétque indiſſolubile, quia jam perfectè ſignificat individuam conjunctionem Chriſti cum Eccleſia ſponſa, ideóque ſtatim ac baptizantur, efficitur Sacramentum, ita ut diſſolvi non poſſit, etiamſi alter, vel uterque poſtea à fide deficiat. Neque verò in propoſito, deeſt ſufficiens conſenſus matrimonialis: nam eo ipſo, quòd baptizantur, virtualiter, & implicitè conſentiunt in matrimonium præcedens, ut ſit inſolubile, & perfectè ſignificet conjunctionem Chriſti cum Eccleſia: hæc enim inſolubilitas quaſi ex natura rei conſequitur ad baptismum, unde eo ipſo, quòd intendunt baptizari, virtualiter, & implicitè intendunt etiam, ut præteritum matrimonium ſit inſolubile, adeoque etiam Sacramentum. Et hic ipſe novus conſenſus eo ſigno externo baptismi expreſſus, eſt nova materia, & nova forma hujus Sacramenti. Et quamvis aliàs ad matrimonium de novo contrahendum inter eos, qui antea nunquam conjuges fuerunt, non ſufficiat ejusmodi conſenſus implicitus, & interpretativus in ipſa ſuſceptione Baptismi incluſus: ſufficit tamen ad matrimonium iſtud, quod non eſt omnino novum quoad ſubſtantiam, ſed ſolùm quaſi novum in ratione Sacramenti, & indiſſolubilitatis, quia ſcilicet prius matrimonium, quod erat contractus naturalis, profanus, & ſolubilis, poſt Baptismum efficitur inſolubilis, faciet, & repræſentans unionem Chriſti cum Eccleſia, *Sanch. cit. diſ. 9. n. 6. Tanner. cit. dubi 3. n. 54.* Porro matrimonium fidelis ex diſpenſatione S. Pontificis contractum cum catechumena nondum baptizata, ex parte neutrius eſt Sacramentum. Ratio eſt, quia matrimonium in utroque conjuge baptizato, & non baptizato eſt unum numero Sacramentum, ſicut eſt unus numero contractus: ergo ſi in uno non eſt Sacramentum, nec in altero erit, adeoque uterque conjux debet eſſe capax Sacramenti, *Sanch. cit. l. 2. diſ. 8. n. 2. Laym. l. 5. tr. 10. p. 2. c. 2. n. 1.*

LXXII. Reſpondetur 3. Matrimonium interfideles, ſeu baptizatos eſt verè, ac propriè dictum Sacramentum novæ legis à Chriſto inſtitutum. Eſt de fide, ac definitum in Concilio Tridentino *Seſſ. 24. de Sacram. matr. can. 1.* contra Lutheranos, & alios Sectarios. Probatur 1. Ex Apoſtolo ad *Epheſ. 5.* Ubi expreſsè matrimonium appellatur Sacramentum: cùm enim dixiſſet Apoſtolus: *propter hoc relinquet homo patrem, & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ* (per conjunctionem matrimonialem) *& erunt duo in carne una*, ſubjungit, *Sacramentum hoc magnum eſt; ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia*, quia ſcilicet per matrimonium ſignificatur conjunctio Chriſti ſpiritualis per gratiam, & charitatem cum Eccleſia, conſequenter Deus inſtituit, ut matrimonium contrahentibus ſpiritualis gratia conferretur, ſine qua recta, ac debita conjunctio animarum inter conjuges conſiſtere non poteſt. Eſt ergo matrimonium Sacramentum, quia eſt ſignum rei ſacræ, eſt enim expreſſum, & viſibile ſignum unionis Chriſti cum ſponſa Eccleſia per charitatem, & confert gratiam, ut habetur in *cit. can. 1.* Idque confirmatur, quia cùm matrimonium ex Chriſti lege *Matth. c. 5. & 19.* ſit vinculum perpetuum, & indiſſolubile permanendi cum conjuge ſterili, morbida &c. eſſet hoc jugum intolerabile, niſi idem Chriſtus promiſſionem gratiæ Divinæ annexuiſſet ad onera matrimonii ſuſtinenda, concupiſcentiæ ardoremi extinguendum, liberos piè educandos &c. Deus autem in neceſſariis non deficit, *Sanch. cit. l. 2. diſ. 10. n. 2. Tanner. c. l. n. 21.* Non obſtat, quòd Eccleſia poſſit irritare matrimonium, & tamen Sacramentum irritare non poteſt, nam irritat matrimonium v. g. clandeſtinum, quatenus eſt civilis contractus, quo irrito, deſinit etiam Sacramentum ei annexum: ſicut irritat Eccleſia etiam Sacramentum pœnitentiæ, rollendo jurisdictionem neceſſariam ad abſolutionem à peccatis.

LXXIII. Potro quod attinet ad tempus, quo inſtitutum eſt hoc Sacramentum, de eo non ſatis conſtat; aliqui putant *Ioan. 2.* in nuptiis factis in Cana Galilææ approbatum fuiſſe; inſtitutum autem *Matth. c. 19.* dum Chriſtus illud approbavit, ejúsque

ejúsque inſeparabilitátem præcepit, dicens: *quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*, *Sanch. cit. l. 2. diſ. 4. n. 5.* & alii apud ipſum: *Tanner.* verò *cit. diſ. 8. q. 2. dub. 2. n. 26.* exiſtimat, inſtitutum tempore XL. dierum, quibus Chriſtus, poſt paſſionem ſuam, præbuit ſe ipſum vivum Apoſtolis, & loquens de Regno DEI, hoc eſt, de pertinentibus ad ſtatum Eccleſiæ, *Actor. 1.*

LXXIV. Reſp. 4. Matrimonium inter fideles, & baptizatos nunquam poteſt initi, ſine Sacramento, nec ab eo ſeparati, *Sanch. cit. l. 2. diſ. 10. n. 6.* Ratio eſt, quia Chriſtus contractum matrimonii ad Eſſe, ſeu rationem Sacramenti elevando, ita hæc inſeparabiliter conjunxit, ut ſeparari nullo modo poſſint. Quare volentes ita contrahere matrimonium, ut abſolutè, & nullo modo velint ſuſcipere Sacramentum, nihil efficiunt, intentio enim hæc poſterior priorem elidit, ac deſtruit: cùm Eſſe, ſeu ratio Sacramenti, ex Chriſti inſtitutione ſit inſeparabilis à contractu matrimonii. Aliud eſt, ſi Acatholici contrahentes matrimonium, propter errorem ſpeculativum, quo putant, matrimonium non eſſe Sacramentum, nolunt ſuſcipere Sacramentum: ita tamen ut velint contrahere eo modo, quo ſolent fideles, & Chriſtiani, & in Eccleſia Chriſti conſuetum eſt: hi enim nihilominus ſuſcipiunt Sacramentum, ita ut tale matrimonium diſſolvi non poſſit: quia cùm ratio Sacramenti, ex Chriſti inſtitutione, ſit matrimonio inſeparabiliter annexa, non poteſt illud, privatâ, ac peculiari intentione, vel errore contrahentium à matrimonio ſeparari: aliàs enim etiam inter Catholicos, & Orthodoxos privatâ intentione matrimonium à Sacramento ſeparari poſſet. Unde ulteriùs ſequereretur, quòd hujusmodi matrimonia non eſſent omnimodè indiſſolubilia, quia omnimoda inſeparabilitas deſumitur à ratione Sacramenti, ut infrà dicetur, & notat *Tanner. cit. diſ. 8. q. 2. dub. 3. n. 47.*

LXXV. Quæritur 2. Quæ ſit materia, & forma Sacramenti matrimonii? Variæ ſunt hac de re Auctorum ſententiæ, quibus omiſſis, Reſpondetur, materia circa quam, ſive remota ſunt ipſa corpora contrahentium, ut docet *Henriq. in Summa lib. 11. c. 2. §. 4.* quia corpora habent ſe in matrimonio, ſicut aqua in Baptismo, & peccata in Sacramento pœnitentiæ, quæ ſunt materia remota, nam circa corpora contrahentium verſatur mutua traditio, & acceptatio. Materia verò proxima eſt ipſa traditio corporum: forma verò eſt mutua acceptatio verbis, vel aliis ſignis expreſſa: ſive quod ferè in idem recidit, verba, ſeu ſigna, quibus conſenſus exprimitur, ſive potiùs ipſe conſenſus mutuus utriúsque conjugis ſignis externis expreſſus, quatenus habet rationem traditionis, eſt materia: quatenus verò habet rationem acceptationis, eſt forma, adeoque hi duo conſenſus utriúsque conjugis ſunt ſibi invicem materia, & forma, ſecundùm diverſas rationes, ita *Sanch. l. 2. diſ. 5. n. 6. Tanner. cit. diſ. 8. q. 2. dub. 2. n. 37.* Probatur, quia illud eſt tanquam materia in aliquo contractu, quod habet rationem indeterminati, & imperfecti: illud verò eſt tanquam forma, quod habet rationem determinantis, & perficientis: proprium enim formæ eſt determinare materiam, eámque perficere: atqui conſenſus verbis expreſſus, per quem fit traditio corporum, ſive ipſa mutua traditio verbis, vel aliis ſignis expreſſa, per quam quilibet conjugum tradit ſui corporis poteſtatem alteri, antequam acceptetur, eſt ex ſe imperfecta, inefficax, & indeterminata, ut rata ſit, vel irrita: accedente autem acceptatione, quâ quilibet acceptat traditionem ſibi per alterum factam, perficitur, & determinatur ipſa traditio, ut ſit rata, & efficax ad producendam obligationem matrimonialem, ergo mutua traditio, ſive verba illam exprimentia, aut quod idem eſt, conſenſus verbis expreſſus, prout importat traditionem corporum, habet rationem materiæ: & mutua acceptatio per verba illam exprimentia, ſive conſenſus verbis expreſſus, prout importat acceptationem, habet rationem formæ. Paulò aliter loquitur de hac re *Laym. cit. p. 2. c. 2. n. 2.* Ubi ait, materiam Sacramenti matrimonii eſſe corpora conjugum mutuò tradenda: formam verò eſſe verba conjugum contrahentium. Idque probatur 1. quia inquovis contractu materia dicitur illa res, quæ in commutationem venit, ſive de qua contractus inſtituitur, ut in venditione merx, & pretium ſunt materia: ſed in contractu matrimonii agitur de corporibus viri, ac fœminæ ſibi invicem tradendis; ergo hæc ſunt materia hujus contractûs. Deinde conjuges mutuo conſenſu conjuncti, ſive copulati, ſunt externum ſacrum ſignum ſpiritualis perpetuæ conjunctionis inter Chriſtum, & Eccleſiam, adeoque ſunt pars Sacramenti, & quidem ſubjectiva, ſive materialis: verba autem, per quæ hæc viri, & fœminæ conjunctio expreſsè ſignificatur, ſunt pars formalis, ſive forma hujus Sacramenti.

LXXVI. Quæritur 3. Quis ſit miniſter Sacramenti matrimonii, & an Sacerdos? Reſp. Ipſi contrahentes, ſeu conjuges ſunt miniſtri hujus Sacramenti, non Parochus, ut eſt communis, ac certa ſententia apud *Sanch. l. 2. diſ. 6. n. 2.* Probatur 1. quia ille eſt propriè miniſter Sacramenti, qui formam verborum profert, quibus Sacramentum conficitur: at conjuges proferunt verba, quibus Sacramentum matrimonii conficitur, ergo ipſi ſunt miniſter. Deinde cùm matrimonium ſit contractus, cujus naturam Chriſtus elevando illum ad rationem Sacramenti, non immutavit, ideo ſequitur aliorum contractuum naturam; ſicut ergo in aliis contractibus ipſi contrahentes efficinnt contractum: ita etiam in contractu matrimoniali, idem eſt miniſter conferens Sacramentum, qui eſt miniſter efficiens contractum. Nec obſtat, quòd in cæteris Sacramentis miniſter ſit Sacerdos, ex inſtituto per Sacri Ordinis ſuſceptionem ordinatus, ut ſit miniſter Sacramentorum: nam ſicut illud ſpeciale eſt, ac proprium Sacramenti matrimonii, quòd conſiſtat in contractu ipſorum ſuſcipientium: ita etiam ſpeciale, ac proprium eſt ejusdem, quòd ipſimet ſuſcipientes hoc Sacramentum ſint ejusdem Miniſtri, non alii, *Tanner. cit. diſ. 8. q. 3. dub. 1. n. 1. & 2.*

LXXVII. Ubi notandum, cùm matrimonium in nova lege Evangelica ſit Sacramentum à Chriſto inſtitutum, ad cujus eſſentiam requiritur, materia, forma, & miniſter, cum intentione faciendi, quod intendit facere Eccleſia, ut patet ex Concilio Florentino in Decreto Eugenii IV. pro inſtructione Armenorum, hinc videtur nullus alius aſſignari poſſe Miniſter

Digitized by Google

Miniſter hujus Sacramenti, quàm aſſiſtens matrimonio Sacerdos, adeo ut ſine ejus conſenſu, contractũ, non ſit Sacramentum. Sed oppoſitum omnino eſt renendum, quia cùm Eccleſia Catholica ſemper docuerit, matrimonium eſſe Sacramentum, atque definitum ſit, matrimonium clandeſtinum ſemper fuiſſe verum matrimonium, ſequitur ſimiliter definitum eſſe, matrimonium clandeſtinum eſſe Sacramentum, etiam ſine parocho initum, uti olim ante Coucil. Trident. initum fuit: adeoque Parochi præſentiam non requirì ad valorem Sacramenti matrimonii, ut ipſe tanquam legitimus Miniſter Sacramentum adminiſtret; cur autem Parochus adhiberi debeat, infrà dicetur *Tit.* 3. Nec refert, quòd Parochus, dum aſſiſtit contractui mattimoniali, dicat ex præſcripto Concilii Trident. *Seſſ. 24. c. 1. de reform. matr. Ego vos in matrimonium conjungo, in nomine Patris &c.* quia hæc verba proferuntur à Sacerdote, non tanquàm Miniſtro Sacramentum adminiſtrante, ſed declarante, ſeu confirmante, quod inter ipſos contrahentes ſit, vel factum eſt, adeoque id non efficit, ſed confirmat, ſeu approbat, *Sanch. cit. diſ. 6. n. 6.* Quamvis Sacerdos aſſiſtens etiam aliis verbis uti poſſit, juxta receptum cujuscunque Provinciæ ritum, ut additur in Concil. Trident. *cit. c. 1.*

LXXVIII. Quæritur 4. Utrùm matrimonium, inter abſentes, per Procuratorem, vel Epiſtolam contractum, ſit validum, & an ſit Sacramentum? Reſp. 1. Matrimonium initum per Procuratorem fuit validum, ante Concilium Tridentinum, ut conſtat ex *c. ult. de Procuratorib. in 6.* & ratio eſt, quia Chriſtus elevando mattimonium ad rationem Sacramenti, non immutavit ejus naturam: ergo quicquid ſufficit ad rationem contractûs mattimonialis, ſufficit etiam inter Chriſtianos ad rationem Sacramenti: ſed alii contractus, ſuapte naturâ, poſſunt celebrari inter abſentes per Procuratorem; ergo etiam Sacramentum matrimonii, *Sanch. l. 2. de matr. diſ. 11. n. 2.* Ad hoc autem requiruntur in *cit. c. ult.* tres conditiones: prima eſt, ut habeat Procurator ſpeciale mandatum ad matrimonium contrahendum, loco alterius, & quidem cum certa perſona. 2. Ut per ſe ipſum hoc negotium peragat, nec alium ſubſtituat, niſi hoc expreſsè in mandato ſit ei conceſſum, quia cenſetur electa induſtria perſonæ. 3. Ut tempore intermedio mandatum non revocetur, ſed hæc de replura dicta ſunt ſuprà *libr. 1. Tit. 38. §. 4. n. 26. & pluribus ſeqq.*

LXXIX. Ubi præterea notandum 1. matrimonium contractum per Procuratorem eſt validum, etiam in locis, ubi Concilium Trident. eſt receptum, modò contraheutes ſuum conſenſum coram Parocho, & teſtibus, per ſuos Procuratores, tanquam per ſuos interpretes, exprimant. Eſt communis ſententia, & patet ex praxi Eccleſiæ uſitata, præſertim inter Principes Chriſtianos. Probatur 1. quia Concilium Trident. ideo ſolùm irritavit matrimonia clandeſtina, eò quòd in facie Eccleſiæ probari non poſſint, ex quo multa, & gravia ſequi conſueverant incommoda: atqui matrimonium contractum per Procuratorem publicè, id eſt, coram Parocho, & teſtibus, poteſt probari in facie Eccleſiæ; ergo non irritavit Concilium tale matrimonium. Porro etſi non requiratur, ut Procurator accipiat mandatum coram Parocho, & teſtibus, neceſſarium tamen eſt, ut hi ſive ex litteris inſtrumenti, ſive ex aliis ſufficientibus indiciis cognoſcant mandatum Procuratoris ad contrahendum matrimonium, aliòquin enim nec intelligent, nec in foro externo teſtari poterunt, matrimonium inter conjuges contractum eſſe, *Coning. tract. de Sacram. diſ. 24. dub. 9. num. 78.*

Notandum 2. Ut quis validè contrahat matrimonium per Procuratorem, non requiritur, ut tunc, quando ſit contractus, utatur tatione, ſed ſatis eſt, quòd compos rationis, ac liberè illud mandatum dederit, nec id poſtea revocaverit: unde etiamſi poſtmodum, tempore contractûs, principalis contrahens dormiat, vel ebrius, aut amens ſit, adhuc externus contractûs Procuratoris eſt verè liber, & humanus (modò Procurator dum actu contrahit, ratione utatur) quia à libero mandato principalis contrahentis imperatus fuit, qui ſolus actus, ex parte mandantis, in illum contractum per Procuratorem geſtum influit: omnes autem actus ſequentes mandantis, per quos mandatum non revocatur, ſunt impertinentes: ſecus eſt, ſi quis in ebrietate, vel amentia per ſe ipſum contraheret matrimonium, tunc enim nihil ageret, etſi antè intendiſſet contrahere, dum ebrius, vel amens eſt. quia hoc caſu externus contractus matrimonii non eſt liber, & humanus, *Coning c. l. n. 71.*

LXXX. Reſpondetur 2. Matrimonium per Procuratorem contractum eſt Sacramentum conferens gratiam, ex certa, & communi ſententia apud *Sanch. cit. diſ. 11. n. 27.* & alii apud ipſum. Probatur nàm omne matrimonium legitimum inter baptizatos eſt Sacramentum, quia Chriſtus elevans contractum naturalem matrimonii ad Eſſe Sacramenti, nihil aliud requiſivit in baptizatis, quàm id, quod requiritur ad legitimum contractum matrimonii: ſed matrimonium initum per Procuratorem eſt legitimus contractus; ergo etiam eſt validum Sacramentum. Confirmatur, quia Concilia Generalia dicunt, matrimonium, quod ante legem Evangelicam erat metus contractus naturalis, eſſe modò Sacramentum: ſed matrimonium, ut contractus, & ut Sacramentum, eſt idem numero, & reipſa, & ſolùm differunt, quia prout reſpicit vinculum contrahentium, dicitur contractus: prout autem elevatum eſt à Deo ad repræſentandam unionem Chriſti cum Eccleſia per charitatem, dicitur Sacramentum: ſi ergo, ut contractus, poteſt celebrari per Procuratorem, poterit etiam, ut Sacramentum: *Sanch. c. l. num. 27.* Porro quando matrimonium initur per Procuratorem, ipſe Procurator non eſt Miniſter, nec in ipſo recipitur Sacramenti, nec verba ipſius ſunt materia, & forma Sacramenti, ſed ipſi principales contrahentes, *Sanch. c. l. n. 28.* & patet ex ſuprà dictis. Non obſtat, quòd abſolutio Sacramentalis non poteſt dari abſenti, ſicut nec alia Sacramenta conferri poſſunt abſentibus. Sed reſpondetur, judicium externum poteſt inſtitui inter abſentes, quia perſonæ hujus judicii ſunt diſtinctæ, ut actor, reus & teſtis. Judicium verò pœnitentiale eſt judicium internum, & occultum, in quo pœnitens eſt ſimul accuſator, reus, & teſtis, & à præſenti diſpoſitione pœnitentis neceſſariò dependet, ideòque præſentiam Miniſtri,

Digitized by Google

ac pœnitentis requirit, *Tanner, cit. dis.* 8. *q.* 2. *dub.* 3. *n.* 47. Deinde id ſpeciale eſt in matrimonio, quod cùm ſit contractus, ſequitur naturam aliorum contractuum, qui inter abſentes celebrari poſſunt, ergo & matrimonium. Neque etiam obſtat, quòd indeſequeretur, aliquem abſentem, non ſolùm dormientem ſuſcipere Sacramentum, & recipere gratiam ex opere operato, ſed etiam illud miniſtrare, & conficere. Ad hoc dicendum, neutrum eſſe inconveniens. Non primum, quia etiam alia Sacramenta, ut Baptiſmus, pœnitentia, & abſolutio, ac extrema Unctio poſſunt recipi à dormiente, qui ea vigilans deſideravit. Neque verò matrimonium phyſicè cauſat gratiam, ſed ſolùm moraliter, & ſic dum Procurator contrahit matrimonium, conſenſus principalium etſi tranſiverit, ſunt adhuc præſentes moraliter, & operantur, ut cauſa moralis. Neque ſecundum eſt inconveniens in Sacramento, quod conſiſtit in contractu, talis enim Miniſter operatur ex virtuali intentione, quando Procurator operatur, juxta ejus mandatum non revocatum, *Sanch. cit. dis.* 11. *n.* 32.

LXXXI. Reſpondetur 3. Etiam poſt Concilium Tridentinum validè poteſt contrahi matrimonium per Epiſtolam, *Sanch. l.* 2. *de matr. diſ.* 12. *n.* 3. & alii. Probatur, quia non eſt inducenda Jurium correctio, ſine neceſſitate: hìc autem nulla eſt neceſſitas, cùm poſſint ſervari omnia præſcripta à Concilio Tridentino ad valorem matrimonii. Veluti ſi in litteris quis ſcribat, ſe non tantùm de præſenti in Annam v. g. conſentire tanquam in uxorem, ſed etiam ipſius viciſſim conſenſum ex nunc acceptare, ipſo tempore, quo illum præſtabit: tali enim Epiſtolâ lectâ coram Parocho, & teſtibus, & Annâ coram iisdem conſentiente, adſunt omnia requiſita ad matrimonium, ſecundùm Concil. Trident. *Sanch. cit. loc. n.* 3. Ubi etiam alium modum contrahendi matrimonium per litteras ponit: ut ſi Titius, qui accepit Epiſtolam ab Anna, reſcribat mittenti, ſe accepiſſe litteras ab illa, in quibus de præſenti conſentit in ipſum tanquam in maritum; & ſimiliter ſe conſentire in ipſam, tanquam in uxorem, tunc enim ſi Epiſtola iſta legatur coram Parocho, & Teſtibus, & coram illis Titius conſenſum exprimat, validum eſt matrimonium, quia conſtat Parocho, & teſtibus de mutua traditione, & acceptatione traditionis utriúsque conjugis. Quòd autem hujusmodi matrimonium ſit etiam Sacramentum, conſtat ex ſuprà dictis.

§. III.

De conſenſu requiſito ad matrimonium.

LXXXII. Quæritur 1. Quomodo conſenſus internus debeat neceſſariò exteriùs exprimi? Reſp. Ad valorem matrimonii non eſt ſatis, ut contrahentes in obligationem conjugalem de præſenti conſentiant, ſive internum conſenſum habeant, ſed Jure quoque naturali requiritur, ut exprimant hunc conſenſum, eúmque mutuò acceptent, prout conſtat ex *c. Licèt. 3. de ſponſa duorum*, ubi poſtquam dictum eſt, matrimonium contrahi per legitimum conſenſum de præſenti inter virum, & mulierem, ſubjungitur; *ita ut unus alterum, cum mutuo conſenſu verbis conſuetis expreſſo, recipiat*, vel aliis ſignis externis, ut ſuprà dictum. Ratio eſt, quia nullus humanus contractus initi poteſt, niſi utriúsque contrahentis voluntas exprimatur, & mutuò ſibi innoteſcat, *Tanner. cit. dis.* 8. *q.* 3. *dub.* 5. *n.* 88. Non eſt autem neceſſarium ad valorem matrimonii, ut actualis utriúsque conjugis conſenſus ſimul, & eodem tempore exprimatur, modò ſecundùm moralem æſtimationem, non nimis longum temporis intervallum intercedat, & conſenſus prioris conjugis intetea non ſit expreſsè, vel tacitè revocatus, *Sanch. l.* 2. *dis.* 32. *n.* 3. & 7. *Coninck. tract. de Sacram. diſ.* 24. *dub.* 7. *n.* 15. Ratio eſt, quia etiam in aliis contractibus, non eſt neceſſe, ut utriúsque conſenſus actu ſit ſimul, quia aliàs inter abſentes celebrari non poſſent: mattimonium autem ſequitur naturam contractuum aliorum. Deinde idem etiam ſit in Sacramento Pœnitentiæ, in quo confeſſio, quæ eſt pars materialis hujus Sacramenti, multo tempore poteſt præcedere abſolutionem, quæ eſt ejus forma: quantum autem temporis debeat efluxiſſe, ut prioris conſenſus cenſeatur revocatus, nec virtute manere, non poteſt generatim definiri, ſed prudentis arbitrio, ex variis citcumſtantiis conſiderandum relinquitur. *Coninc. c. l. n.* 58. Requiritur tamen ad valorem matrimonii, ut utriúsque conjugis conſenſus, ſaltem habitualiter exiſtat, quia aliòquin non poſſet ex utriúsque partis conſenſu unus contractus conſtitui, *Coninc. l. n.* 56.

LXXXIII. Quæritur 2. An quando matrimonium fuit irritum, quia alter conjugum fictè, vel gravi metu coactus conſenſit, tunc ſufficiat, ſi hic ſolùm poſtea conſenſum in matrimonium renovet: an verò neceſſe ſit, ut uterque denuo conſentiat? Reſp. Probabilius eſt, ſatis eſſe, ſi ille, qui illegitimè conſenſit, denuo conſentiat, nam cùm alterius conſenſus fuerit validus, ac legitimus, is que virtualiter, ſeu habitualiter adhuc perſeveret, nec revocatus ſit, ut ſupponitur, adeoque ex parte illius nihil deſideretur: ſolus autem deficiat conſenſus illius, qui fictè, aut ex metu conſenſit, conſequens eſt, accedente legitimo conſenſu ex parte hujus, matrimonium convaleſcere, *Sanch. cit. l.* 2. *diſ.* 32. *n.* 9. Secus eſt, ſi uterque fictè, aut ex gravi metu invalidè conſenſiſſet, tunc enim debet uterque conſenſum renovare, quia cùm uterque conſenſus fuerit omnino nullus, per inde eſt, ac ſi matrimonium penitus non eſſet contractum. Idémque, ſi matrimonium irritum ſit, ob aliquod impedimentum dirimens, *Sanch. c. l. num.* 11.

LXXXIV. Quæritur 3. Si aliqui contrahunt ſponſalia, vel matrimonium per verba obſcura, quomodo ea ſint intelligenda? Reſp. Si verba contrahentium ſponſalia, vel matrimonium, ſint obſcura, ſecundùm communem ſignificationem, ſeu loquendi modum intelligenda ſunt, prout ſumitur ex *c. Ex literis. 7. h. t.* Ubi cùm conſultus fuiſſet Papa Alexander III. quid debeat obſervari, quando inter aliquos ſponſalia (de præſenti, ut patet ex contextu) contrahuntur, ita ut alter non intelligat, quod alter proponit? Reſpondet Papa, quòd Judex inſpicere debet, an tales ad contrahendum matri-

» matrimonium ſint idonei, ſcientiâ (id eſt, diſcre-
» tione) & ætate: quo cognito, ſi alter non intel-
» lexit, quod alter propoſuit, ad communem ver-
» borum intelligentiam recurrendum eſt: & uter-
» que cogendus eſt, verba prolata in eo ſenſu retine-
» re, & ſervare, quem ſolent apud rectè intelligen-
» tes habere.

LXXXV. Ubi notandum 1. Duo neceſſariò requiruntur in contractibus matrimoniorum, inprimis ſcientia, ſive judicium diſcretionis, quo quis intelligat, quid agat: unde furioſi, amentes, & ebrii, ſi tanta ſit ebrietas, ut uſu rationis privet, matrimonium contrahere non poſſunt, *c. Neque. 26. cauſ. 32. q. 7.* de quo dictum ſuprà *n. 10. h. t.* Deinde requiritur ætas legitima, nempe pubertatis, quæ in maſculo incipit poſt XIV. annum, & in fœmina poſt XII. niſi malitia, ſive ſagacitas naturæ ſuppleat ætatem, de quo pluta *Tit. ſeq.*

Notandum 2. Si intentio, ſeu conſenſus internus deſit, nulla ſponſalium, aut matrimonii ortur obligatio, in foro interno, & coram DEO, qualiacunque ſint verba: & è converſo, ſi adſit intentio ſe obligandi vinculo ſponſalium, aut matrimonii, eâque manifeſtetur ſigno aliquo externo, ita ut ambo contrahentes intelligant, ſe mutuò velle contrahere ſponſalia de præſenti, vel matrimonium, id ſatis eſt, qualiacunque ſint verba, *Sanch. l. 1. de matr. diſ. 18. num. 2.*

Notandum 3. In foro externo, ſi de verborum interpretatione dubitetur, non ſtatur intentioni contrahentium, quia ea Eccleſiam latet; ſed ea interpretanda ſunt, ſecundùm communem loquendi uſum, ſive eo ſenſu, quo communiter à rectè intelligentibus accipiuntur, ut dicitur in hoc c. *Sanch. c. l. n. 4.* non enim ex opinionibus ſingulorum, ſed ex communi uſu loquendi verba æſtimanda ſunt, *l. Labeo. 7. ff. de ſuppell. legat.*

Notandum 4. Etſi verba loquentium ſint intelligenda, ſecundùm eorum intentionem, quia verba intentioni deſerviunt, & non intentio verbis, verba enim inventa ſunt, ut per ea intentionem quis ſuam exprimat, *c. Humanæ. 11. cauſ. 22. q. 5. c. Intelligentia. 6.* & ibi *Gl. infr. de V. S.* Excipi tamen debet, niſi tempore contractûs conſtet, aliam fuiſſe mentem contrahentium, ut ſi aliqui rudes, & ſimplices, exiſtimantes matrimonium non eſſe contractum perpetuum, vellent tantùm ad tempus inter ſe contrahere matrimonium, & ad cohabitandum conjugaliter ſe obligare, non in perpetuum, ſive uſque ad mortem, idque ſufficienter exprimerent: tale enim matrimonium foret nullum, propter defectum perpetui conſenſûs, qui ad validum matrimonium requiritur, *c. Solet. 6. cauſ. 32. q. 2. Caniſ. in cit. c. Ex literis. 7. n. 4. h. t.*

Notandum 5. Si matrimonium ſit contractum per interpretem, ſicut fieri poteſt, cùm & cæteri contractus poſſint celebrari per interpretem, *l. 1. §. fin. ff. de V.O.* tum integra fides danda eſt interpreti, cùm fuerit communi conſenſu contrahentium electus: & ſi dubium incidat ex eo, quia alter contrahentium dicit, ſe non intellexiſſe verba interpretis, ad communem ſenſum, ſeu ſignificationem verborum recurrendum eſt, juxta *cit. c. Ex litteris.* & ibi *Gl. V. Intellexeris. h. t. Covarr. in Epitom. libr. 4. Decret. p. 2. c. 4. §. 1. num. 3. Sanch. libr. 3. de matrimon. diſ. 39. n. 3. & 4.*

LXXXVI. Quæritur 4. An ſit verè matrimonium contractum, quando vir & mulier ſibi invicem promittunt, quòd ex eo tempore habebunt ſe pro Conjugibus, & ſidem ſibi invicem conjugalem ſervabunt? De hac re agitur in *c. Ex parte. 9. h. t.* Nam cùm quidam Andreas nomine, juraſſet mulieri C. » quòd eam ab eo tempore pro Conjuge teneret, & » ei ſicut uxori ſuæ fidem ſervaret; ipsâque viciſſim » ſimiliter juraſſet Andreæ, ſe illum pro marito ha- » bituram, & fidem ei tanquam viro ſuo ſervatu- » ram: quo facto, dictus Andreas nihilominus ean- » dem reliquit (ſupple, & cum alia contraxit, *Gl. » hic V. Eandem.*) Quare mandat Pontifex Abbati- » bus à ſe delegatis, ut eundem ſuperinductâ dimiſ- » sâ, ad uxorem ſuam redire, monitione præmiſſâ, » per Eccleſiaſticam cenſuram cogant, quia nemini » licet, ſine manifeſta cauſa fornicationis, uxorem » ſuam dimittere: & tunc vel ipſam ſibi reconcilia- » re, vel ſe continere debet, ipsâ vivente. »

LXXXVII. Notandum 1. Si vir, & mulier juraverint (ut in caſu hujus c.) vel etiam ſine juramento promiſerint, per verba importantia executionem (quæ ſonant de futuro, ſed ſignificant conſenſum de præſenti) ſe invicem pro Conjugibus habituros, vel mutuâ fidem conjugalem ſervaturos, tunc inter eos cenſetur matrimonium contractum, prout ſumitur ex hoc c. ut ſi dicit: *ex nunc, vel ab hoc tempore, vel deinceps habebo te pro uxore, vel tractabo te ſemper ut uxorem*, quia verba hæc, etſi ſint futuri temporis quoad ſonum, tamen reipsâ important conſenſum de præſenti, ſi enim quis promittat, quòd ex nunc, & deinceps ſemper hanc fœminam habebit pro uxore, ſeu tractabit ut uxorem, ergo modò eſt uxor ipſius, *Sanch. l. 1. de ſpons. diſ. 18. n. 14.* Quamvis verò in *cit. c. Ex parte.* in reſponſione mulieris non apponantur hæc verba, *ab hoc tempore*, quæ faciunt, ut conſenſus de futuro importet conſenſum de præſenti, tacitè tamen ſubintelliguntur, cùm reſpondeat, juxta præcedentia verba viri, *Sanch. cit. l. n. 21.*

Notandum 2. Per hujuſmodi verba, *habebo te in uxorem*, vel *promitto, quòd ducam te in uxorem*, non matrimonium, ſed tantùm ſponſalia de futuro contrahuntur, quia non continent tempus præſens, ſed tantùm futurum: verba enim, quæ competunt contrahendo matrimonio, ſi proferantur in futuro tempore, non deſignant matrimonium de præſenti contractum: Ut ſi Petrus dicat Annæ, *habebo te in uxorem*, illa verba poſſunt intelligi eſſe vera, quamvis Petrus illam non habeat in uxorem: ergo non ſunt neceſſariò referenda ad matrimonium præſenti conſenſu contractum, *Covarr. cit. c. 4. §. 1. n. 5.* apud quem plura de hujuſmodi verborum formulis videri poſſunt, & dictum etiam ſuprà *ſec. 1. §. 1. n. 7.*

LXXXVIII. Quæritur 5. An matrimonium contractum, non ſervatâ lege, vel conſuetudine loci, ſeu Regionis, in qua matrimonia celebrari ſolent, ſit validum? Reſp. de hac quæſtione agitur in *c. De Francia. 1. h. t.* Ubi refertur, quòd quidam » ex Francia Orientali, ſive Franconia duxit nobi- » lem mulierem ex Saxonia oriundam, in uxorem, » ſecundùm legem, ſeu morem Saxonum; ſed quia » eam non ſecundùm legem, ſeu conſuetudinem »

Franco-

Digitized by Google

art. 5. in Corp. ubi ait, quòd inferior non tenetur obedire ſuo Superiori, ſi ei aliquid præcipiat, in quo ei » non ſubditur: indéque infert, quòd homo in iis, » quæ ad naturam corporis pertinent, non tenetur » homini obedire, puta in ijs, quæ pertinent ad ho» minis ſuſtentationem, & prolis generationem: » unde non tenentur filii parentibus obedire de ma» trimonio contrahendo, vel virginitate ſervanda, ita *S. Thom.* ergo cùm quoad matrimonium ineundum, filius non ſubjaceat poteſtati patris, ſequitur, quòd per ſe loquendo, & ſpectatâ ſolùm auctoritate paternâ, & ſubjectione filiorum, poſſit etiam filius, ſine conſenſu patris, licitè matrimonium inire: quia etſi gravis injuria ſit, ſi filius, patre inconſulto, contrahat matrimonium, non tamen ſi ipſo conſulto, etſi non conſentiente, quia utitur jure ſibi conceſſo, *Sanch. cit. diſ.* 23. *n.* 12.

XCII. Veruntamen negari non poteſt, quin peccent liberi, ſi absque juſta cauſa, ſine conſenſu parentum, matrimonium contrahant: imò propter extrinſecas cauſas, ſeu circumſtantias occurrentes, regulariter non poſſunt liberi licitè matrimonium inire, ſine conſenſu parentum, ut quia parentes gravem cauſam habent impediendi matrimonium liberorum, quia v. g. volunt matrimonium inire cum perſona inæquali, vel infami, non ſine dedecore familiæ, vel ex alia cauſa: ob juſtam verò cauſam poſſunt liberi, etiam parentibus non conſentientibus, vel ignorantibus, matrimonium inire, ut ſi parens liberos jam adultos, & in periculo incontinentiæ conſtitutos, nolit in matrimonio honeſto collocare. *Sanch. cit. diſ.* 23. *n.* 4. Sed dices, parentes poſſunt irritare vota filiorum, *c.* 30. *Numer. verſ.* 4 ergo multò magis poſſunt irritare contractum matrimonii ab illis initum: ſi enim promiſſio facta homini per matrimonium, idque ob cauſas ſuprà allatas, *Becan. tr. de Sacrament. c.* 45. *n.* 5.

XCIII. Ad poſteriorem quæſtionem reſpondetur, ſi pater injuſtè detineat uxores filiorum, per cenſuram Eccleſiaſticam compelli debet, ut intra certum tempus, illas reſtituat ſuis maritis, prout ſumitur ex *c. Non eſt.* 11. *h.t.* Nam cùm Rex Angliæ, » propter diſcordiam inter ipſum, & filios ſuos exortam, uxores eorum detineret, mandat Pontifex Epiſcopis, & aliis Prælatis Angliæ, ut quia juſtum eſt, ut viri uxores ſuas petant, Regem moneant ad eas reſtituendas: & ſi intra certum tempus, eaſdem non reſtituerit, ex tunc in quacunque Provincia Regni uxores illæ detineantur, vel etiam transferantur, donec ibi fuerint, nulla Divina Officia (præter Baptiſmum parvulorum, & Pœnitentiam morientium) celebrentur, vel celebrati permittantur. Ubi addit *Gl. in. Et præter Communionem*, ſive Euchariſtiam, quæ Viaticum appellatur.

XCIV. Notandum 1. Etſi per matrimonium filii, vel filiæ non eximantur à patria poteſtate, ſed maneant in poteſtate patris ſui, §. *fin. Inſtit. de patr. poteſt. l.* 2. §. 1. *ff. ſoluto matrim.* non tamen uxores eorum ſubijciuntur poteſtati ſoceri, cùm id nullo jure ſit expreſſum, ut in caſu hujus *c.* uxores filiorum Regis Angliæ non fuerunt ſubjectæ ipſi Regi, ideòque non potuit illas detinere contra voluntatem filiorum maritorum, imò neque ipſi filii in his Regi erant ſubjecti, quia in matrimonio, aliiſque cauſis ſpiritualibus non cenſetur filiusfam. eſſe in poteſtate patris, *c. ult. de Iudic. in 6.* & ſi filius poteſt liberè diſponere de bonis caſtrenſibus, etiam patre invito, multò magis in rebus ſpiritualibus liber eſt à patria poteſtate, *Abb. hic n.* 1.

Notandum 2. Si uxor adhuc in poteſtate patris ſui exiſtens, invita ab eo detineatur, poteſt maritus contra eundem patrem agere interdicto ad exhibendam, & abducendam uxorem ſuam, *l.* 2. *ff. de liber. exhibend. & l.* 3. *C. eod. l. Si invita.* 12. *C. de nupt.* ut in caſu hujus *c.* poſſunt filii Regis uxores ſuas repetere per interdictum de liberis exhibendis, *Gl. hic V. Vxores*, quia in hac re fortius eſt vinculum matrimonii, quàm patriæ poteſtatis, *l.* 1. *in fine. ff. eod.* Si verò uxor nolens detineatur à patre, vel alio quopiam, poteſt maritus, implorato officio Judicis, vel Epiſcopi loci, petere, ut ad illum redeat, *l. fin. ff. de liber. exhibend. Gl. hic. V. Vxores.*

Notandum 3. Sive uxor detineatur invita, ſive volens, maritus poteſt adire Judicem, ſive Eccleſiaſticum, ſive etiam ſæcularem, & petere eam ſibi reſtitui: quia quamvis quando agitur de jure matrimonii, vel iis, quæ ad ſubſtantiam illius pertinent, an legitimè ſit contractum, ſolus Judex Eccleſiaſticus ſit competens Judex, *c.* 2. *de Iudic. c. Lator.* 5. *& c. Cauſam.* 7. *Qui filii ſint legitimi.* Secus verò eſt, cùm agitur de recuperanda, ſeu reſtituenda uxore, & ſic quaſi poſſeſſorium inſtituitur: tunc enim æquè Judex ſæcularis adiri poteſt, quàm Eccleſiaſticus, *Abb. hic n.* 6. Ad Eccleſiaſticum verò Judicem pertinet etiam de hac re judicare, ratione peccati, quod uxor committit, ſubtrahendo ſe mariro, ſi volens detineatur penes alium, *Caniſ. in cit. c. Non eſt, n.* 3. *h.t.*

Notandum 4. Ex facto Principis poteſt tota Provincia ſubiici Interdicto Eccleſiaſtico, ut patet ex hoc *c.* & ſic indirectè puniuntur ſubditi, propter factum Principis, *Abb. hic n.* 4. Quæ verò in fine hîc addunrur de Officiis Divinis interdicendis, ea pertinent ad *Tit.* 39. *Libri V. ſequentis.*

SECTIO IV.

DE MATRIMONIO FICTO, ſeu ſimulato, & coacto.

§. I.

An matrimonium fictè contractum ſit validum, & ad quid obligetur, qui fictè contrahit?

XCV. Assertio 1. Qui fictè contrahit matrimonium cum muliere, per verba de præſenti, abſque interno conſenſu in illam, invalidè contrahit, prout ſumitur ex *c. Tua nos.* 26. *h.t.* Nam cùm » quidam non poſſet mulierem quandam aliter ad » concubitum inducere, niſi eam ſibi deſponſâſſet, »

Digitized by Google

» (ſcilicet per verba de præſenti) ſine ulla ſolemni-
» tate, & nemine præſente, illi dixit; *Te Joannes de-*
» *ſponſat*, cùm ipſe non vocaretur Joannes, ſed Fin-
» xir, ſe ſic vocari, putans ſe non inire conjugium
» cum eadem, eò quòd ipſe non vocaretur hoc no-
» mine, nec haberet propoſitum contrahendi cum
» ea, ſed ſolùm carnalem copulam ab ea extorquen-
» di. Unde quæſitum fuit, utrùm inter eos matri-
» monium ſit contractum, cùm mulier conſenſerit
» in ipſum, & ipſe diſſenſerit in eandem, ac etiam-
» num diſſentiat, nec aliud egerit, niſi quòd eam
» carnaliter cognoverit. Conſultus ſuper hoc Papa
» Innocentius III. reſpondet, cùm prædictus vir di-
» ctam mulierem in propria perſona deſponſaverit,
» etſi ſub alieno nomine, quo vocari ſe finxit, & in-
» ter eos carnalis copula ſit ſubſecura (per quam
» conſenſiſſe in eam videtur, *Gl. hîc V. Copula*) vi-
» deretur fortè pro matrimonio præſumendum eſ-
» ſe, niſi expreſsè dictum fuiſſet Papæ, quòd ille vir
» non propoſuit, nec conſenſit eandem ducere in
» uxorem, quod quomodo conſtare potuerit, ſe
» non videre. Si tamen ſe ita res habuerit, nempe
» quòd ille non propoſuit eam ducere in uxorem,
» nec unquam in eandem conſenſit: non debet ex
» illo facto matrimonium judicari, quia in eo non
» reperitur ſubſtantia conjugalis contractûs, nec
» forma (id eſt, materia, & forma, *Gl. margin. hîc*
» *Lit. D.*) Quoniam ex altera parte dolus ſolùm
» adfuit, & conſenſus omnino defuit, ſine quo ma-
» trimonium nequit contrahi.

XCVI. Pro declaratione hujus c. notandum 1. non valet matrimonium, in quo alter contrahenti-um non conſentit, vel fictè ſolùm, ſeu ſimulato animo conſentit, ut patet ex hoc *cap. junctâ Gl. ibidem*, quia ſine vero conſenſu non ſubſiſtit matrimonii contractus, *c. 2. cauſ. 27. q. 2.* Simulatus autem conſenſus non eſt verus, adeoque etiam ſimulatum matrimonium non eſt validum, *l. 30. ff. de ritu nupt.* quod etiam in aliis contractibus locum habet, ut in iis ſcilicet potiùs ſpectandum ſit, quod reipsâ agitur, quàm quod ſimulatè concipitur, juxta Tit. *Plus valere, quod agitur, in Cod.*

Notandum 2. Reſponſum S. Pontificis datum in parte poſteriore hujus c. nempe quòd matrimonium hoc fictè initum à viro illo, qui ſe falsò nominavit Joannem, ſit invalidum, ſolùm procedit in foro interno conſcientiæ, ſeu pœnitentiali, in quo nec teſtes requiruntur, nec alia probatio, ſed de omnibus, quantumcunque occultis, ſoli conſitenti ſe animo ficto illam fœminam deſponsâſſe, licèt ſub alieno nomine, fides habetur: cùm ergo in hoc foro conſtet illum non conſenſiſſe in matrimonium cum illa muliere, non ſuit judicandum pro matrimonio, ſed contra illud, quòd non fuerit verum matrimonium: ſed quia dictus vir fictionem hanc non poterat probare in foro externo, ideo Pontifex dixit, ſe non videre, quomodo Epiſcopo (cui reſcripſit) de hoc conſtiterit, ſcilicet in foro externo, quia in foro interno pœnitentiali vir iſte hoc Epiſcopo confeſſus fuit, ſe ficto animo fœminam hanc ſibi deſponsâſſe datâ ei licentiâ utendi hâc notitiâ extra Confeſſionem Sacramentalem, in quo judicio cuilibet eſt credendum, quia ipſi ſoli ſit præjudicium, *Gl. hîc V. Qualiter. Abb. hîc n. 6. & Hoſtienſ. in princ. V. Alienus. col. 1.*

Notandum 3. In foro verò externo, ſeu contentioſo, ſi conſtet ex confeſſione conjugum, vel ex aliis argumentis, & conjecturis probari poſſit, hunc virum mulierem iſtam, ignaram fictionis ipſius, ſibi in propria perſona deſponsâſſe, & carnaliter eam cognoviſſe, tum debet judicari pro matrimonio, & cenſeri, illud verè & validè contractum eſſe, non obſtante falſi nominis mutatione; quia illa vel ſcienter facta eſt; & non obſtat error, ſi conſtet de perſona, quia non intereſt, quocunque nomine ſe quis appellet, dummodo perſona ſit certa, *l. In venditionibus. 9. ff. de contrah. empt. §. Si quidem in nomine Inſtit. de legat.* Vel ſcienter mutavit nomen, qui fictè deſponſavit hanc mulierem, & dolus hic non debet ei prodeſſe, ſed contra ipſum fieri interpretatio, *Gl. hîc V. Mulierem. Abb. n. 6.* quia in foro, ſeu Tribunali externo aſſerenti ſe non conſenſiſſe, vel non verè in ſibi deſponſatam conſenſiſſe, non creditur in præjudicium alterius, *Gl. hîc V. Qualiter.* Neque verò etiam ex parte mulieris hîc intervenit error perſonæ irritans matrimonium, ſed error ſolius nominis, cùm mulier ipſum præſentem viderit, & in eum conſenſerit. Putat tamen *Canif. in cit. c. Tua nos. n. 3.* quòd in propoſito caſu, etiam in foro externo non ſit judicandum matrimonium fuiſſe validum, quia dolo, ſeu fraudulenter aſſumpſit alieni nomen ad extorquendum illicitum concubitum, non ad contrahendum matrimonium. Verùm dolus non per ſe matrimonium reddit invalidum, niſi inducat errorem perſonæ, vel alium talem, per quem invalidatur matrimonium, qualis non eſt mutatio ſolius nominis.

XCVII. Assertio. Fictè contrahens matrimonium per verba de præſenti, ſine interno conſenſu, grave peccatum committit, non ſolùm ſacrilegii contra reverentiam Sacramenti, ſed etiam injuſtitiæ, quia alteri bonâ fide contrahenti gravem injuriam, ac damnum infert: nam quia in foro externo non poteſt probari alterum fictè conſenſiſſe in matrimonium, decepta non permittetur aliud matrimonium inire, & cogetur continenter vivere, ideo deceptor obligatus eſt ad compenſandum hoc damnum, quod inde putatitiæ conjugi accidit, quæ compenſatio plerumque aliter fieri non poteſt ad æqualitatem, niſi fictè contrahens verè in matrimonium conſentiat, illúdque ratificet, *Sanch. l. 1. de ſponſal. diſ. 11. n. 4. & 5. Laym. l. 5. tr. 10. p. 2. c. 6. num. 1.*

Sunt tamen plures caſus, in quibus deceptor non obligatur ad matrimonium contrahendum, ſed alio modo damnum illatum reſarcire poteſt. Veluti 1. Si deceptor poſtea cum alia matrimonium contraxit vero conſenſu. 2. Si decepta Virginem ſe eſſe falsò jactavit, tunc enim una deceptio per aliam tollitur, ac veluti compenſatur. 3. Si deceptor in longè altiori ſtatu ſit poſitus, dummodo ſub ſpe matrimonii copula carnalis non ſit ſecuta. 4. Si ex tali matrimonio timeantur ſecutura ſcandala, & infelices exitus. 5. Si decepta, cognitâ deceptione, ſponte recipiat aliam compenſationem, *Laym. cit. l. num. 2.*

Sed de hoc pluta *libr. 5. tit. 16. de adult. & ſtupro.*

§. II. An

§. II.

An matrimonium ex metu contractum ſit validum?

XCVIII. Assertio 1. Matrimonium ex metu gravi, ſeu cadente in virum conſtantem contractum, in utroque foro, externo & interno, eſt irritum, ſi is metus injuſtè, ac directè ad matrimonium extorquendum ſit incuſſus. Eſt communis, ac certa omnium ferè Theologorum, & Canoniſtarum ſententia apud *Sanch. l. 4. de matr. diſ. 12. n. 18.* Probatur inprimis ex *c. Cùm locum. 14. h. t.* Ubi talis caſus proponitur, ut refert *Gl. ibid.* Duo Cives Parienſes petebant quandam puellam, & uterque contendebat ſe cum illa matrimonium contraxiſſe, unde mulier timebat, violentiam ab illis ſibi inferendam. Conſultus Papa reſpondet: ubi metus, & coactio intervenit, non habet locum conſenſus: matrimonium autem ſolo conſenſu contrahitur, & ſic omnis metus, & coactio ab eo abeſſe debet, & cùm de ipſo (ſcilicet conſenſu) quæritur, debet ille (vel illa, qui in aliam, vel quæ in alium conſentire deberet) plenâ ſecuritate, ſeu libertate gaudere. Quare mandat Pontifex, ut puella illa, de cujus matrimonio quæſtio agitur, in tuto loco collocetur, donec cauſa fuerit per ſententiam definita.

XCIX. Hinc colligitur, quòd matrimonium debet, libero conſenſu à coactione, vi, & metu, contrahi, alioquin eſt ipſo jure irritum. Ratio eſt, quia cùm matrimonia coacta infelices ſoleant exitus habere, *c. Requiſivit. 17. h. t.* expediebat, ut illa eſſent plenè libera, ita ut non poſſit quis per injuriam ad illa cogi, nam cùm ſemel validè contracta ſint inſolubilia, nec ampliùs reſcindi poſſint, ex gravi metu iuita, ab initio debebant irritati: ſecus eſt de aliis contractibus ex tali metu initis, hi enim etſi validi, poſſunt reſcindi per exceptionem, vel Judicis ſententiam, ideo ipſo jure, & facto non ſunt invalidi, *Abb. in cit. c. Cùm locum. 14. h. t. Sanch. cit. diſ. 12. n. 26. Tanner. diſ. 8. q. 3. dub. 2. n. 20. & 21.*

C. Ubi præterea notandum 1. duplicem eſſe metum: primus dicitur levis, quando ſcilicet timetur leve tantùm malum, aut grave quidem, ſed immeritò, ac imprudenter: ſecundus dicitur gravis, & cadens in virum conſtantem, qui duas conditiones requirit: prima eſt, ut ſit metus alicujus gravis mali, vel ſecundùm ſe, vel ſaltem reſpectu perſonæ, cui metus incutitur: ſecunda, ut non vanè, levitérque, ſed probabiliter, ac prudenter credatur illud malum imminere ſibi, aut perſonæ conjunctæ in primo, vel etiam ulteriori gradu, ut parentibus, liberis, uxori, fratribus, imò etiam aliis conſanguineis, & affinibus, item domeſticis, ut docet *Sanch. l. 4. de matr. diſ. 1. n. 10. & ſeqq. & diſ. 3. n. 2. & diſ. 4. n. 3. & pluribus ſeqq.* Tunc autem malum probabiliter creditur imminere, quando is, qui minatur malum, potens eſt illud inferre, & ſolitus eſt exequi minas, neque poteſt facilè illud malum depellere, aut vitare. Hujuſmodi autem metus gravis eſt metus mortis, vel mutilationis membrorum, aut atrocium tormentorum, diuturni, & perpetui carceris, exilii, ſervitutis, ſtupri, reſpectu Virginis; imò etiam reſpectu viri, amiſſionis ſtatûs honorifici: infamiæ tam facti, quàm juris, quæ difficulter aboleri poteſt; amiſſio majoris partis bonorum, excommunicationis denique injuſtæ, quæ facilè tolli non poteſt. De quo plura videri poſſunt apud *Sanch. cit. l. 4. diſ. 5. n. 4. & ſeqq.* item quæ dicta ſunt de metu in genere, *libr. 1. tit. 40. §. 1.*

Notandum 2. Metus etiam gravis ad matrimonium contrahendum incuti poteſt, vel à cauſis naturalibus, intrinſecis, vel extrinſecis, ut eſt timor mortis inſtantis, ex præſente morbo, vel ob peſtem graſſantem, vel ob periculum naufragii &c. vel inferri poteſt à cauſa libera, ut ab homine: idque rurſus dupliciter: primò directè, cum intentione, & animo extorquendi ab altero matrimonium: ſecundò, quando ob aliam cauſam incutitur metus, quamvis metum paſſus ſimul etiam eo metu moveatur ad contrahendum matrimonium, ut ſi detruſus in carcerem, ob allam omnino cauſam, contrahat matrimonium cum filia detrudentis, ut hoc modo ſe liberet. Poteſt autem utroque modo metus incuti, vel juſtè, ut ſi quis deprehenſo cum aliqua in flagitio juſtam delicti accuſationem minetur: vel injuſtè, ut ſi quis, privatâ auctoritate, mortem minetur alteri, niſi matrimonium cum eo ineat. Item poteſt hic metus incuti, vel à contrahente, ſeu petente matrimonium, vel ab alio tertio, *Sanch. cit. l. 4. diſ. 12. n. 2.*

Notandum 3. Jus irritans matrimonium gravi metu contractum non innititur fallæ præſumptioni, metu coactum non conſenſiſſe, ſed finxiſſe conſenſum, tum quia Eccleſia in dubio ſemper præſumit pro valore matrimonii: tum quia non præſumit aliquem delinquere, niſi id legitimè probetur, ſemper enim præſumitur pro meliore parte, *c. 2. infr. de Reg. Jur.* fingere autem conſenſum, ubi non eſt, eſt peccatum mendacii, *Sanch. cit. diſ. 12. n. 18.*

CI. Notandum 4. Matrimonium gravi metu contractum idcirco etiam eſt ipſo jure meritò irritum, in utroque foro, quia adverſatur tribus bonis, quæ in matrimonio reperiuntur, ſcilicet fides, proles, & Sacramentum, *c. ult. de condit. appoſ. c. Omne. 10. cauſ. 27. q. 2.* Et inprimis metus adverſatur ipſi Sacramento, quia hoc ſignificat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, quæ fuit facta per liberum amorem, ideóque etiam matrimonium contrahi debet per liberum conſenſum, ut ſignum correſpondeat ſignato. 2. Metus repugnat etiam debitæ generationi prolis, qui eſt finis matrimonii, qui autem vi, ſeu metu matrimonium contrahit, deficiente mutuo amore, facilè ſeparabuntur, & ad prolis generationem non multùm afficientur. 3. Repugnat etiam metus fidei conjugali, *quia quod quis non diligit, facilè contemnit. c. Præſent. 4. cauſ. 20 q. 3.* Unde periculum eſt, ne tales Conjuges fidem violent, & in adulterium labantur, *Abb. in cit. c. Cùm locum. 14. n. 8. h. t. Sanch. cit. l. 4. diſ. 12. n. 18.*

Notandum 5. Matrimonium metu initum eſt irritum, ſive metus inferatur ab eo, cum quo quis contrahere cogitur, ſive à quocunque alio, ſine ſitia culpa, & ſcientia inferatur, *Sanch. cit. diſ. 12. n. 19.* Ratio eſt, tum quia metus irritat matrimonium, eò quòd tollat ſpontaneum, ſeu plenè liberum conſenſum, *cit. c. Cum locum. h. t.* Sed non minùs tollit metus libertatem conſenſûs, ſive per ipſum contra-

hentem, ſive per alium inferatur, ergo non minùs irritat matrimonium. Tum quia Jus non tam in odium metum incutientis, ſed præcipuè in favorem libertatis matrimonii, irritavit matrimonium tali metu initũ, ut expreſsè colligitur ex *c. Veniens. 15. h. t.* ne ſcilicet quis cogatur invitus contrahere: patiens autem metum eſt æquè invitus, ſive ab ipſo contrahente, ſive ab alio tertio contrahere ex metu cogatur, *Coning cit. diſ. 28. dub. 1. n. 6.*

Notandum 6. Si Judex timeat libertatem conſenſûs in aliqua fœmina impediendam fore, curaré debet, ut illa in loco honeſto, ac tuto collocetur, ne ipſi vis inferatur, & ubi liberè poſſit conſenſum ſuum exprimere, *cit. c. Cùm locum in fine, Covarr. in Epitom. libr. 4. Decretal. p. 2. c. 3. §. 6. n. 2.*

CII. Porro quod dictum eſt matrimonium gravi metu injuſtè incuſſo contractum eſſe irritum, id etiam probatur ex *c. Veniens. 15. h. t.* Ubi dicitur, » quòd quidam Guilielmus nomine, in domo ſua » mulierem quandam recepit, (ut concubinam, *Glo. hîc V. Recepit.*) ex qua prolem habuit, eique co» ram pluribus promiſit, ſe illam ducturum in uxo» rem: poſtea verò in domo vicini ſui pernoctans, » cum filia ejus concubuit, quos cùm pater puellæ » ſimul in lecto jacentes reperiſſet, ipſum Guiliel» mum coëgit, filiam ſuam per verba de præſenti » deſponſare. Hoc intellecto, Papa Alexander III. » mandavit Epiſcopo loci, ut ſi invenerit, quòd pti» mam mulierem, poſt fidem ei præſtitam, cogno» verit, ipſum cum illa faciat remanere: alioquin » ſecundæ mulieri, ut uxori jubeat eum adhærere: » niſi metu coactus, qui poſſet cadere in virum conſtantem, eam deſponſaverit. Conſentit *c. 2. Deeo, qui duxit &c.* de quo infrà *Tit. 7.*

Ex quo patet, quòd matrimonium contractum per metum gravem, ſeu cadentem in virum conſtantem, ad eum finem injuſtè incuſſum, ſit nullum in utroque foro: nam ideo in *cit. c. Veniens*, matrimonium fuit irritum, quia pater juvenem repertum cum filia in eodem lecto injuſtè coëgit ad illam ſibi deſponſandam, volens eum interficere, vel aliud grave malum inferre, quod injuſtum erat, quia etſi ibi non dicatur in particulari, quis metus fuerit incuſſus, ſive quòd pater mortem minatus ſit Juveni, ſed ſolùm *text. cap.* loquatur generaliter de metu cadente in virum conſtantem: videtur tamen omnino de ſimili metu injuſto hoc c. intelligendum eſſe, ut jura juribus concordentur, ut tradit *Sanch. cit. l. 4. diſ. 13. n. 9. Coning tract. de Sacram. diſ. 28. n. 15.* Ubi ait, hunc eſſe caſum *cit. c. Veniens.* Nec etiam poterat pater, propriâ auctoritate, juſtè talem cogere ad ineundum matrimonium, quia hoc ad Judicis officium ſpectat, ut ex Reginaldo tradit *Barb. in Collect. in cit. c. Veniens. n. 4. h. t.*

CIII. Extenditur autem 1. Quòd matrimonium per metum injuſtè incuſſum ad extorquendum illud, eſt invalidum, etiamſi metum paſſus culpæ reus fuerit, ſive contrahens culpâ ſuâ in hunc metum incidetit. *Gl. fin. in cit. c. Veniens, & Sanch. cit. l. 4. diſ. 8. n. 9.* Quia culpa non tendit directè ad incutiendum metum, *Covarr. in l. 4. p. 2. c. 3. §. 5. n. 8.* Extenditur 2. metus incuſſus irritat matrimonium, etiamſi quis cogatur incertam ex certis ducere, v. g. unam ex duabus filiis Petri, quia talis neutram volebat ducere, coactè tamen alteram duxit, adeoque invitus, & non liberè, *Covarr. c. l. n. 9.*

CIV. Assertio 2. Matrimonium ex gravi metu juſtè incuſſo contractum validum eſt, etiamſi is metus directè ad obtinendũ matrimonium incutiatur, ſive à lege, vel Judice præcipiente, v. g. ut ducat Virginem à ſe vitiatam, ſub fide, & ſpe matrimonii, *c. Ex litteris. 10. h. t.* de quo ſuprà *n. 17. & 18.* ſive à privato homine metus ſit illatus, ut ſi pater ſtupratori filiæ ſuæ minetur, ſe ipſum accuſaturum in judicio, niſi eam ducat in uxorem, *Sanch. cit. l. 4. diſ. 8. n. 9. & diſ. 13. n. 3. Leſſ. l. 2. de juſtit. c. 17. dub. 6. n. 37. Coning cit. diſ. 28. dub. 1. n. 14.* Ratio eſt, quia talis metus non tam infertur ab alio, quàm ab ipſo patiente metum, qui culpâ ſuâ ſponte dedit cauſam, ob quam talis metus poſſet ei inferri, juxta *l. Si Mulier. 21. ff. De eo, quod met. cauſ.* ubi dicitur: *quia hunc ſibi metum ipſe inferts*, v. g. Si quis dicat ſtupratori Virginis, *Te accuſabo, niſi hanc duxeris in uxorem*, non inferre cenſetur metũ, (ſed potiùs timorem jam conceptum ex delicto auferre, offerendo matrimonium tanquam medium ad evadendam pœnam, delictum enim præbet cauſam ad accuſationem, & pœnam ipſi debitam. Confirmatur, quia quando quis juſtè metum patitur, non adeſt cauſa, cur ipſi ſubveniatur, cùm ſponte ſe in eam neceſſitatem conjecerit. Neq; verò matrimoniũ ideo ſolùm irritat metus, quia tollit plenam, ſeu perfectam libertatem, aliàs quando Judex juſtè cogit implere ſponſalia, mattimonium foret invalidum, ſed quia injuſtè tollit, quod hîc ceſſat: neque ex eo tam infelices timentur exitus, quia animus aliquantum quieſcit, cùm quis conſiderat ſe juſtè compulſum eſſe ad contrahendum tale matrimonium, *Sanch. cit. diſ. 13. n. 9.* Adde, quòd tale matrimonium contrahenti ſit omnino voluntarium, ſaltem in cauſa, & per ſe aptum conciliare amorem conjugalem, cùm fuerit ratio alteri evadendi ingens periculum.

CV. Assertio 3. Mattimonium contractum ex gravi metu injuſtè quidem, non tamen eo ſine incuſſum, ut extorqueatur matrimonium, ſed ad rem aliam obtinendam, eſt validum, ſive metus proveniat à cauſa naturali, ſive libera, *Sanch. cit. l. 4. diſ. 12. n. 3. Coning c. l. n. 9.* & alii communiter. Probatur, quia tali caſu non compellitur metum patiens ad matrimonium ab eo, qui metum infert, cùm hic non petat, nec intendat extorquere matrimonium, ſed impellitur à ſeipſo, dum ſponte eligit matrimonium, tanquam medium ad ſe liberandum à periculo corporis intentato ab eo, qui metum intulit. V. g. ſi injuſtè detentus in carcere, vel injuſto metu preſſus matrimonium contrahat cum filia Judicis, vel hoſtis, ut ſic conciliet ejus animum, & ſe liberet, validum erit matrimonium, quia tunc metus injuſtè incuſſus, non eſt per ſe, ac directè cauſa mattimonii: ſed ſolùm peraccidens, quatenus ipſe injuriam paſſus ad ſe liberandum tale medium deliguit, quòd jura ipſi adimere non debuerunt, alioquin periclitanti viam evadendi præcluderent, *Coning c. l. n. 10.* Hinc patet, quòd tres conditiones requirantur, ut matrimonium per gravem metum, ſeu cadentem in virum conſtantem contractum ſit irritum. 1. Ut ſit incuſſus à cauſa extrinſeca, eâque liberâ, nempe ab homine. 2. Ut injuſtè incuſſus ſit.

3. Ut

Digitized by Google

3. Ut ad eum finem ſit incuſſus, ut contrahatur matrimonium, tale enim matrimonium eſt ipſo facto nullum, etiam in foro conſcientiæ, ex communi, & certa omnium ferè Theologorum, & Canoniſtarum ſententia, apud *Tanner. cit. diſ. 8. q. 3. dub. 2. n. 20.* & patet ex ſuprà dictis.

CVI. Assertio 4. Matrimonium metu gravi initũ irritum eſt, non Jure poſitivo Divino, quia tale nullum extat: nec Jure naturali, tum quia quod fit metu, etiam gravi, eſt ſimpliciter voluntarium, & ſecundùm quid ſolùm involuntarium, ut dictum ſuo loco: unde nihil obſtat, quominùs Jure naturæ omnes contractus metu initi ſint validi, etiam contractus matrimonii: quia quamvis iſte contractus ſemel validus, non poſſit reſcindi à Judice: ſpectatâ tamen rei naturâ, nihil obſtat, quominùs eſſe poſſit validus, quia hoc non neceſſariò requiritur ad ſubſtantiam contractûs per metum initi, ut poſſit reſcindi per Judicem: ſed hoc procedit in illis contractibus per metum initis, qui ſubſunt poteſtati humanæ, qualis non eſt contractus matrimonii. Tum quia ſpectato ſolo Jure naturali, etiam metus levis irritaret, tam matrimonium, quàm alios contractus, non minùs, quàm metus gravis, inter quos metus de jure naturæ non eſt differentia. niſi quòd gravis graviorem injuriam inferat, quàm levis. Quare quòd metus levis non irritet matrimonium, nec alios contractus, id non provenit ex jure naturæ, ſed ex ſolo Eccleſiaſtico. Etſi verò jam non reperiatur ullum Jus, quod apertè tale matrimonium irritet: conſtat tamen ex traditione Doctorũ, & Pontificum decretis, more, & uſu id ſemper obſervatum eſſe, ut matrimonium metu gravi extortum ſit irritum: & forſan olim talis lex ſcripta extitit, quæ poſtea perijt. *Sanch. cit. l. 4. diſ. 14. n. 2. & 4.* Ubi etiam ad argumenta ſententiæ oppoſitæ reſpondet, *Coning. cit. diſ. 28. dub. 2. n. 16. & 18. Tanner. cit. dub. 2. n. 24. & 25.* Non obſtat, quòd in *c. Cùm locum. 14. h. t.* dicitur, non habere locum conſenſum, ubi metus, vel coactio intercedit: ſine conſenſu autem matrimonium conſiſtere nequit, ergo tale matrimonium eſt irritum, jure naturæ, non tamen Eccleſiaſtico. Verùm non dicitur ibi, quòd metu coacti non verè conſentiant in id, quod ex metu faciunt (nam aliàs invalidè baptizarentur, qui gravi metu compulſi Baptiſmum recipiunt, cùm neceſſariò requiratur eorum conſenſus, contra *c. Majores. 3. de Baptiſmo.*) Sed ſolùm ibi negatur eſſe conſenſum talem, qualem Jus neceſſariò requirit, ſcilicet libetum ab omni coactione, *Coning. cit. l. n. 17.* Cæterùm matrimonium ex gravi metu contractum inter infideles eſt validum, niſi ipſorum legibus aliud ſit ſtatutum, quia conſenſus metum patientis eſt abſolutè, ac ſimpliciter voluntarius, & ſecundùm quid ſolùm involuntarius, *Sanch. cit. diſ. 14. n. 3.*

CVII. Ex dictis infertur 1. Matrimonium contractum cum concubina, metu mortis inſtantis ex morbo, naufragio &c. eſſe validum, quia is metus non infertur ex cauſa extrinſeca libera ad extorquendum matrimonium. Infertur 2. Eum, qui matrimonium contrahit, eò quòd Medici judicent, id eſſe neceſſarium ad vitam ſervandam, quæ aliàs ob humorum abundantiam periclitaretur, licèt aliàs nullo modo contraheret, eſſe validum, quia metus provenit ex cauſa extrinſeca naturali. Infertur 3. Matrimonium contractum ab eo, qui eſt conjectus in carcerem, ſi non animo extorquendi matrimonium ſit incarceratus, validum eſſe, quia talis metus non incutitur ad matrimonium extorquendum. Infertur 4. Validum etiam eſſe matrimonium, ſi ad mortem damnatus ad ſe ab ea liberandum meretricem publicam ducat in uxorem, aliàs non ducturus: ſive deindeipſe contrahens, ſive alius, vel etiam ipſe Judex hanc conditionem primò offerat, quia tunc metus non incutitur ad ineundum matrimonium, ſed aliunde jam conceptus aufertur, datúrque modus, & via evadendi periculum mortis, *Sanch. cit. diſ. 12, n. 4. & pluribus ſeqq.*

CVIII. Prædictis addendum 1. Quod dicitur in *c. Inter opera. 20. h. t.* Magnum opus charitatis » eſt, errantem, ſeu peccantem ab errore ſuo revocare. Unde ſtatuit Papa Clemens III. ut omnibus, » qui publicas meretrices è lupanari extraxerint, & » duxerint in uxores, id eis proficiat in remiſſionem peccatorum. Eſt autem hîc ſermo de remiſ- » ſione peccatorum, non quoad culpam, quæ per contritionem, & pœnitentiam deletur, ſed quoad pœnam temporalem, ut docet *Abb. hîc n. 3.* Nam cùm magnum opus miſericordiæ ſit corrigere peccantem, & à peccato avertere, eſt enim opus miſericordiæ ſpirituale, quod præſtantius eſt operibus miſericordiæ corporalibus, ideo ex Theſauro Eccleſiæ à Papa ducenti in uxorem publicam meretricem, applicantur Indulgentiæ in remiſſionem, ſeu ſatisfactionem peccatorum, pro pœna temporali adhuc debita, *Covarr. in Epit. l. 4. Decret. p. 2. c. 8. §. 11. n. 3.* Dicitur autem meretrix, quæ palam libidinem exercens, quæſtum facit, cujúsque turpitudo publicè venalis eſt, *l. Palam. 43. ff. de ritu nupt.* Item illa, quæ multorum libidini paret, ſeu patet, *c. Vidua. 16. diſ. 34.* etiam ſine quæſtu, *cit. l. Palam. Covarr. cit. l. n. 4.* Nec obſtat, quod dicitur in *princ. cauſ. 32. q. 1.* quòd meretrix in conjugem duci non debeat: nam loquitur de illa, quæ meretricari non deſinit, ut ait *Gl. ſin. hîc*, & illa retineri non debet, ne patronus turpidinis videatur: in hoc autem *c.* eſt ſermo de ea muliere, quæ libenter vellet continenter vivere, ſi reperirer, qui eam ducere vellet in uxorem. Tenet tamen matrimonium cum meretrice initum, ut tradit *Gl. V. Quòd autem cit. cauſ. 32. q. 1. in princ.*

Porro quod ſuprà dictum eſt, damnatum ad mortem ab illa liberari, ſi velit ducere in uxorem meretricem in publico lupanari exiſtentem, in foro externo non procedit, neque in praxi obſervatur, quia in grave præjudicium Reipubl. tendere poſſet, ut notat *Barboſ. in Collectan. in cit. cap. Inter opera. n. 5. & h. t.*

CIX. Addendum 2. Non omnis violentia, aut metus reddit matrimonium contractum irritum, prout ſumitur ex *c. De muliere. 6. h. t.* Nam cùm » quædam mulier invita tradita eſſet viro, & per » vim detenta, quæſitum fuit ex Papa, an inter eos » eſſet matrimonium? Reſpondet Pontifex, cùm » inter vim, & vim ſit differentia, nec conſtet, an » poſt violentiam conſenſus intervenerit, ideo certum ſe non poſſe dare reſponſum. »

Ubi notandum 1. Duplex eſt vis, ſive metus, unus, qui cadit in conſtantem virum, & iſte reddit matrimonium irritum, niſi denuo de novo conſentiant conjuges: alius eſt metus vanus, ſeu improbabilis, qui non impedit matrimoniũ, *Gl. hîc V. Inter vim.*

Digitized by Google

Notandum 2. Illa Regula, *coacta voluntas est voluntas*, non habet locum in matrimonio, *c. 1. & ibi Gl. V. Vult. cauſ. 15. q. 1.* quia ad ſubſtantiam matrimonii requiritur conſenſus liber ab omni vi, & coactione, *Abb. hic num. 2.*

Notandum 3. Papa in caſu hujus c. non dedit certum reſponſum, quia neſcivit, quæ violentia fuerit mulieri illata, etſi potuiſſet reſpondere, diſtinguendo inter vim, & vim, ſive qualis vis, ſeu metus illi fuerit illatus, *Gl. fin. hic.*

§. III.

An ſi mulier invita cum aliquo matrimonium contraxit, nec in eum poſtea conſenſit, valeat matrimonium, ſi alteri poſtea nubat. Item an matrimonium metu gravi contractum per ſpontaneam cohabitationem ratificetur, & convaleſcat?

CX. De priore quæſtione agitur in *c. Veniens. 13. h.t.* Ubi talis caſus proponitur. Quædã juvenis mulier, Mariota nomine, adamavit quendam adoleſcentem, ita ut uterque, præſentibus tribus teſtibus, de matrimonio contrahendo juramentum præſtiterit: ſed parentes mulieris hoc ignorantes, eam invitam, & reclamantem, in uxorem alii tradiderunt, quem ipſa ita exhorruit, ut nullo modo ab ipſo ſe cognoſci permiſerit: & publicè fateretur, addito juramento, quòd à priore viro cognita fuerit. Sed cùm Epiſcopus Dioceſanus cognoviſſet, quòd proxima inter eos (ſcilicet ipſam mulierem, & primum virum) eſſet conſanguinitas, ipſos ab invicem ſeparavit. Cæterùm cùm cauſa hæc tractaretur, & illa noller conſentire in virum, cui à parentibus tradita fuerat, ipſe aliam in uxorem duxit: & illa cuidam alii T. nomine publicè in facie Eccleſiæ nupſit (quod fieri non debuit, cauſâ, ſeu lite pendente, *Gl. hic V. Nupſit.*) Demum cùm ex illo filium ſuſcepiſſet: pater ipſius T. ipſi oppoſuit, quòd filium ſuum in virum habere non potuit, eò quòd alii, qui jam defunctus eſt, priùs deſponſata fuiſſet. Re delatâ ad Papam, is mandavit quibuſdam à ſe delegatis, ut ſi prædicta mulier à priore viro judicio Eccleſiæ fuerit ſeparata, & à prædicto T. ſine contradictione Eccleſiæ, in uxorem ducta, & ille, cui priùs à patentibus fuit copulata, vitâ decellit, moneant prædictum T. ut ipſam Mariotam in uxorem recipiat, & eam maritali affectu tractet; alioquin in eum, & ſuperinductam, & patrem ipſius (ſi reſtiterit) ſententiam excommunicationis ferant.

Hinc patet, quòd ſi mulier coacta, ſeu invita in uxorem ſit ducta, & poſtea alteri nubat, valeat hoc poſterius matrimonium, non obſtante priore matrimonio, quippe quod metu gravi contractum ipſo jure nullum fuit: niſi metus, antequam ſecundum matrimonium contraheretur, fuerit purgatus per ſubſequentem conſenſum mulieris, de quo infrà.

CXI. Ubi notandum 1. in caſu hujus c. inprimis mulier illa, poſt contracta ſponſalia jurata cum adoleſcente, etſi carnis copula fuerit ſecuta, uti ipſa confeſſa fuit, non potuit validè contrahere matrimonium cum illo, ob impedimentum conſanguinitatis inter eos intercedens, de quo Eccleſiæ conſtabat, ſunt enim ideo ab Epiſcopo ſeparati. Unde poterat Mariota liberè nubere illi, cui parentes illam deſponſare volebant, poſtquam ab adoleſcente, cui priùs adhæſerat, ob conſanguinitatem inter eos intercedentem, auctoritate Epiſcopi, ſeparata fuit. At vetò alterum matrimonium, quod invita, & reclamans, ex voluntate parentum inire debuit, invalidum fuit, ideòque eo nihil obſtante, licitè, & validè alteri nubere poterat, præſertim cùm vir ille jam defunctus fuerit. Illud verò matrimonium, quod dicta mulier poſtea cum tertio, videlicet T. init, validum fuit: & ideo mandavit Pontifex ſub pœna excommunicationis, ut ipſe T. dimiſsâ ſuperinductâ, Mariotam in uxorem recipiat, & maritali affectu tractet, ut patet ex textu.

Notandum 2. Matrimonium à filiofam. contractum, ſine parentum conſenſu, validum eſt, ut colligitur etiam ex hoc c. & dictum ſuprà *n.* 90.

Notandum 3. Omnes, qui impediunt juriſdictionem Judicis, poſſunt excommunicari, quia per hoc ſubijciuntur juriſdictioni ipſius Judicis, *Gl. fin. hic.*

CXII. De poſteriore quæſtione agitur in *c. Ad id. 21. h. t.* Nam cùm quædam puella undecim annorum ab initio invita, ac renitens (ut dicebar) in matrimonium tradita fuiſſet cuidam viro, ſed poſtea per annum, cum dimidio ipſi cohabitans, in illum conſenſiſſe videretur: Conſultus Papa Clemens III. reſcribit, illam cogendam eſſe, redire ad virum: (à quo receſſerat) nec teſtes eſſe recipiendos, ſiquos mulier veller producere ad probandum, quòd non conſenſerit in eundem, quia mora tanti temporis hujuſmodi probationem excludit: & mandat inſuper Ordinario loci, ut utrumque compellat ad permanendum in conjugio, & tractandum ſe invicem conjugali affectu, niſi fortè vellent ad Religionem ſimul tranſire, injunctâ eis pœnitentiâ, propter adulterium ab utroque commiſſum.

CXIII. Notandum 1. Licèt matrimonium gravi metu contractum, ſit ipſo jure nullum, per ſpontaneam tamen cohabitationem utriúsque conjugis poſtea ſubſequentem illud convaleſcit, & ratificatur. Ratio eſt, quia talis mutua cohabitatio eſt ſufficiens ſignum ſpontanei conſenſus poſtmodum habiti, qui ſolùm requirebatur ad valorem matrimonii: eo ipſo enim, quòd mulier metum paſſa non recedit à viro, cùm poſſet, cenſetur ſponte in matrimonio permanere: & ſic conſenſus antè vi extortus tranſit in liberum conſenſum per ſpontaneam cohabitationem ſubſequentem, non enim eſt neceſſarium, ut utriúsque conjugis conſenſus liber ſit ſimul, cùm ergo conſenſus illius, qui non eſt metum paſſus, fuerit legitimus, ſolùm deſiderabatur ad valorem matrimonii ſpontaneus conſenſus illius, qui ex metu conſenſerat, qui tacitè ſit per ſpontaneam cohabitationem, modò etiam alter, qui abſque metu conſen-

conſenſit, in priore conſenſu perſeveret, *Sanch. cit. l. 4. de matr. c. 18. n. 2. & 3.*

Notandum 2. Ut cohabitatio conjugum ſit ſufficiens indicium hujus conſenſûs conjugalis, requiritur 1. Ut ratificans matrimonium priùs contractum ſciat, illud fuiſſe invalidum; nihil enim magis contrarium eſt conſenſui, quàm error, *Sanch. c. l. n. 5.* 2. Requiritur diuturna cohabitatio: etſi verò in hoc c. dicatur, quòd hi conjuges per ſeſquinanum cohabitaverint, id tamen magis ad factum, ſive ad id, quod de facto contigit, & narratur, quàm ad Jus referendum eſt, unde cùm in jure certum tempus non ſit expreſſum, id Judicis arbitrio definiendum relinquitur, *Abb. hic n. 4. Sanch. c. l. n. 6.* Hoc verò moraliter accipiendum eſt, ſpectatâ fugiendi opportunitate, & morâ cohabitationis, non mathematicè, & ſtatim, ſeu ut in inſtanti uxor fugam arripiat, ſed arbitrio prudentis, *Sanch. c.l.* ubi etiam addit, hoc procedere ſolùm in foro externo, nam in foro conſcientiæ nulla mora temporis ſufficit, ſi deficit animus ratificandi matrimoniû: quamvis in foro externo, ex cohabitatione præſumatur ratificatio. 3. requiritur, ut cohabitatio illa ſit omnino ſpontanea, ita ut ceſſârit etiam cauſa timoris, nam durante cauſâ metûs, durat metus, *Sanch. c. l. n. 3.* Addunt aliqui, quòd præter cohabitationem, requiratur quoque, ut intervenerit copula conjugalis. Sed hoc verum non eſt, quia in *cit. c. Advid*, ſola cohabitatio exprimitur, ac ponderatur: deinde requiritur cohabitatio diuturna, quam non requirit copula, *Sanch. c. l. n. 4.*

§. IV.

An ſi mulier neget, ſe in matrimonium conſenſiſſe, ſit ei fides habenda? Vel ſi probare velit, ſe per metum gravem ſibi illatum conſenſiſſe, ſit audienda?

CXIV. De utraque hac quæſtione agitur in c. *Conſultationi. 28. hic.* Nam quia in quibuſdam locis eſt conſuetudo, ut ſponſus, & ſponſa de præſenti, cùm debeant benedici, veniant ad valvas, ſeu fores Eccleſiæ, tam ſi ſponſa dicat, ſe nunquam in matrimonium cum ſponſo conſenſiſſe, ſponſus autem legitimè probet contrarium, ſcilicet quòd in matrimonium ipſius conſenſerit, quæritur, an ſponſa audiri debeat? Reſcribit Papa Honorius III. ſponſam audiri non debere, cùm illius ſimplex aſſertio non debeat legitimis, & idoneis teſtibus ſponſi prævalere. Præterea deſponſârunt quidam aliquas mulieres in uxores, quæ benedictione acceptâ, mox à ſponſis, ante carnalem copulam, aufugiunt, dicentes ſe tunc quam in illos verè conſenſiſſe, ſed metu ſibi illato compulſas protuliſſe verba conſenſûs, licèt animo diſſentient. Ad quod reſpondet Papa, illis non ſtatim eſſe audientiam denegandam, ſed diligenter inquirendum, qualis metus illatus fuerit: & tunc ſi reperiatur, ſive probatum fuerit, quòd mulieribus illis illatus ſit metus, qui cadere poſſit in virum conſtantem, audiendæ ſunt, & à ſponſis, ſeu viris ſeparandæ, *Gl. hic in caſu.*

CXV. Pro explicatione hujus c. notandum 1. ſponſus, & ſponſa de præſenti, ante conſummationem matrimonii, benedicuntur ante fores Eccleſiæ: in quibuſdam verò locis ante Altare, quæ tamen non ad ſubſtantiam, ſed ad ſolemnitatem matrimonii pertinent, *Abb. hic n. 2.*

Notandum 2. Si in caſu poſteriore hujus c. mulieres illæ non ante, ſed poſt ſubſequentem carnis copulam, aufugiant à viris, aſſerentes ſe non verè conſenſiſſe in matrimonium, tum non ſunt audiendæ, niſi appareat, vel probatum fuerit, eas invitas eſſe detentas, & cognitas, *Gloſſ. hic V. Ante carnis copulam. junctâ Gl. margin. Lit. b.*

Notandum 3. Si mulier aſſerat ſe contraxiſſe matrimonium per metum, tenetur probare, non ſolùm ipſum metum, ſed etiam illius qualitatem, videlicet talem metum, qui poſſit cadere in conſtantem virum, ut colligitur ex hoc c. ubi in fine dicitur, *diligenter inquirendum eſſe, utrùm tali metu mulieres percuſſæ fuerint, qui potuit cadere in conſtantem virum.* Verùm quia non videtur rationi congruum, ut idem metus, ſive æquè gravis requiratur in muliere, qui in viro, cùm hic ſit fortior, & conſtantior, mulier verò naturâ ſuâ ſit inconſtantior, & debilior, *Arg. c. Forus. 10. in fine de V. S.* ideo minor metus excuſat fœminam, quàm maſculum, ſive minor metus cenſetur conſtans in fœmina, quàm in viro, ut tradit *Gl. in c. Cùm locum. 14. V. Metus. h. t. Covarr. in Epit. l. 4. Decret. p. 2. c. 3. §. 4. n. 9.* Ubi ait, quòd Judex non tam anxiè æſtimare debet metum in muliere, quàm in viro, ſed conſiderare, quid fœminæ conſtans faceret, inſpectâ naturali fœminarum prudentiâ, aliquid enim fortè cogeret fœminam, etiam conſtantem, ad faciendum id, quod vir conſtans minimè faceret, vel eligeret. Quare etſi in textu hujus c. legatur *in virum conſtantem* (quem Abbas omiſit) nihilominus ſubaudiendum eſt, *vel in mulierem conſtantem*, habito reſpectu ad debiliorem ſexum, ut tradit *Abb. hic not. 4.* Vel certè ſub nomine viri comprehenditur hic etiam fœmina, quia genus maſculinum concipit fœmininum, ut abſurdum videtur; Præpoſitus apud *Caniſ. in cit. c. Conſultationi. n. 2. & Fagnan. ibid. n. 13. & 14.*

Notandum 4. generatim loquendo, quiſnam metus dicatur cadere in virum conſtantem, relinquendum eſt Judicis arbitrio, ut docet *Gl. in c. Cùm dilectus. 6. V. Metum paſſus de iis, quæ vi met. & c. Covarr. cit. ci §. 4. n. 8.* ubi ait, quòd Judex arbitrabitur, an vir prudens, & conſtans eligeret potiùs id agere, quod ex metu fit, quàm ſubire periculum, quod imminet.

CXVI. Porro ex eo, quòd in fine hujus c. dicitur, mulieres metum paſſas, qui in virum conſtantem cadere potuit, non immeritò eſſe audiendas, aliqui inferunt, tale matrimonium non eſſe irritum, ipſo jure, ſed reſcindendum per Judicem, ſicut alii contractus ex metu initi. Verùm audiendæ ſunt tales mulieres, non ut Judex reſcindat matrimonium metu contractum, ſed ut declaret eſſe irritum, ut conſtat ex c. *Cùm locum. 14. h. t.* & aliis Juribus ſuprà allegatis, *Sanch. l. 4. diſ. 12. n. 16. 18. & 26.*

§. V. *Virum*

§. V.

Utrùm matrimonium ex metu levi initum ſit irritum, & an contractum ex metu reverentiali?

CXVII. Ad priorem quæſtionem reſpondetur, probabilius eſt, matrimonium ex metu levi initum non eſſe irritum, ſed validum, ut docet *Sanch. l. 4. de matr. diſ. 17. n. 3.* & alii apud eundem. Idque probatur ex *c. Veniens. 15. & c. Conſultationi. 28. h. t.* Arg. à cõtrario ſenſu ducto. Loquuntur enim ſolùm de metu cadente in conſtantem virum, adeoque gravi, ergo aliud dicendum, quando metus non cadit in conſtantem virum, ſed levis eſt. Idem de matrimonio ſpirituali, ſive Profeſſione Religioſa, quòd non ſit irrita, ſi non ſit facta metu cadente in virum conſtantem, habetur in *c. pen. & c. 1. de his, quæ metûs cauſ. fiunt.* Idem probatur ex *l. Nec timorem. 7. §. 1. ff. de eo, quod met. cauſ.* ubi dicitur: *Si quis meticuloſus rem ullam fruſtra metuerit, per hoc Edictum non reſtituitur, quia neque vi, neque metûs cauſâ factum eſt.* Unde patet, quòd Jura metum levem non conſiderant, neque is propriè appellatur metus, ut tradit *Gl. in c. un. V. Subjacere. eod. in 6.* adeóque non obſtat, quominùs matrimonium, aliíque contractus ſint validi, nec reſcindi poſſint tali metu initi, *Sanch. l. 4. de matr. diſ. 17. n. 3. & alii* apud ipſum, & dictum ſuprà *libr. 1. Tit. 40. §. 1. n. 38.* quia aliàs omnia eſſent plena controverſiis, & litibus, cùm metus levis facilè adeſſe, & probari, aut ſimulari poſſit. *Coning. diſ. 28. dub. 11. n. 8.* Quòd autem matrimonium ex metu levi initum ſit validum, inde etiam probatur, quia cùm matrimonium ob metum ſit irritum ſolùm Jure Eccleſiaſtico, ut ſuprà dictum: Eccleſia autem tantùm irritaverit initum ex metu gravi, & cadente in virum conſtantem, ſequitur levi metu initum non eſſe irritum, *Sanch. c. l. n. 4.*

CXVIII. Oppoſita tamen ſententia, nempe matrimonium etiam levi metu contractum, ita ut contrahens nullo pacto conſentiret, niſi metu eſſet inductus, eſſe irritum, ſaltem in foro conſcientiæ, eſt etiam valde probabilis: quamvis in foro externo Eccleſiæ non irritetur tale matrimonium, quia Eccleſia, quando metus eſt levis, in favorem matrimonii præſumit, non coactum, ſed ſpontaneum conſenſum interveniſſe: alioquin verò ſpectato jure naturæ, ſi metus levis ab ipſomet altero contrahente injuſtè ſit illatus, non minùs metus levis irritat matrimonium, quàm metus gravis. Jure verò poſitivo gravis metus, etiam aliunde, quàm à contrahente illatus, facit matrimonium invalidum, juxta Jura ſupra citata: non autem metus levis aliunde illatus, niſi ratione perſonæ, cui injectus eſt, cenſendus ſit gravis, *Tanner. cit. diſ. 8. q. 3. dub. 2. n. 41. & 42.*

CXIX. Ad poſteriorem quæſtionem reſpondetur, matrimonium initum ex metu reverentiali, ſive reverentiæ, quam debet Superiori ſuo inferior, ut filius patri, vel alteri, qui loco patris eſt, non eſt irritum, ſed validum. Id verò intelligendum eſt, quòd metus reverentialis per ſe ſolus non ſit ſufficiens ad annullandum matrimonium: niſi conjunctæ ſint graves minæ, aut periculum gravis, ac diuturnæ offenſionis patris, aut ejus perſonæ, cui reverentia debetur, & à qua vita, fortunáque hominis plurimùm pendet, *Sanch. l. 4. de matr. diſ. 6. n. 7. & 14. Coning. cit. diſ. 28. dub. 2. n. 35. Laym. l. 5. tract. 10. p. 2. c. 5. n. 3.* Ratio eſt, quia metus reverentialis non videtur habere vim per ſe ad terrendum virum conſtantem, quam tamen habet, ſi conjunctæ ſint minæ, & periculum incurrendæ gravis indignationis. Similiter preces importunæ, ac ſæpius repetitæ, etſi non ſolæ, conjunctæ tamen cum metu reverentiali perſonæ rogantis, & moleſtè inſtantis, inferunt metum cadentem in virum conſtantem, adeoque ſufficientem ad infirmandum matrimonium, *Sanch. cit. l. 4. diſ. 7. n. 5. Laym. c. l. Tanner. cit. diſ. 8. q. 3. dub. 2. n. 31. & 32.* Ratio eſt, quia difficillimum eſt, diuturnas, & continuas preces Superioris reijcere ſemper, quod citra periculum graviſſimæ offenſionis fieri vix poteſt.

§. VI.

An matrimonium gravi metu initum confirmetur per iuramentum adiectum, vel per copulam ſubſecutam?

CXX. Præmittendum, non eſſe idem juramentum eſſe validum, & juramentum confirmare contractum, ut notat *Leſſ. l. 2. de juſt. c. 17. dub. 7. num. 50.* Nam juramentum tunc dicitur validum, quando ſervandum eſt, ob reverentiam Divini Numinis, licèt per illud nullum jus acquiratur ei, in cujus favorem fit. Confirmat autem juramentum contractum, cui adjicitur, quando non ſolùm ſervandum eſt, & obligat, ſed etiam ei, in cujus favorem juratur, jus tribuit, & contractum validum reddit, ita ut obligatio juſtitiæ ex contractu oriatur, quæ manet etiam poſt relaxationem juramenti, & ad hæredes tranſit, ſicut & jus alterius ad hæredes tranſit, *Leſſ. c. l.*

CXXI. ASSERTIO I. Matrimonium gravi metu contractum non fit validum per adjectionem juramenti, *Sanch. l. 4. de matr. diſ. 20. n. 12.* & alii apud eundem. Probatur ex *c. 2. De eo, qui duxit in matrim. &c.* ubi decidituit, Eum, qui poſt matrimonium metu contractum cum aliqua, & juramento firmatum, aliam duxit, debere manere cum ſecunda, priúsque matrimonium fuiſſe invalidum. Ratio eſt, quia matrimonium ex gravi metu initum, eſt invalidum, ob defectum ſpontanei, ac plenè liberi conſenſûs, qui ad ſubſtantiam matrimonii requiritur: *c. Cùm locum. 14. h. t.* Sed per juramentum, quo v. g. contrahens eodem metu impulſus, jurat ſe ratum habiturum matrimonium, quod ex metu contraxit, non ſuppletur defectus liberi conſenſûs, ut per ſe patet, ergo matrimonium tale non fit validum, ratione juramenti adjuncti. Præterea juramentum fortitur naturam, & conditiones actûs, cui apponitur: ſed matrimonium ad ſui valorem requirit conſenſum ſpontaneum, & liberum à coactione, ergo etiam juramentũ matrimonio adjectum habet hanc tacitam condirionem, ſi matrimonium libero conſenſu, ſeu abſque metu ſit contractum, ubi ergo conſen-

Digitized by Google

conſenſus eſt coactus, nec juramentum obligare, ſeu contractum matrimonii confirmare poteſt. Item, quia perſonæ ſunt inhabiles ad contrahendum matrimonium, quamdiu metus durat, idque ex decreto Eccleſiæ, quæ irritat talia matrimonia: ſed per juramentum non fiunt habiles, ergo illud non poteſt confirmare matrimonium. Denique ſi juramentum redderet validum matrimonium metu contractum, nullum remedium fuiſſet allatum ab Eccleſia, ne matrimonia per metum contrahantur, quod tamen maximè intendebat, nam qui cogit aliquem ad contrahendum, facilè poſſet etiam cogere ad jurandum.

Non obſtat *c. Inter cætera. 22. cauſ. 22. q. 4.* Nam omiſſis aliis reſponſionibus *Gloſſæ ibid. V. Matrimonium.* verior expoſitio illius text. eſt, non tractari ibi, an geſta per metum ſint valida, ſed tantùm quæ juramenta ſint licita, & ſervanda: ac proinde ibi ſolùm dicitur, quòd ille, qui metu coactus, promiſit ſe, concubinam ſuam ducturum in uxorem, poſſit eum illa poſtea liberè matrimonium contrahere: ſed juramentum negandi alimenta matri, & fratribus, eſſe illicitum, & injuſtum, ut patet ex *Summa illius text. & ex Gratiano ibid. §. Sed cùm his.* ubi ait, quòd illicita juramenta non ſunt ſervanda; *Covarr. libr. 4. Decretal. p. 2. c. 3. §. 7. n. 5. Sanch. c. l. n. 13.*

CXXII. Porro juramentum adjectum matrimonio gravi metu contracto, non tantùm non confirmat illud, ſed neque parit obligationem ex virtute Religionis, adeoque neque relaxatione indiget. *Sanch. cit. dif. 20. n. 15.* ubi id probat ex eo, quia Eccleſia, non tantùm annullat matrimonium metu gravi contractum, ſed etiam irritat matrimonio adjectum juramentum, ut colligitur ex *cit. c. 2. De eo, qui duxit &c.* ubi ob violatum juramentum nulla injungitur pœnitentia, prout fit in *c. Sicut. 22. h.t.* ubi decernitur, priora ſponſalia juramento firmata, per matrimonium ſubſequens dirimi, impoſitâ ei pœnitentiâ competenti, quia primam fidem irritam fecit, ergo ſignum eſt tale juramentum non obligare, *Sanch. c. l. n. 15.* Neque verò ſemper juramentum, quod ſine peccato ſervari poteſt, obligat: quando enim actus, ob publicum bonum, ſeu utilitatem irritatur, juramentum ei ſuperveniens non tenet, nec ſervari debet, *Arg. c. Si diligenti. 12. de foro compet.* Ex quo colligitur, juramentum contra publicam utilitatem præſtitum, non poſſe licitè ſervari: & ſi ſervàri non debet juramentum, quando fit in præjudicium tertii, *c. Sicut. 27. & c. ſeq. de Iurejur.* mulcò minùs obligat, quando lædit bonum publicum. *cit. c. Sicut.* ita ut relaxatione non indigeat, *Sanch. l. 1. de matr. dif. 32. n. 9.* Quinam autem contractus in ſpecie juramento confirmentur, vel non, dictum eſt *libr. 2. Decret. Tit. 14. ſec. 4. §. 1. & 2.*

CXXIII. Assertio 2. Quamvis matrimonium metu gravi contractum confirmetur per ſequentem copulam, depoſito metu, omnino liberè, & affectu maritali habitam, non tamen ratificatur per talem copulam, ſimili metu extortam, *Sanch. cit. l. 4. dif. 18. n. 15. Coninq. cit. dif. 28. dub. 4. n. 41. Tanner. cit. dif. 8. q. 3. dub. 2. n. 33.* Prima pars patet, quia conſenſus ſpontaneus metum paſſi (qui ſolus deſiderabatur ad valorem matrimonii, cùm conſenſus illius, qui metum intulit, fuerit legitimus, quippe liber, & ſpontaneus) ſufficienter exprimitur per ſpontaneam copulam animo conjugali habitam. *c. Is, qui fidem. 30. h. t.* ergo eâ ſecutâ, confirmatur matrimonium metu contractum, & fit validum. Idque etiam verum eſt poſt Concil. Trident. ſi prius matrimonium coram Parocho, & teſtibus ignorantibus occultum impedimentum incuſſi metûs, legitimè contractum fuit, & depoſito metu per ſubſequentem ſpontaneam copulam ratificatâ fuit, *Sanch. c. l. n. 11. & 16. Tanner. c. l. n. 34.*

Secunda pars, quòd non ſit matrimonium validum, ſi quis cogatur contrahere, & poſtea per copulam conſummare, probatur, tum quia Eccleſia irritavit matrimonium metu gravi extortum, ob defectum pleni, ac perfectè liberi conſenſûs: atqui hic per ſequentem copulam carnalem metu gravi etiam extortam non ſuppletur: ergo tale matrimonium manet invalidum, ſicut priùs. Tum quia matrimonium nunquam poteſt validè contrahi ex metu cadente in virum conſtantem, cùm jura abſolutè talem contractum matrimonialem irritent; ergo nec poteſt confirmari prius matrimonium invalidum, per actum, ſive copulam poſtea conſimili metu extortam. Confirmatur 1. quia revera talis metus, non obſtante culpâ, civiliter loquendo, cadit in virum conſtantem: nam prior metus, ob quem matrimonium fuit initum, cadebat in virum conſtantem: atqui hic metus, quo quis cogitur ad conſummandum matrimonium, accedente copulâ coactâ, non tollitur, ſed potiùs augetur, additúrque metus novus ad conſummandum matrimonium; ergo matrimonium erit adhuc nullum, ſicut priùs. Confirmatur 2. quia eadem incommoda, ſequuntur ex matrimonio metu inito, & conſummato: quæ ex eodem non conſummato: ergo matrimonium utrumque fuit ab Eccleſia irritatum.

CXXIV. Ex dictis ſequitur, quòd quis potiùs debeat mortem obire, quàm ut poſtquam per gravem metum extorto conſenſu, contraxit matrimonium, illud poſtea conſimili metu compulſus conſummet, quia talis conſummatio revera non eſt aliud, quàm mera fornicatio, *Coninq. cit. dif. 28. dub. 4. n. 42. Tanner. c. l.* Veruntamen quia contraria ſententia aſſerens per copulam, etſi ex gravi metu, animo tamen, ſeu affectu maritali habitam, ratificari prius matrimonium coactum, ob DD. auctoritatem eſt probabilis, poſſet quis in neceſſitate ſequi illam, & ſic excuſari à peccato, conſummando tali modo matrimonium: præſertim cùm hæc ſententia nitatur etiam ratione probabili, nempe quòd Eccleſia irritet conſenſum metu extortum, in favorem contrahentis, qui hic omnino ceſſat, cùm tali potiùs damnoſum ſit, & valde onerоſum, quòd ad mortem evitandam non poſſit licitè conſummare matrimonium, quod aliàs per ſe, ſecluſâ irritatione Eccleſiæ, liceret, *Tanner. cit. dub. 2. n. 35.* ubi *ex Henriq.* addit, ſecurius eſſe, ut talis petat dilationem, ſeu tempus opportunum, quo poſſit metum deponere, & ſic liberè conſentire, & matrimonium conſummare, idque ne propter pœnam mortis intentatam DEVM offendat.

CXXV. Poſtremò illud præterea hoc loco quæri poteſt: an in matrimonio gravi metu contracto, poſſit cogens reſilire à matrimonio, invito eo, qui metum paſſus eſt, & antequam hic priſtinum

conſenſura ratificet? Negant *Navarr.* & alii apud *Sanch. l. 4. de matr. diſ. 25. n. 4.* Ratio eſt, quia cogent, ratione injuriæ illatæ per coactionem, tenetur eam reſarcire, ſtante matrimonio, ſi coactus velit. Contrarium tamen valde probabiliter quoque docet *Sanch. ibid. n. 5.* nempe cogentem in foro conſcientiæ, ante Judicis ſententiam, non teneri matrimonium perficere: ſed liberè, altero invito, poſſe reſilire, modò pro damno illato per coactionem, alio modo ſatisfieri poſſit. Ratio eſt, quia in contractibus onerosis, & reciprocis, non poteſt exurgere ex una parte tantùm obligatio: ſecus eſt in contractibus, qui ipſo jure invalidi non ſunt, etſi reſcindi poſſint per ſententiam: hi enim claudicare poſſunt, ſeu ex una parte habere obligationem tantùm efficacem: ex altera inefficacem, quia per exceptionem elidi poteſt.

SECTIO V.

DE UNITATE, ET INDISSOLUBILITATE matrimonii.

§. I.

An matrimonium ſit neceſſariò unius viri cum una fœmina, & an, ac quo Iure polygamia ſit prohibita?

CXXVI. Præmittendum eſt, ſemper licitum fuiſſe in Lege Veteri, & novâ Evangelicâ, ſecundum, tertium, quartum matrimonium, ac ſic deinceps, contrahere, poſt mortem conjugis, ut conſtat ex *c. 7. ad Roman.* & *1. ad Corinth. 7.* ubi dicitur: *Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir ejus vivit, quòd ſi dormierit vir ejus, liberata eſt, & cui vult, nubat.* Idque probatur ex omnium gentium conſuetudine.

CXXVII. Assertio 1. Polygamia, ſeu matrimonium unius viri cum pluribus uxoribus ſimul initum, eſt contra primævam inſtitutionem ejus, & jure naturæ nullum, niſi diſpenſatio Divina interveniat. Probatur, tum quia ex primæva inſtitutione matrimonij ab Auctore naturæ facta in Paradiſo, patet illud eſſe tantùm unius viri cum fœmina una, nam *Gen. c. 2.* dicitur: *Quamobrem relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una:* ſi autem unus vir habeat duas uxores ſimul, & eodem tempore, non erunt duo in una carne, ſed potiùs dividetur in plures carnes, ut notat Innoc. III. in *c. Gaudemus. 8. de divort.* Tum quia pluralitas uxorum ſaltem adverſatur ſecundario fini, nimirum pacificæ cohabitationi conjugum, & gubernationi domeſticæ, quia facillimè rixæ, & invidiæ inter plures uxores oriuntur, præſertim ſi una, præ aliis, à viro diligatur, *Sanch. cit. diſ. 80. n. 8.* Idem etiam probatur ex eo, quòd Chriſtus ait. *Matt. 19. Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimiſſam* (nimirum etiam ob fornicationem) *duxerit, mœchatur:* ſi ergo uxore dimiſſâ, alia duci de jure non poteſt: multò minùs poteſt duci, illâ tentâ, ut dicitur in *cit. c. Gaudemus.* Unde Chriſtus in eo loco dicit: *Ab initio autem non fuit ſic*, quibus verbis ſignificat, ſe non ſtatuere novum jus, ſed antiquum renovare, ex quo ſequitur pluralitatem uxorum ſempet fuiſſe Divinâ, & naturali lege prohibitam, & illicitam, exceptâ diſpenſatione Divinâ, ut infrà dicetur. *Tanner. cit. diſ. 8. q. 4. dub. 6. n. 190. Laym. libr. 5. tract. 10. p. 3. c. 6. n. 8.*

CXXVIII. Assertio 2. Polygamia, ſive matrimonium unius fœminæ cum pluribus viris ſimul initum, eſt contra primævam inſtitutionem matrimonii, & jure naturæ invalidum, quia tale matrimonium repugnat primario fini ipſius matrimonii, nempe generationi prolis, quæ incerta erit, & ex commixtione plurium virorum impeditur, ut vel nunquam, vel rariùs ſubſequatur, ut patet in meretricibus. Deinde etiam adverſatur fini ſecundario matrimonii, nimirum tranquillæ cohabitationi, & paci conjugum, ubi enim multa capita ſunt unius corporis, nempe multi viri in eadem familia, innumeræ rixæ excitabuntur, ideoque etiam nunquam legitur permiſſum fuiſſe, ut una uxor pluribus viris ſimul nubat, *Sanch. l. 7. de matrim. diſ. 80. n. 4.* & alii, de quo infrà.

CXXIX. Assertio 3. Polygamia, ſeu matrimonium unius viri cum pluribus uxoribus, non ita repugnat juri naturali, & Inſtitutioni Divinæ, ut tanquam intrinſecè malum (ſicut blaſphemia, perjurium &c.) nullo caſu cohoneſtari, & licitum fieri poſſit, *Covarr. in Epit. l. 4. p. 2. c. 7. §. 3. n. 1. Sanch. cit. diſ. 80. n. 8. Tanner. c. l. n. 102. Laym. c. l. n. 7.* & alii. Nam DEVS olim in Veteri Teſtamento diſpenſavit cum veteribus Patriarchis, ut plures uxores ſimul, & eodem tempore, habere poſſent. Ratio eſt, quia talis polygamia non eſt ex proprio objecto ſuo intrinſecè mala, ſed ſolùm ex adjunctis incomodis, quæ tamen in certis caſibus abeſſe, vel aliis modis compenſari poſſunt: alioquin, ſi talis pluralitas uxorum eſſet intrinſecè, & neceſſariò mala, & propriè, ac directè repugnaret juri naturali, nunquam potuiſſet DEVS illam concedere: quæ quidem conſuetudo ducendi plures uxores poſtea ad Gentiles quoſdam defluxit, *Sanch. cit. diſ. 80. n. 13.*

Porrò illæ mulieres, quæ in S. Scriptura, ut *Geneſ. c. 25.* concubinæ appellantur, etant legitimæ uxores, prout etiam aliquando in Script. vocantur uxores, ſic enim *Agar c. 16. v. 3.* uxor appellatur: non autem erant uxores primariæ, nec matresfam. quia familiam non gubernabant, eorúmque filii paternorum bonorum hæredes eſſe non poterant, ſed ancillæ manebant, etiam poſt nuptias: admiſſæ tamen ſunt in legitimi toti ſocietatem, ut notat *Laym. c. l. & Menoch. in c. 25. Gen. v. 6.*

CXXX. Quod verò ad alteram polygamiam attinet, quando una fœmina ſimul, & eodem tempore nubit pluribus viris, ea quidem majorem deformitatem præſefert, & plura incommoda annexa habet, quàm prior polygamia: unde plures cenſent, repugnare juri naturali, ut una fœmina ſimul plures viros habeat: probabilius tamen eſt, id non ita repugnare Juri naturali, quin DEVS per abſolutam ſuam potentiam id concedere poſſit, ut docet *Sanch. cit. diſ. 80. n. 15. Coning tract. de matr. diſ. 26. dub. 2. n. 29. Laym. cit. c. 6. n. 9.* Ubi notandum, quòd quædam actiones hominum ex objecto ſuo ſunt per ſe, ac intrin-

intrinſecè malæ, & prohibitæ, ita ut malitia ab iis ſeparari non poſſit, quales ſunt Deum odiſſe, blaſphemare &c. & in his Deus nunquam diſpenſare poteſt, nec eæ licitè fieri poſſunt. Quædam verò ſunt actiones hominum malæ, quia repugnant juri naturali, ita tamen ut cohonestari, & licitæ fieri poſſint, ſi is, qui hanc poteſtatem habet, tribuat jus tales actiones exercendi. Sic occidere innocentem cenſetur per ſe malum, ſi tamen Deus, qui eſt Supremus Dominus vitæ hominum, conſentiat, vel præcipiat, ut innocens occidatur, ſicut præcepit Abrahamo, ut immolaret filium ſuum innocentem, id ſtarim deſinit eſſe malum, & fit licitum. Item auferre rem alienam, invito domino, eſt furtum, & reputatur per ſe malum, & illicitum, ſi tamen proprius dominus conſentiat, ſtatim eſt licitum. Similiter in propoſito, omnis polygamia, præſertim illa, per quam plures viri, eodem tempore, ducunt unam fœminam in uxorem, unàque pluribus nubit, repugnat Juri, non ſolùm Divino, ſed etiam naturali, quia Deus, qui ſolus ſupremum dominium habet in corpora humana, non aliter conceſſit contrahentibus matrimonium, poteſtatem tradendi ſua corpora ſibi invicem, ad uſum generationis, niſi ut unus vir cum una fœmina conjungatur: quare ſi aliter fiat, id repugnat juri Divino, & naturali: ſi verò Deus licentiam det ad hoc faciendum conjugibus, tunc id neutri juri adverſatur, ſed id eſt licitum, & honeſtum. Ex quo colligitur, quòd Deus, quando permittit polygamiam, ut unus vir plures fœminas ſimul ducat, vel etiam ſi una fœmina pluribus viris nubat, non propriè in ea diſpenſat, ſed conditionem apponit, quâ poſitâ, illa mala, ſeu illicita eſſe deſinit, ſicut ſi præciplat Deus, ut innocens occidatur, vel res aliena proprio Domino auferatur, *Leym. c. 1.*

Ex dictis infertur 1. S. Pontificem in nullo caſu diſpenſare poſſe, in pluralitate uxorum, ut unus plures uxores ſimul habeat, & multò minùs, ut una fœmina plures ſimul viros habeat, quia id prohibitum eſt, tum lege naturali, tum Divinâ Chriſti, *Matth. c. 19.* ob Myſticam ſignificationem hujus Sacramenti, nimirum conjunctionis Chriſti cum Eccleſia, quæ eſt unica, ob unam fidem, & unum Baptiſmum, *Sanch. cit. diſ. 80. n. 9.* Diſpenſatio autem illa Divina, ſeu conceſſio, quæ erat in veteri Lege Moſaycа, jam eſt ſublata per Chriſtum, qui reduxit matrimonium ad primævum ſtatum, ut eſſet conjunctio unius viri cum una fœmina, *Sanch. c. 1. n. 14. Tanner. cit. dub. 6. n. 100.* 2. Nullâ etiam conſuetudine effici poteſt licita polygamia, quia conſuetudo non poteſt derogare Juri Divino, & naturali, *Sanch. c. 1. num. 10.* 3. Etiam infidelibus nunc poſt legem Evangelicam eſt prohibita prolygamia, ac proinde ij ad fidem converſi cogendi ſunt, ut ſolam primam uxorem retineant, aliis dimiſſis, quia jure naturali, ac Divino connubium cum pluribus uxoribus, vel vitis eſt irritum, ad quod ſublatâ diſpenſatione per Chriſtum, reductum eſt matrimonium, *Sanch. c. 1. n. 12.*

§. II.

Qualis certitudo ſit neceſſaria de morte prioris coniugis, ut poßit ſuperſtes coniux licite ad alias nuptias tranſire?

CXXXI. Quia nec vir poteſt habere ſimul duas uxores, nec fœmina duos viros, ut dictum in præcedentibus, ſæpe autem non conſtat, an alter conjux adhuc in vivis ſit, necnè, inde oritur hæc quæſtio, qualiter conſtare debeat de morte alterius conjugis abſentis? De hac re agitur in *c. In præſentia. 19. h. t.* Ubi Epiſcopus Cæſar-Auguſtanus ex Clemente III. quæſivit, quid agendum ſit de mulieribus, quæ viros ſuos, ob captivitatem, vel peregrinationem abſentes, exſpectârunt ultra ſexennium, nec certiores fieri poterant de vira, vel morte ipſorum, licèt diligenter inquiſiverint. Et quia juvenes erant, & ob fragilitatem carnis continere non poterant, petierunt aliis viris matrimonio copulari. Reſpondet Pontifex, quòd quantocunque tempore ita remanſerint, non poſſunt ad aliorum conſortium (hoc eſt, ad alias nuptias) canonicè tranſire, nec auctoritate Eccleſiæ permitti debent contrahere aliùd matrimonium, donec certum nuntium accipiant de morte virorum.

CXXXII. Pro declaratione hujus c. notandum 1. non ſufficere moralem probabilitatem, ſed requiri moralem certitudinem de morte virorum abſentium, ut conſtat ex hoc c. in fine, & *c. 2. de ſecund. nupt. Covarr. in Epit. l. 4. Decret. p. 2. c. 7. §. 3. n. 3. Sanch. l. 2. de matrim. diſ. 46. n. 6.* & alii apud ipſum. Ratio eſt, tum quia in omni genere humanarum rerum, & actionum ſufficit moralis certitudo, cùm major vix haberi poſſit; & cùm in ſecundo contrahendo matrimonio ſit periculum nullitatis ejusdem, & adulterii: in abſtinendo verò nullum, hoc præſertim gendum eſt, quamdiu certitudo de morte conjugis non adeſt, ut peccati periculum vitetur. Tum quia mors conjugis abſentis, cùm ſit quid facti, non præſumitur, ſed probari debet ab allegante, *Sanch. cit. diſ. 46. n. 1.* Tum quia matrimonium inter Chriſtianos ſemel legitimè contractum, nonniſi per mortem alterius conjugum, viâ ordinariâ diſſolvitur, *c. pen. & ult. inf. de ſecund. nupt.* juxta illud Chriſti *c. 19. Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*, ergo propter abſentiam alterius conjugis, non diſſolvitur matrimonium, quamvis ſit diuturna, quia mors illius non redditur certa, ſed ſolùm vita dubia: neque etiam in caſu hujus c. mulieres allegare poterant fragilitatem carnis, & petere facultatem tranſeundi ad alias nuptias propter periculum incontinentiæ: nam etiam alii plures ſunt caſus, in quibus conjuges ſe continere debent, & privantur uſu conjugij, ut ſi alter conjux in futorem, vel aliam gravem, & diuturnam infirmitatem incidat, vel aliàs impotens fiat, non enim ideo diſſolvitur matrimonium, propter periculum incontinentiæ, ut conſtat ex *c. Hi qui. 15. & c. ſeq. cauſ. 32. q. 7. Caſtr. in cit. c. In præſentia. n. 1. h. t.*

CXXXIII. Notandum 2. Quamdiu solùm dubitatur, aut leves tantùm conjecturæ, vel indicia adsunt de morte prioris conjugis, nunquam est licitum cum alio matrimonium contrahere. Ratio est, quia generatim loquendo, quando de certa obligatione ad aliquid faciendum constat, non autem constat de ejus solutione, seu liberatione, tunc non licet ab obligatione recedere, quia ea adhuc est in possessione, quippe quæ certa est, & solùm dubitatur de illius cessatione: ut in proposito, constat de obligatione prioris matrimonii, non autem constat de illius de solutione, seu liberatione, quia non constat, an prior conjux adhuc vivat, vel non, ideóq; necessariò in hoc dubio utrior pars est eligenda, & judicandum, quòd adhuc obliget prius matrimonium, de quo non constat, esse dissolutum, per mortem alterius conjugis, *Tanner. cit. disp. 8. q. 4. dub. 6. num. 105.*

Notandum 3. Ut conjux superstes possit aliud matrimonium inire, non sufficit sola moralis probabilitas, sed requiritur moraliter indubitata certitudo de morte prioris conjugis, ut colligitur ex *cit. c. In præsentia in fine.* Quia cùm hîc agatur de gravi præjudicio conjugis absentis, & de periculo multiplicis peccati, meritò major certitudo aliqua requiritur, quàm verisimilis præsumptio, seu existimatio, *Tanner. c. l. n. 106.* Nec obstat *c. Quoniam. 5. & ult. §. Porro. Vt lite non contestatâ &c.* Ubi dicitur, quòd sufficit verisimilis præsumptio, ut permitti possit conjugi superstiti inire alterum matrimonium, nam ibi agitur de casu omnino diverso, de quo dictum suprà *libr. 2. Tit. 6. n. 21.* & videri potest *Laym, l. 5, tr. 10, p. 3. c. 3. n. 2.*

CXXXIV. Notandum 4. Quia in specie determinati non potest, qualis esse debeat hæc certitudo de morte prioris conjugis, id esse prudentis Judicis arbitrio, attentis circumstantiis occurrentibus, relinquendum, tenent communiter DD. *Abb. in cit. c. In præsentia. n. 6. Covarr. cit. §. 3. n. 4. Sanch. cit. disp. 46. n. 7.* & alii apud ipsum. Et inprimis quidem non sufficit unus testis asserens conjugem absentem esse mortuum, ut liceat alteri transire ad secundas nuptias, quia juxta jura vox unius est vox nullius, *l. Iuriisjurandi. 9. §. Simili modo. C. de Testib.* & ibi *Bald.* in Summa, & unius testimonium non admittitur, *c. Veniens. 10. in fine, extra eod.* Nec obstat, quòd in *cit. c. In præsentia*, solùm requiritur certum nuntium in singulari, ut patet ex illis verbis: *Non permittas eos contrahere, donec certum nuntium retipiant:* si ergo sufficit certus nuntius de morte conjugis, sufficit unus testis. Verùm *nuntium certum* ibi accipitur in neutro genere, pro eo quod nuntiatur, & quidem à pluribus, at non potest dici nuntium certum, quod ab uno solo affertur, seu asseritur. Sed neque in genere masculino *nuntius certus* dici potest unus testis, quia non potest dici afferens nuntium certum, quod quis solus testatur, *Sanch. cit. disp. 46. n. 11.* Quia in ore duorum aut trium testium (non unius tantùm) *stabit omne verbum, Matth. c. 18.* quod tamen limitat *Sanch. c. l. n. 12.* nisi conjux obierit in loco ita remoto, ut aliæ probationes haberi facilè nequeant. Verùm per unum testem habetur solùm semiplena probatio, quæ non sufficit ad probandam mortem alterius conjugis, sed plena probatio requiritur.

Sed neque sola per se fama sufficit, nisi aliis adminiculis adjuvetur, cujusmodi sunt vehementes conjecturæ, seu præsumptiones de morte alterius conjugis, ut quia vir fuit valde senex, & in acie pugnavit, & diu exspectatus non rediit, & insuper adest oculatus testis, vel publica fama de ejus morte testificans: hoc casu, si major certitudo, & plenior probatio haberi non possit, sufficiet valde probabilis præsumptio, quia & hæc moralem dubitationem excludit, & moraliter certam probationem facit, *Sanch, cit. disp. 46. n. 15. Laym. cit. c. 3. n. 1. §. Sed facilis. Tanner. cit. dub. 6. num. 107.* Debet autem ipsa fama legitimè esse probata per duos, vel tres testes idoneos, *Sanch. c. l. n. 16.*

CXXXV. Notandum 5. Valde probabilis est sententia, quòd conjux, si habeat verisimilem præsumptionem, & valde probabilem, etsi non omnino certam causam credendi, alterum conjugem esse mortuum, licitè possit ad secundas nuptias transire, idque Confessarius in foro pœnitentiæ permittere poterit, cùm bonâ fide transeat, neque Judex Ecclesiasticus in foro externo, si id post nuptias intelligat, debet tales conjuges separare, donec constiterit priorem conjugem adhuc vivere, prout apertè sumitur ex *c. 1. cauſ. 34 q. 1.* Ex quo colligitur, satis esse probabilitatem moralem de morte alterius conjugis, ut superstes possit, propriâ auctoritate, inire aliud matrimonium in foro conscientiæ, qua in moralibus, in quibus plerumque non potest haberi omnimoda certitudo, sufficit habere valde probabilem, etsi non omnino certam opinionem, seu præsumptionem, *Caniſ. cit. c. 3. n. 2.*

Notandum 6. Non tamen potest Judex Ecclesiasticus, in foro externo, in tali casu, quando solùm adest probabilis præsumptio ex indiciis, & conjecturis, non autem indubitata certitudo de morte alterius Conjugis, concedere licentiam transeundi ad secundas nuptias. Idque confirmat constans Consistoriorum Episcopalium praxis, & communissima DD. sententia, à qua in causa tam ardua, qualis est matrimonialis, non licet recedere. Idque etiam expressum habetur in *cit. c. In præsentia. h. t. & c. 2 de secund. nupt.* in quibus præcipitur, ut Ordinarius non permittat mulieres transire ad secundas nuptias, nisi constet, seu certitudo habeatur de morte maritorum; ubi verò nec per testes fide dignos, nec per indicia indubitatà probari potest mors virorum, ibi non habetur de illa certitudo, *Laym. c. l.* Quæ autem de absente marito dicta sunt, locum etiam habent in absente uxore, quia maritus, & uxor pari passu ambulant, quoad ea, quæ pertinent ad fidem conjugalem, *Caniſ. in cit. c. In præsentia. n. 2. §. Et hæc.*

CXXXVI. Notandum 7. Quamvis si prudenter existimetur adesse moralem certitudinem, seu valde probabilem præsumptionem de obitu alterius conjugis, qualis secundùm Jura requiritur, non sit necessarium, ut ab Ordinario petatur licentia inundi aliud matrimonium, ideóque Parochus, sine tali licentia assistere possit matrimonio; longè tamen tutius est, ut res ad Ordinarium deferatur, imò id absolutè necessarium est, si rationabiliter dubitetur,

Digitized by Google

tetur, an adſit certitudo, vel præſumptio de morte alterius conjugis, necnè, *Laym. cit. c. 3. num. 1. §. Sed facilè.*

Notandum 8. Si poſt contractum ſecundum matrimonium, quamvis bonâ fide, ſive uxor, ſive maritus, cognoſcat priorem conjugem vivere, debet matrimonium putatitium poſterius initum ſtatim diſſolvi, & prius reſtaurari, & maritus, vel uxor redire ad priorem conjugem, cum quo priùs contraxit, quia prius matrimonium nonniſi morte alterius diſſolvi poterat, 1. *ad Corinth. c. 7. Laym. cit. §. 3. in fine, Tanner. c. l. n.* 108.

Porro etſi olim Jure Civili ſtatutum fuit, ut mulier virum abſentem, de cujus vita dubitatur, quinquennio exſpectet, ut poſſit alii nubere, *l. Uxores. 6. ff. de divort.* quod tempus poſtea ad quadriennium eſt reſtrictum, *l. Uxor. 7. C. de repud.* vel ſaltem per annum, juxta *Auth. Hodie C. eod.* Id tamen Jure Canonico eſt correctum, quia Jus Civile nihil circa matrimonium diſponere poteſt, *Sanch. cit. diſ. 26. n. 2. & 3.*

§. III.

An, & quo Jure matrimonium ſit indiſſolubile?

Dupliciter dici poteſt matrimonium diſſolvi. 1. Quoad ſolum torum, ſeu cohabitationem, & de hoc agetur infr. Tit. 19. hoc libr. 2. Quoad vinculum, & de hoc agimus in præſenti.

CXXXVII. Assertio 1. Matrimonium, quatenus eſt præcisè contractus, non eſt ita indiſſolubile, ut ejus diſſolutio repugnet propriè Juri naturali, *Sanch. l. 2. de matr. diſ. 13. n. 8. Laym. l. 5. tr. 10. p. 3. c. 6. n. 1.* Probatur, quia obligationes, quæ mutuo conſenſu contrahuntur, contrariâ voluntate diſſolvuntur, §. *ult. Inſtit. quib. mod. toll. oblig.* Neque verò talis diſſolutio repugnat primario fini matrimonii, quæ eſt prolis generatio, & educatio, ita ut ſit per ſe, & intrinſecè malum, ſed ſolùm ratione adjuncti, quod ſæpiſſimè abeſt, ut ſi proles jam ſit perfectè educata, vel uxor ſit ſenex, aut ſterilis.

CXXXVIII. Assertio 2. Matrimonium ex Jure naturali Divino eſt indiſſolubile, ut docet *Sanch. cit. diſ. 13. n. 7.* Idque probatur 1. quia matrimonium ex primæva inſtitutione Auctoris naturæ eſt indiſſolubile, ut conſtat ex *c. un. de voto in 6.* Ubi dicitur, *quòd matrimonii vinculum ab ipſo Eccleſiæ Capite, rerum omnium Conditore, illud in Paradiſo, & in ſtatu innocentiæ inſtituente* (id eſt, ante peccatum, *Gl. ibid. V. eod.*) *indiſſolubilitatem acceperit.* Et *Concil. Trid. Seſſ. 24. de Sacramento matrimonii*, ait: *matrimonii perpetuum indiſſolubilémque nexum primus humani generis parens divini Spiritûs inſtinctu pronuntiavit, cùm dixit: Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea: quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una: quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet, Matth. c. 19.* Tunc autem non extabat aliquod præceptum poſitivum Divinum, præterquam de abſtinentia ab arbore vetita; ergo erat præceptum divinum naturale de indiſſolubilitate matrimonii: nam Chriſtus ipſe *Matth. c. 19.* ait: *ab initio autem* (hoc eſt, in ſtatu Legis naturæ) *non fuit ſic*, (id eſt, non fuit permiſſum, ſeu licitum date libellum repudii, & dimittere uxorem, adeoque non erat tunc ſolubile matrimonium) & tamen tunc non erat Sacramentum: ergo inſolubilitas matrimonii non oritur ex ſola Sacramenti ratione, ſed ex Jure Divino naturali. Confirmatur, quia matrimonium ordinatur, non tantùm ad generandam, ſed etiam ad educandam prolem, quod commodè fieri non poſſet, ſi matrimonium eſſet ſolubile, foret enim proles incerta, maléque educaretur: quamvis non ſit ita inſolubile, ut ejus diſſolutio ſit per ſe, & intrinſecè mala, ſed ſolùm ratione adjuncti, quod ſæpe abeſt, ut ſi proles jam ſit educata, vel nulla ſpes ſit generandæ prolis, quia uxor ſenex eſt, vel ſterilis: tunc enim, ſi diſſolvatur matrimonium cum priore conjuge, & contrahatur aliud cum altero conjuge, id magis confert ad prolis generationem, quàm ut ei adverſetur, *Laym. c. l. n. 1.*

CXXXIX. Assertio 3. Quòd matrimonium conſummatum inter fideles Chriſtianos, ſeu baptizatos omnino, & indiſpenſabiliter ſit indiſſolubile, ſive omnimoda illius indiſſolubilitas, non competit matrimonio ex jure naturæ, ſed ex Jure Divino addito juri naturali, nimirum ex præcepto Chriſti impoſito in Lege Evangelica *Matt. 19. Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet, Sanch. l. 2. diſ. 13. n. 8.* Prima pars, quòd non competit ex Jure naturæ, probatur, quia Jus naturæ ſemper idem eſt, & immutatum manet: atqui ante legem Evangelicam apud Judæos poterat, ob rationabilem cauſam, diſſolvi matrimonium conſummatum etiam quoad vinculum per libellum repudii, ut apertè colligitur ex *c. 24. Deuteron. in princ.* & poſt legem Evangelicam poteſt etiam diſſolvi, quando unus tantùm conjugum infidelium ad fidem convertitur, ut infrà dicetur; ergo Jure naturali non eſt omnino indiſſolubile, ita ut ejus diſſolutio propriè repugnet Juri naturali, alioquin nec Deus in eo diſpenſare potuiſſet, quia neque per abſolutam ſuam omnipotentiam diſpenſare poteſt Deus in lege propriè naturali, ex ſententia S. Thomæ communiter recepta 2. 2. *q. 94. art. 5. & q. 100. art. 8. Laym. c. l.* Confirmatur, quia ſpectato præcisè matrimonio, ut eſt in naturæ officium, vel in remedium concupiſcentiæ inſtitutum, non apparet, cur maritus non poſſit dimittere uxorem ſterilem, & aliam ducere, cùm nullum inde incommodum proli ſequatur: nec cur non poſſit dimittere uxorem perpetuò ægrotantem, nec valentem debitum reddere marito.

CXL. Secunda pars, quòd matrimonium conſummatum ſit omnino indiſſolubile ex Jure Divino poſitivo, probatur, nam *Marci 10. v. 11.* abſolutè dicitur: *Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit. Et v. 12. Si uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, mœchatur.* Similis locus eſt *Luc. 16. v. 18. Ad Rom. 7. v. 2. & 3. 1. Corinth. 7. v. 10.* denique *Matth. c. 19.* Cùm Chriſtus dixiſſet: *v. 4. Erunt duo in carne una*: poſtea *v. 6.* ſubjungit, *quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet*, ubi ſpecialiter de matrimonio conſummato ſermo eſt, per quod conjuges fiunt una caro. Idémque probatur ex Concilio Florentino *Seſſ. ult. in De-*

Digitized by Google

creto unionis, & Trident. Sess. 24. can. 5. & 7. & ex perpetua traditione Ecclesiæ.

Porro hæc omnimoda indissolubilitas matrimonii, quæ ipsi competit ex Lege novæ Evangelica, non provenit ex eo tantùm, quòd sit Sacramentum novæ Legis, sed ex eo, quòd sit Sacramentum perfectè significans unionem Christi cum Ecclesia per incarnationem, idque probatur ex c. *Debitum. 5. de bigam. non ordin.* Ubi Innocentius III. definit, matrimonium ratum significare tantùm conjunctionem Christi cum Ecclesia per charitatem, seu dilectionem, & juxta illud 1. *ad Corinth. 6. Qui adhæret Deo, unus Spiritus est cum eo*, quæ unio saltem in particularibus membris Ecclesiæ subinde dissolvitur per peccatum mortale, ideóque etiam matrimonium ratum quandoque dissolvi potest. Consummatum verò significat conjunctionem Christi cum Ecclesia per Mysterium Incarnationis, juxta illud *Joan. 1. Et verbum caro factum est, & Ephes. 5. Sacramentum hoc magnum est, Ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*, quæ unio prorsus indissolubilis est, ideóque etiam matrimonium illud perfectè significans est omnino indissolubile, *Laym. cit. c. 6. num. 2. §. Porro.*

CXLI. Sed prædictis obstare videtur, quod dicit Christus c. 19. *Matth. Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*; ergo propter fornicationem poterit quis dimittere uxorem suam, & aliam ducere, adeoque per illam dissolvitur matrimonium. Sed respondetur, Christum ibi solùm loqui de dimissione uxoris, quoad torum, & cohabitationem, non autem de dimissione quoad vinculum, *Sanch. l. 10. de matr. disp. 2. n. 3.* ita ut sensus sit, fornicationem, sive adulterium esse justam causam dimittendi uxorem, quoad torum, & cohabitationem, ut talis non possit dici facere eam mœchari, quia qui ob fornicationem uxorem dimittit, non facit eam mœchari, ut dicitur c. 5. *Matth. v. 32.* utitur enim jure suo: quare exceptio illa (nisi ob fornicationem) solùm ad verba antecedentia, *qui dimiserit uxorem suam*: non autem ad sequentia, *& aliam duxerit, mœchatur*, referri debet, ita ut textus iste concordet cum illo *Marc. 10. & Luc. 16. v. 18.* Ubi absolutè dicitur: *Omnis, qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur, & qui dimissam à viro* (scilicet etiam ob fornicationem) *duxerit, mœchatur, Menoch. in cit. c. 5. Matth. v. 32.* Deinde etiam dici potest, in priore parte, ad quam solam referenda est exceptio, supplendum esse, *peccat*: ut sensus sit, qui uxorem, nisi ob fornicationem dimiserit, peccat: & qui dimissam, ex quacunque causa, duxerit, mœchatur, *Sanch. c. l.*

§. IV.

An, & quibus modis dissolvatur matrimonium ratum, & non consummatum?

Duobus modis, per professionem Religionis, & per dispensationem S. Pontificis. De priore egimus suprà *libr. 3. Tit. 32. de convers. conjug. §. 9. & 10.* de posteriore agemus hoc loco.

CXLII. Quæritur 1. An matrimonium ratum possit dissolvi per dispensationem S. Pontificis, ita ut soluto ejus vinculo, conjuges liberè possint inire aliud matrimonium? Resp. Affirmativè, quæ est communior, & verior sententia DD. apud *Sanch. l. 2. de matr. disp. 14. n. 2.* Probatur 1. ex facto plurium SS. Pontificum, qui in matrimonio rato, & nondum consummato sæpius dispensarunt, ut testatur *Navarr.* & alii apud *Sanch. c. l.* quos in re tam gravi ertâsse, sine temeritate, dici non potest. 2. Probatur, quia matrimonium ratum non est omnino indissolubile, nec ex ratione contractûs, ut patet ex matrimoniis infidelium, quæ dissolvi possunt. Neque ex ratione Sacramenti, aut significationis illius, quia significat solùm conjunctionem Christi per charitatem, quæ dissolvi potest, ut suprà dictum: ergo non est ratio, cur Pontifex non possit in eo dispensare: præsertim cùm potestas ligandi, & solvendi concessa Ecclesiæ à Christo, quippe utilis saluti animarum, extendenda sit, quantum licet, & quoad nullum contrarium divinum Jus obstat, vel id prohibet. Probatur 3. S. Pontifex potest dispensare in voto solemni, sive professione Religionis, ut habet verior sententia, & dictum suprà *libr. 3. Tit. 31. sect. 3. §. 8. n. 144.* ergo etiam in matrimonio rato, quod est illo infirmius, cùm per professionem Religiosam dissolvatur.

CXLIII. Objicitur contra 1. Pontifex non potest dispensare in Jure Divino, & naturali, ex communi, & recepta Theologorum sententia: atqui matrimonium etiam ratum Jure Divino, & naturali est insolubile, ut dictum suprà, Resp. Matrimonium etiam ratum, ex primæva Dei institutione esse insolubile, ita ut ex mutuo ipsorum contrahentium consensu dissolvi nunquam possit, sicut alii contractûs; quamvis possit dissolvi à Superiore potestate Ecclesiæ, seu S. Pontificis, ob bonum publicum Communitatis, *Sanch. l. 2. disp. 14. n. 5.* Neque tamen per hoc Pontifex propriè, & immediatè, ac directè dispensat in ipso Jure Divino, sed in contractu humano, cujus vinculum rollendo, velut destructo fundamento obligationis Juris Divini, & naturalis, indirectè, & peraccidens tantùm tollitur etiam lex Divina, vel naturalis, quippe quæ tali casu per se jam obligatè desinit: quemadmodum etiam fit in dispensatione voti, & juramenti, in quo Prælatus Ecclesiæ non dispensat propriè in Jure Divino, vel naturali, quo votum, vel juramentum obligat, sed tollit ipsum votum, seu juramentum, quod est fundamentum illius obligationis, quam homo sponte sibi imposuit, ut docet *S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 10. ad 2. Sanch. cit. disp. 14. n. 5. Tanner. cit. disp. 8. dub. 4. num. 64.*

Objicitur 2. Pontifex non potest mutare essentiam Sacramenti, ergo nec tollere vinculum matrimonii rati, dispensando in illo, quia est verum Sacramentum. Resp. Licèt matrimonium ratum sit Sacramentum, pendet tamen ex contractu humano, in quo fundatur ratio Sacramenti, hoc igitur dissoluto per auctoritatem S. Pontificis, indirectè etiam desinit ratio Sacramenti, dum contractus irritatur: quamvis directè Papa nihil possit mutare circa essentiam Sacramentorum, præsertim quæ independentia à contractu humano sunt, *Sanch. c. l. n. 5.*

CXLIV.

CXLIV. Obijcitur 3. De eſſentia matrimonii, etiam rati eſt, ut ſit perpetuum, & indiſſolubile, ergo nec poteſt per diſpenſationẽ Papæ tolli. Reſp. 1. de eſſentia eſt, ut non poſſit ab ipſis contrahentibus diſſolvi, non autem ut non poſſit diſſolvi per poteſtatem Papæ acceptam à Chriſto, ut ſit etiam in voto. Deinde non poteſt diſſolvi matrimonium per diſpenſationem, ita ut ſit matrimonium, & ad tempus contractum: ſed quando Papa diſpenſat in perpetuitate, non manet matrimonium, ſed utetque conjux libetatur à vinculo matrimonii, ſicut ſit in voto, in quo per diſpenſationem deſtruitur, & diſſolvitur in eo obligatio, *Sanch. c. l. n. 5.*

Obijcitur 4. Si Papa poſſet diſpenſare in matrimonio rato, poſſet etiam in conſummato, quia ea eſſentialiter non differunt, ſed ſolùm accidentaliter, ſicut res operans, & non operans. Reſp. neg. ſeq. quia propriè non differunt eſſentialiter, neque ſolùm accidentaliter, ſed differunt, tanquam perfectum integraliter, & imperfectum, quia conſummatio eſt quædam integralis perfectio matrimonii, quæ ex Chriſti Inſtitutione tantùm, ſacri Myſterii causâ, ad ſignificationem Unionis Chriſti cum Eccleſia per carnis aſſumptionem, tribuit illi majorem indiſſolubilitatem, ideòque dedit Chriſtus Eccleſiæ ſuæ poteſtatem quidem ſolvendi matrimonium ratum, non autem conſummatum, *Sanch. c. l. n. 5.* apud quem plura de hac re videri poſſunt.

CXLV. Quæritur 2. An ut diſpenſatio in matrimonio rato ſit licita, vel etiam valida, requiratur juſta cauſa? Reſp. verius eſt requiri juſtam cauſam ad valorem diſpenſationis, *Sanch, cit. l. 2. diſp. 15. n. 6.* & docent communiter Theologi, & Canoniſtæ apud *Tanner. tit. dub. 4. n. 68.* Ratio eſt, quia in Jure naturali, & Divino, ex quo oritur indiſſolubilitas matrimonii, etiam rati, nec licitè, nec validè poteſt diſpenſare Papa, ſicut nec in voto ſimplici, niſi juſta cauſa ſubſit; cùm in his non ſit Dominus, ſed diſpenſator. Juſtæ autem cauſæ diſpenſandi in matrimonio rato ſunt, notabilis diſparitas in ſtatu, & conditione inter contrahentes, quæ eſt mater diſcordiarum; gravis timor magni ſcandali futuri, unde graves rixæ, & neces oriri ſolent, item lepra alteri conjugi ſupervenies, & aliæ ſimiles, de quibus *Sanch. cit. l. 2. diſ. 16.*

Porro præter duos caſus prædictos, matrimonium ratum nunquam diſſolvitur, nec quidem per matrimonium ſubſequens conſummatum cum altera, *c. Licèt. 3. de ſponſa duorum.*

CXLVI. Quæritur 3. An matrimonium, ſive ratum, ſive conſummatum infidelium non baptizatorum poſſit Pontifex diſpenſando diſſolvere, & an etiam matrimonium infidelium conſummatum, cùm ambo baptizantur? Reſp. 1. probabilius eſt matrimonium, ſive ratum, ſive conſummatum infidelium non baptizatorum, non poſſe à Pontifice relaxari per diſpenſationem, quia cùm hæc ſit uſus, ſeu actus quidam juriſdictionis, non poteſt exerceri à Superiore, niſi in ſubditos, infideles autem Ethnici non ſunt ſubjecti Pontificiæ poteſtati, ſeu juriſdictioni, juxta illud 1. *Cor. 5. Quid mihi de illis, qui foris ſunt, judicare?* Aliud eſt de matrimoniis hæreticorum, *Tanner. cit. dub. 4. n. 72.* Sed de hoc plura infrà. Reſp. 2. poſſe S. Pontificem in tali matrimonio etiam conſummato infidelium, dum ambo baptizantur, diſpenſare, ut docet *Sanch. l. 2. de matrim. diſ. 17. n. 2.* Ratio eſt, quia matrimonium ratum Chriſtianorum fidelium, eſt firmius, quàm matrimonium conſummatum infidelium, idque ratione Sacramenti, ad quod prius eſt elevatum à Chriſto, cùm matrimonium infidelium conſummatum ſit merus contractus civilis. Cùm ergo Pontifex poſſit diſpenſare in matrimonio rato fidelium, quod eſt Sacramentum, multò magis poterit in conſummato matrimonio infidelium. Nec obſtat, quòd hoc per baptiſmum ſuſceptum fiat Sacramentum, & quia jam eſt conſummatum, repræſentabit indiſſolubilem Unionem Chriſti cum Eccleſia per carnis aſſumptionem: nam etſi per Baptiſmi ſuſceptionem fuerit factum Sacramentum, ſed nondum ſit conſummatum, ut ſupponimus, reputabitur tanquam matrimonium ratum fidelium, in quo Pontifex diſpenſare poteſt, illúdque diſſolvere.

Porro an, & qua ratione matrimonium infidelium non baptizatorum conſummatum diſſolvatur per converſionem alterius conjugis ad fidem, commodiùs dicetur infrà *Tit. 19. hoc libro*, ubi ex inſtituto de hac re agitur.

SECTIO VI.

DE IMPEDIMENTIS matrimonii.

§. I.

De impedimentis matrimonii in genere.

CXLVII. Quæritur 1. Quænam ſint impedimenta matrimonii? Reſp. eſſe duplicis generis, quædam enim ſunt impedientia tantùm, quæ efficiunt, ut matrimonium illicitè, non autem invalidè contrahatur. Alia ſunt, & vocantur impedimenta dirimentia, non quòd matrimonium ſemel validè contractum dirimant: ſed quia de facto (non jure) contractum impediunt, ne validum fiat, adeoq; non tantùm illicitum, ſed etiam irritum reddunt matrimonium ſubſequens.

CXLVIII. Quæritur 2. Penes quos ſit poteſtas ſtatuendi impedimenta matrimonii, ſive impedientia, ſive dirimentia? Reſp. 1. eſt in Eccleſia Catholica poteſtas introducendi, & conſtituendi impedimenta etiam dirimentia matrimonium, ita ut contra Eccleſiæ prohibitionem contractum ſit irritum, prout eſt definitum in Concilio Trident. *Seſſ. 24. de Sacrament. matrimonii can. 3. & 4.* ubi dicitur: *Si quis dixerit, Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis conſtituendis errâſſe, anathema ſit.* Idque conſtat ex uſu, & praxi univerſæ Eccleſiæ. Neque verò ideo mutatur, aut variatur ipſa eſſentia, ſeu materia, & forma Sacramenti matrimonii, ſed irritus redditur contractus humanus, qui ut materia prærequiritur, & ſupponitur in Sacramento, quo immutato per humanam poteſtatem, conſequentèr etiam definit eſſe materia Sacramenti, *Sanch. l. 7. de matrim. diſ. 1. n. 1. Laym. l. 5. tract. 10. p. 4. c. 1. n. 1* Ad hanc autem poteſtatem ſtatuendi

Digitized by Google

tuendi impedimentum dirimens, requiritur justa causa, ita ut eâ non existente, matrimonium contra ejusmodi prohibitionem initum, sit validum, & licitum, quia cùm matrimonium Jure naturali, ac Divino sit omnibus concessum, non potest Pontifex pro libitu illud interdicere, nec adimere jus illud contrahendi, *Sanch. c. l. n. 6.*

Resp. 2. Ecclesia, aut S. Pontifex potest impedimenta dirimentia matrimonium constituere, non solùm indirectè inhabilitando personas ad contrahendum, sed etiam directè, & immediatè, annullando ipsum contractum, *Tanner. disp. 8. de matrim. q. 4. dub. 1. n. 9.* Probatur, tum quia ipse etiam contractus matrimonii subjicitur potestati Ecclesiæ, sicut & ipsi contrahentes: tum quia Ecclesia de facto ita irritavit alios contractus, ut professionem Religionis factam, ante finitum annum probationis, vel XVI. annos expletos, ut patet ex Concilio Trident. *Sess. 25. de Regul. c. 16.* & matrimonia clandestina, *Sess. 24. de reform. matr. c. 1.*

CXLIX. Porro hæc potestas Ecclesiæ non extenditur ad infideles, quia infideles Ecclesiasticis Constitutionibus non ligantur, *c. Gaudemus. 8. de divortiis*, nisi tamen subjecti sint temporali jurisdictioni S. Pontificis, & in ejus ditionibus temporalibus habitent, tunc enim non minùs poterit ejusmodi impedimenta matrimonij illis statuere, quàm sæcularis Princeps infidelis suis subditis. Secus est de infidelibus subditis Christianorum Principum, cùm in horum ditionibus temporalem jurisdictionem non habeat Pontifex, sed solùm spiritualem, *Sanch. cit. disp. 1. n. 3.*

Resp. 3. Potestas statuendi impedimenta dirimentia matrimonii inter fideles, non competit Episcopis: sed si non ex lege, saltem ex generali Ecclesiæ consuetudine ea potestas soli Papæ est reservata, ita ut nonnisi universalibus Canonibus, vel in generali Concilio decerni possint, ut constat ex praxi Ecclesiæ, quia causæ, in quibus de valore matrimonii agitur, semper graves sunt judicatæ, *Sanch. cit. disp. 1. n. 3. Laym. cit. c. 1. n. 4.*

CL. Porro spectatâ rei naturâ, & seclusis Ecclesiæ Constitutionibus, quilibet Princeps, seu Magistratus sæcularis habens potestatem absolutam ferendi leges, potest suis subditis, etiam fidelibus, & Christianis, statuere impedimenta matrimonii ex justa causa, quia matrimonium est contractus civilis, adeoque non minùs, quàm alij contractus potestati politicæ, & sæculari est subjectus, quatenus necessarium judicatur, aut expediens ad bonum, & finem Reipubl. ut personæ aliquæ inter se contrahere prohibeantur. Et licèt matrimonium inter fideles sit Sacramentum, est tamen simul contractus humanus, seu Civilis, quo per politicam, seu sæcularem potestatem immutato, definit esse materia Sacramenti, ut suprà dictum. Veruntamen Ecclesia hanc potestatem Principibus Christianis, respectu fidelium, ademit, sibique reservavit, quia postquam contractus matrimonii ad Esse, seu rationem Sacramenti est elevatus, decùit, ut ad solam potestatem Ecclesiasticam, & quidem supremam, videlicet Pontificiam, pertineret impedimenta matrimonii statuere, ut colligitur ex *c. Tuam. 3. de Ordin. cognit. & ex Concil. Trident. de Sacram. matrim. can. ult.* Nam cùm potestas temporalis subjecta sit spirituali, in ordine ad finem supernaturalem, potuit hæc, utpote altioris ordinis, illam restringere, eique limites præscribere, in illis, quæ rationem spiritualem annexam habent, quos nec validè excedere possit, quale est matrimonium, cui annexa est ratio Sacramenti, *Sanch. l. 7. de matr. disp. 3. n. 3. & 4. Laym. cit. c. 1. n. 2.*

CLI. Hinc infertur 1. adhuc hodie, tam Principes Christianos, quàm Ethnicos, posse statuere impedimenta circa matrimonia infidelium sibi subjectorum, quia matrimonium infidelium non est Sacramentum, & cùm non sint subjecti Ecclesiæ, illius Constitutionibus non obligantur, *Sanch. c. l. n. 5. & 8.* Infertur 2. quamvis *Sanch. c. l. n. 7.* putet, fideles subditos commorantes in Terris Principum infidelium, astringi legibus eorum justis irritantibus matrimonium: contrarium tamen est probabilius, quia non excedit indirectam potestatem Ecclesiæ, privare etiam infideles aliquo jure in subditos Christianos, ob eximium bonum spirituale, & consequenter eximere illos, ubique terrarum degentes, legibus Civilibus, quod attinet ad matrimonii valorem, illòsque Ecclesiasticis subjicere, cùm hoc ad dignitatem Sacramenti pertineat, *Tanner. cit. dub. 1. n. 20. Laym. cit. c. 1. n. 3.* Infertur 3. fideles habitantes in Terris infidelium ligari impedimentis matrimonij ab Ecclesia statutis, cui sunt subjecti, ubicunque locorum degunt, *Sanch. cit. disp. 3. n. 10.*

CLII. Postremò prædictis addendum 1. probabilius videtur, etiam per consuetudinem communem, tam Clericorum, quàm laicorum legitimè præscriptam, & rationabilem, posse antiqua impedimenta matrimonii solo Jure Ecclesiastico statuta abrogari, & nova constitui, ut docet *Sanch. cit. l. 7. disp. 4. n. 11. & 13. Tanner. cit. dub. 1. n. ult.* Ratio est, quia in *c. ult. de consuetud.* generaliter, & absolutè dicitur: consuetudinem legitimè præscriptam, & rationi consonam habere vim legis, & vires ad derogandum legi positivæ, & cùm talis consuetudo nihil juris naturæ, aut rationi contrarium contineat, non potest dici irrationabilis.

Addendum 2. Potest Pontifex aliquibus per sententiam particularem interdicere, ne matrimonium contrahant cum decreto irritante, ut alioquin irritum sit, *Sanch. cit. l. 7. disp. 2.* ubi fusè de hac re agitur non tamen solet facilè Papa tali potestate uti, ut notat *Laym. cit. c. 1. n. 4.*

§. II.

De quibusdam impedimentis matrimonii contrahendi in specie, de quibus agitur in hoc Titulo.

CLIII. Quæritur 1. An, & qua ratione ad dictum unius asserentis impedimentum inter aliquos intercedere, impediatur matrimonium contrahendum? De hoc agitur in *c. Præterea. 12. h. t.* Nam cùm quidam vir matrimonium contrahere vellet cum quadam muliere: consanguineus illius viri dixit: se deliquisse, seu rem cum illa habuisse, quod tamen publicè confiteri refusabat, propter metum, & potentiam illius mulieris: ideo mandat Papa, ut matrimonium inirì inter eos prohibea-

» hibeatur, ne deterius inde contingat, niſi jura-
» mentum interveniſſet.

CLIV. Notandum 1. Impedimentum, ne matrimonium contrahatur, propter affinitatem orta ex concubitu conſanguinei viri cum muliere, plenè probatur per unicum teſtem, *c. Super eo. 22. de teſtib.* & patet etiam ex hoc c. licèt aliàs non ſit probatur dicto unius in præjudicium alterius, *c. Licèt. 23. de teſtib.* quia hic agitur de peccato vitando, ne impediti contrahendo matrimonium contra prohibitionem Eccleſiæ, peccent, *Sanch. l. 1. de matr. diſ. 71. n. 1.* dummodo talis conſanguineus conjunctus fuerit viro intra quartum gradum conſanguinitatis, *c. Non debet. 8. de conſang. & affinit.* Sed hodie affinitas orta ex fornicatione ad primum, & ſecundum gradum conſanguinitatis eſt reſtricta à Concilio Trident. *Seſſ. 24. c. 4. de reform.* ut infrà dicetur.

Notaudum 2. Sunt & alia quædam ſpecialia, quæ occurrunt in caſu hujus c. ut notat *Abb. hic n. 7.* Veluti 1. quòd teſtis iſte non juravit in præſentia partis, contra *c. 2. de teſtib.* 2. quòd dictum ſuum, & nomen non publicavit, contra *c. Qualiter. 24. §. Debet de accuſat.* 3. quia conſanguineus viri allegans propriam turpitudinem, quòd cum ſponſa viri concubuerit, fuit auditus contra *c. Inter dilectos. 8.* & ibi *Gl. V. Turpitudinem de donation.* quæ omnia fuerunt permiſſa propter periculum peccati virandum, quod fortè ſuberat ob allegatum affinitatis impedimentum, quia tutius eſt in re dubia certum accipere pro incerto, ita ut in hoc potiùs cenſeatur concubitum interveniſſe conſanguinei cum ſponſa viri, quàm non interveniſſe, ne matrimonium contrahatur inter affines in gradu prohibito: tum etiam, quia hic non agitur de magno præjudicio, ſi ſponſalia inter virum, & mulierem inita dirimantur, cùm facilè poſſint reperire alium, vel aliam, cum quo, vel cum qua contrahant. *Caniſ. in cit. c. Præterea. n. 2.*

Notandum 3. Requiruntur aliæ præterea quædam conditiones, ut teſtis unicus impedire poſſit matrimonium contrahendum. 1. Ut deponat tanquam teſtis, non ut ſolùm denuntiet. 2. Ut juret, non enim creditur teſti non juranti. 3. Ut juret, ſe certò ſcire impedimentum, non enim ſufficit, ſi teſtificetur de ſolo auditu. 4. Ne ſit vilis perſona, *Sanch. c. l. n. 9. & 3. ſeqq.*

Notandum 4. Si ſponſalia inter virum, & mulierem, v. g. Titium, & Cajam juramento ſint confirmata, non deber ad dictum unius ſolius matrimonium impediri, idque ut viterur periculum perjurii, ut patet ex fine hujus *c. Abb. ibid. in fine.*

CLV. Quæritur 2. An ad denunciationem unius viri honeſti, qui defert de fama conſanguinitatis, impediatur matrimonium contrahendum? De hac re agitur in *c. Cùm in tua. 27. h.t.* ubi dicitur:
» quia interdum contingit, ut cùm quidam volunt
» matrimonium contrahere, bannis (id eſt, denun-
» ciationibus, *Gl. hic V. eod.* (in Eccleſiis editis, ut
» qui impedimentum ſciret, illud proponeret: ſed
» nullo contradictore publicè comparente, fama
» deferat privatim impedimentum parentelæ: ex
» parte autem contrahentium juramenta majorum
» de ſua propinquitate (ut ſuſpicionis occaſio tol-
» latur) offerantur. Conſultus Pontifex, quid ſit in
» hujuſmodi caſibus faciendum, reſpondet: ſi per-
» ſona gravis, & fide digna denunciet, eos, qui ma-
» trimonio copulandi ſunt, ſe propinquitate con-
» tingere, & de fama, aut ſcandalo doceat, aut et-
» iam ipſe Epiſcopus poſſit certificari de plano (id
» eſt, ſummariè, & ſine ſtrepitu judiciorum) non ſo-
» lùm juramenta parentum ſponte oblata, non de-
» bent recipi: ſed etiam qui ſic contrahere volunt, ſi
» moniti non deſiſtant, ad id compelli debent, vel
» ut contra famam juramenta propinquorum exhi-
» beant. Si verò denuncians non ſit talis, ut di-
» ctum: vel famam, aut ſcandalum probare non
» poſſit, tum contrahentes poſſunt moneri ad deſi-
» ſtendum à contractu matrimonii, non autem
» compelli.

CLVI. Pro explicatione hujus c. notandum 1. ſi fama impedimenti plenè probetur, adeoque de illa conſter, ea ſufficit ad impediendum matrimonium, ne contrahatur, *Sanch. l. 1. de matr. diſ. 71. n. 13.* Secus eſt, ſi de fama non conſtet, nec probata fuerit, *Gl. hic V. Licèt fama.* Non debet autem fama eſſe privata, ita ut conſter ſolùm Judici, ut privato, quia extra judicium intellexit de impedimento famam eſſe, tunc enim ea non ſufficit ad impediendum matrimonium, ſed ſolùm ad inquirendum, & recipiendum probationem de fama. Si verò de fama conſtet Judici, tanquam Judici, quia ea probata eſt in judicio per teſtes, tunc talis fama impedit matrimonium contrahi, *c. Super eo. 2. de conſang. & affinit.* Idémque eſt, ſi de fama conſter Judici tanquam notorium, tunc enim is poteſt juxta illud judicare, etſi id non probetur, *Abb. hic n. 6. & Alex. de Nevo n. 15. & 16. Sanch. cit. diſ. 71. n. 15.*

Notandum 2. Contra probationem famæ de impedimento matrimonii admitti poteſt alia contraria probatio, & ſi hæc ſecunda probatio ſit clarior, elidi tur effectus priotis probationis, *Gl. hic V. Famam. Abb. ibid. n. 3. Alex. de Nevo n. ult. Sanch. c. l. n. 16.* Ad deponendum verò contra hujuſmodi famam, ſive ad eam refellendam admittitur etiam conſanguineorum juramentum, *cit. c. Cùm in tua.* ibi: *vel contra famam hujuſmodi juramenta exhibeant propinquorum.* Imò hæc fama, ejusque probatio elidit ur, arbitrio Judicis, ſi contra illam conſanguinei contrahere volentes jurent, ſe non eſſe conſanguineos: tunc enim arbitrio Judicis relinquitur, juxta qualitatem perſonarum, admittere hoc juramentum contra famam, *Abb. hic in fine. Alex. de Nevo ibid n. 13. Menoch. de arbitr. Ind. caſu 243. n. 4. Maſtard. vol 2. de probat. concl. 1034. n. 16. Sanch. c. l. n. 17.* Judex autem, ſi propinqui ſe ſponte offerant ad juramenta præſtanda, ea recipere non debet, ſed repellere, quia ſunt ſuſpecti, quin etiam compelli debent, ut à contractu matrimonii deſiſtant, ut habetur in textu.

CLVII. Notandum 3. Quando ſcandalum timetur ex contractu matrimonii inter conſanguineos contrahentium, tum poteſt, & debet Judex interdicere matrimonium, prout ſumitur ex *cit. c. Cùm in tua.* & ibi *Gl. V. Scandalo.* ubi ait, quòd ſcandalum redditaliquos inhabiles ad contrahendum matrimonium, *Abb. ibid. n. 4. Sanch. l. 1. de matr. diſ. 14. n. 3.*

Notandum 4. Si denuncians impedimentum matrimonii, non ſit perſona gravis, & de fama, vel de ſcandalo docere, ſive illud ſufficienter probare non poſſit: tunc Judex poteſt quidem tales monere,

ut deſiſtant à contrahendo matrimonio, non tamen poteſt compellere contrahere volentes, ut habetur in fine *cit. c. Cùm in tua.* idque propter defectum probationis. Quomodo autem probari debeat conſanguinitas, vel affinitas, dictum eſt *libr. 2. Decretal. Tit. 20. ſec. 3. §. 1. n. 136. & ſeqq.*

CLVIII. Quæritur 3. An ſi lis pendeat ſuper priore matrimonio, impediatur contrahi ſecundum? » De hoc agitur in *c. Cum in Apoſtolica. 18. h.t.* Nam » cùm inter Villicum quendam, & uxorem ejus ſu» per matrimonio quæſtio verteretur, Villicus ille » publicè aſſeruit, ſed falsò, inter ſe, & uxorem » ſuam ſententiam divortii, judicio Eccleſiæ, pro» mulgatam eſſe, qui lite pendente, aliam mulie» rem hujus facti ignaram ſibi copulavit: poſtea ve» rò ſuper priore matrimonio Judices delegati ſen» tentiam divortii protulerunt. Re delatâ ad Papam » Urbanum III. is reſpondit, quòd cùm villicus, & » mulier ſuperinducta, pendente lite prioris matri» monii, invicem conſenſerint: impoſitâ viro pœ» nitentiâ competente (quia lite pendente contra» xit cum ſecunda matrimonium in contemptum » Eccleſiæ, *Gl. hic V. Impoſitâ*) & interim interdi» cto carnali commercio, poſtmodum in maritali » conjugio poterit permanere. Nam quia ex ſen» tentia divortii poſtea lata compertum fuit, prius matrimonium reipsâ in validum fuiſſe, ideo decidit hic Pontifex, poſterius matrimonium jure validum eſſe, *Caniſ. hic n. 1.*

CLIX. Ubi præterea notandum 1. etſi regula generalis ſit, ut lite pendente nihil innovetur, *tot. Tit. XVI. Libr. 2. Decret.* eſt tamen hic caſus ſpecialis, in quo permittitur, lite pendente, innovatio. Cujus rationem aliqui DD. aſſignant, quia matrimonium eſt Divini Juris, litis pendentia verò eſt juris humani, quod non poterit tollere ea, quæ ſunt Juris Divini: quod etſi in ſe verum ſit, non tamen ſatisfacit, ſeu tollit difficultatem, quia plaraque impedimenta matrimonii ſunt Juris humani, ſive Jure humano, ſeu Eccleſiaſtico introducta, & tamen impediunt, vel dirimunt matrimonium, quod ſecundum ſe Juris Divini eſt, ut rectè notat *Caniſ. hic n. 2.* qui ait, hanc eſſe veram rationem, quòd litis pendentia non ſit à Jure Canonico, tanquam impedimentum dirimens matrimonii introductum, ſeu ſtatutum, quia nonquam numeratur inter impedimenta matrimonii, ideòque hujuſmodi matrimonium, pendente lite prioris matrimonii, contractum eſt validum. Quare ſtandum eſt generali regulæ traditæ in *c. Cùm apud Sedem. 23. h.t.* Quicunque non prohibetur matrimonium contrahere, admitti debet: ſive quod in idem recidit; omnibus permiſſum eſt matrimonium, quibus non eſt à Jure prohibitum: ideóque etiam non dirimitur matrimonium ex eo, quòd contra præceptum Judicis Eccleſiaſtici ſit contractum, dumodo aliud Canonicum impedimentum non ſubſit, ut patet ex *toto Tit. De matrimonio contracto contra Interdictũ Eccleſiæ*, de quo infrà.

Notandum 2. Si in caſu hujus c. Villicus ille credidiſſet, prius matrimonium fuiſſe validum, tum poſterius matrimonium invalidum fuiſſet quoad DEVM, ob defectum neceſſarii, & legitimi conſenſûs, non enim poſſet quis habere ſeriam voluntatem validè contrahendi matrimonium cum ſecunda mu-

liere, ſi judicet, etſi per errorem, prius matrimonium eſſe validum, adeoque illo adhuc ſe obligatum. Ut ſi quis credens ſuam uxorem adhuc vivere, etſi revera eſſet mortua, matrimonium cum alia contrahat, non valet ſecundum matrimonium, *Abb. hic in fine.* Ex quo infert hanc regulam, quòd contrahens matrimonium, ſi credat, impedimentum dirimens ſubeſſe, quod tamen revera non ſubeſt, matrimonium coram DEO non contrahat, adeoque illud non teneat, licèt verba protulerit apta ad contrahendum matrimonium. Aliud eſt quoad Eccleſiam, ſeu forum externum, in quo de occultis non judicatur, *c. un. Ut Eccleſ. benef. ſine diminut. &c.* Judex enim eum ſenſum ſequi debet, quem verba præferunt, ſive communiter rectè intelligentibus ingerere ſolent, *c. Ex litteris. 7. h. t. Caniſ. hic num. 3.*

§. III.

De impedimento Erroris perſonæ.

CLX. ASSERTIO I. Error circa ſubſtantiam perſonæ jure naturæ, reddit irritum matrimonium, ut ſi quis putans ſe contrahere cum Anna, contrahat cum Barbara, *Sanch. l. 7. de matrim. diſ. 18. num. 12.* & alii communiter. Ratio eſt, quia error circa ſubſtantiam, ſeu ſubſtantiale objectum vitiat contractum: ſed perſona determinatè cognita contrahenti, eſt ſubſtantiale objectum contractûs matrimonii; ergo error circa illam vitiat contractum. Et quidem jure naturæ, quia talis error aufert conſenſum in hanc perſonam, *l. Si per errorem. 15. ff. de juriſdict.* cùm velit contrahere non cum qualibet muliere, ſed cum hac determinata: atqui actus agentium non operantur ultra intentionem eorum, *Leym. l. 5. tract. 10. p. 4. c. 2. n. 1.*

Extenditur autem, quòd error circa ſubſtantiam perſonæ itrium reddat matrimonium, ſive ſit antecedens, ſive concomitans. De errore antecedente probatur, quia talis error dat cauſam contractui, ita ut ſi quis non erraſſet in perſona, noluiſſet contrahere cum tali, adeoque facit contractum matrimonii involuntarium circa primarium, & ſubſtantiale ipſius objectum, quod eſt perſona determinatè cognita contrahenti, & per conſequens taliserror facit irritum etiam ipſum contractum. De errore verò concomitante probatur, eò quòd ſic errans ita habitualiter animo eſt affectus, ut licèt non erraret, ſed ſciret eſſe aliam, quàm putârat, adhuc cum ea contrahere vellet, adeóque licèt talis error non efficiat contractum involuntarium, facit tamen non voluntarium, & aufert actualem, & poſitivum conſenſum in perſonam, quæ offertur, qui ad matrimonii valorem requiritur: voluntas enim, cum tali errore contrahentis, actu, & de præſenti fertur ſolùm in Annam v. g. quam animo concepit, non in Barbaram, quam putat eſſe Annam: ignorantis autem, & non cognoſcentis nullus eſt conſenſus. Quòd ſi tamen errans actu intenderet cum perſona præſenti contrahere, quæcunque illa ſit, validum utique eſſet matrimonium, quia verè in illam conſentiret, *Coning diſ. 31. de Sacram. n. 9.* non autem eſſet error perſonæ, ſi quis ſolùm erraret in nomine, putans eam, cum qua contrahit, vocari Annam, cùm vocetur Barbara, modò aliàs ipſa perſona ei ſit cognita.

CLXI. Eſt

CLXI. Eſt autem hîc notanda differentia inter matrimonium, & alia Sacramenta, Baptiſmi, Confirmationis &c. Nam in his error circa perſonam non irritat Sacramentum, ut ſi quis putet ſuſcipientem eſſe Petrum, cùm ſit Paulus, quia in ijs non initur contractus cum perſona ſuſcipientis, nec intereſt Miniſtri, quis Sacramenta ſuſcipiat, aut cui illa applicet, ſeu miniſtret. In matrimonio verò initur contractus, & intereſt contrahentis, cum quo, vel cum qua contrahat: unde ſuam intentionem poteſt contrahens reſtringere ad certam perſonam, cùm in alijs Sacramentis id non poſſit Miniſter, ſed debeat habere intentionem baptizandi, confirmandi, abſolvendi &c. perſonam præſentem & capacem, quæcunque illa ſit, *Sanch. cit. diſ.* 18. *n.* 13. ubi *num.* 12. dat rationem diſcriminis, quia matrimonium reſpicit individuas conditiones contrahentium, quæ conferunt ad individuam vitæ conſuetudinem inter conjuges retinendam, in quo conſiſtit eſſentia matrimonij. In alijs verò Sacramentis hujuſmodi conditiones recipientium nihil conferunt ad finem Sacramenti.

CLXII. ASSERTIO 2. Error circa qualitatem perſonæ, etſi det cauſam contractui, & proveniat ex dolo alterius contrahentis, non irritat per ſe matrimonium, ut docet *Sanch. l.* 7. *de matr. diſ.* 18. *n.* 18 *Laym. cit. c.* 2. *n.* 2. & colligitur ex *c. Cùm in Apoſtolica* 18. *h. t.* ubi decidituir, matrimonium non irritari ob mendacium, vel dolum ad illud inducentem, *Abb. ibid. n.* 2. Ut ſi quis putans ſe contrahere cum nobili, virgine, pulchra vel divite matrimonium, contrahat cum ignobili, corrupta, deformi vel paupere. Ratio eſt, quia talis error conſenſum matrimonialem efficit tantùm involuntarium ſecundùm quid, nempe circa qualitates, & accidentia perſonæ, cum qua contrahitur, quæ ſe habent ſolùm per modum rationis motivæ, ſeu impulſivæ, & cauſæ finalis extrinſecæ, ac proinde cùm non impediat conſenſum ſubſtantialem circa perſonam, & materiam, ac ſubſtantiam contractûs, non vitiat matrimonium. Licèt verò contractus v. g. venditio, & emptio, cum errore circa qualitatem, vel modum extrinſecum facta ſubſiſtat, ita tamen ut ob dolum reſcindi poſſit: matrimonium tamen ſemel validum non poteſt ita reſcindi, *Laym. c. l.*

CLXIII. Cæterùm peraccidens in duobus caſibus error qualitatis irritum reddit matrimonium: primò ſi qualitas, in qua erratur, per modum conditionis apponatur in contractu matrimonij, ita ut actu intendat quis non contrahere cum tali perſona, niſi talis qualitas ipſi inſit, tunc enim eâ velut condicione deficiente, etiam conſenſus omnino deficit, *Sanch. cit. diſ.* 18. *n.* 21. Secundò, ſi error qualitatis inducat, vel involuat ſimul errorem perſonæ, ut ſi quis velit ducere primogenitam Regis, & illi alia offeratur ignota, tanquam primogenita, invalidum eſt matrimonium propter errorem circa perſonam, non enim vult ducere oblatam, niſi ſit primogenita, in quam ſolùm conſentit, non in aliam. Sed difficultas eſt, quando error qualitatis involuat errorem perſonæ? *Sanch. c. l. n.* 26. *&* 27. tradit hanc regulam: Si per qualitatem, in qua erratur, certa, & in dividua perſona deſignetur, animóque concipiatur, quæ viſu priùs ignota eſt, tunc errorem redundare in errorem perſonæ. Ut ſi quis animo conſentiat contrahere cum filia primogenita Titij: offeratur autem poſtea ſecundò genita, aut alia, quæ primogenitam ſe eſſe ſimulat, nullum erit matrimonium, quia is apprehendit certam, & individuam perſonam, cum qua hîc, & nunc vult contrahere, non cum alia. Secus eſt, ſi illa, quæ oblata eſt, tanquam primogenita, viſu priùs nota erat contrahenti, & ad matrimonium determinata fuiſſet, tunc enim valebit matrimonium: etſi per errorem putet, illam eſſe primogenitam Titij: modò non habeat actualem intentionem non accipiendi illam, niſi ſit primogenita. Quòd ſi qualitas non determinet individuam perſonam, non eſt error perſonæ, ſed ſolius qualitatis, ut ſi quis fingat ſe eſſe primogenitum Regis, non determinando, cujus Regis ſit primogenitus, fœmina ex tali errore illi nubens, dicetur ſolùm errare circa qualitatem, ac proinde matrimonium ſubſiſter, *Sanch. c. l. n.* 33. *&* 34. *Tanner. diſ.* 8. *q.* 3. *dub.* 3. *n.* 46. *&* 47.

§. IV.

De impedimento matrimonii orto ex cultûs, ſive Religionis diſparitate.

CLXIV. Quæritur 1. An, & quomodo diſparitas cultûs, ſive Religionis dirimat matrimonium? Reſp. matrimonium hominis fidelis, ſeu baptizati cum infideli ſeu non baptizato etiam catechumeno, non eſt irritum Jure naturæ, ſed ſolo Jure Eccleſiaſtico. Eſt quamvis non reperiatur hac de re extare Jus, ſive Lex ſcripta Pontificia, vel Concilij Generalis: eſt tamen conſuetudine, & communi praxi Eccleſiæ, ex traditione Apoſtolorum, id introductum, quæ vim legis obtinet, *Sanch. l.* 7. *de matr. diſ.* 71. *n.* 7. *&* 8. Ratio autem, cur Eccleſia irritârit hæc matrimonia, fuit, quia omnino inconveniens eſt fidelem, & Chriſtianum inire matrimonium, quod non ſit Sacramentum. Quòd verò hoc impedimentum dirimens ſolo Jure Eccleſiaſtico introductum ſit, patet; non enim eſt irritum Jure naturali, quamvis ſit illicitum, niſi gravis neceſſitas, & cauſa excuſet, quia aliqui fideles cum infidelibus matrimonium celebrârunt, propter quod non reprehenduntur in S. Scriptura, ut Jacob cum filiabus Laban, quæ videntur fuiſſe idololatræ: Joſeph cum filia Putipharis, Moyſes cum filia Jetro Æthiopiſſa, Eſther cum Aſſueto Gentili &c. Neque etiam eſt illicitum Jure Divino poſitivo novæ legis Evangelicæ, quia etſi hoc Jure prohibitum ſit matrimonium Chriſtianorum cum gentilibus, *ut* 2. *Corinth* 6. *nolite jugum ducere cum infidelibus, item quæ pars fidelis cum infideli*? non tamen extat ullum Jus Divinum, quo irritatur tale matrimonium, præſertim in nova lege, in qua Chriſtus non dedit ulla præcepta morum, ſed ſolùm fidei, & Sacramentorum, *Sanch. c. l. n.* 7. Ex quo ſequitur, quòd Pontifex poſſit diſpenſare in hoc impedimento matrimonij initi inter fidelem, & infidelem, cùm poſſit diſpenſare in omni Jure Eccleſiaſtico, *Sanch. c. l. n.* 10. Neque enim Jutis Divini eſt, ut omne ma-

Digitized by Google

trimonium Christiani, etiam cum infideli initum; sit Sacramentum, sed solùm ut initum inter duas personas Christianas sit Sactamentum, *Tanner. disp. 8. de matr. q. 4. dub. 5. n. 85.*

CLXV. Quæritur 2. an matrimonium personæ Catholicæ cum persona hæretica sit validum, vel etiam licitum? Resp. tale matrimonium esse quidem validum, sed mortaliter illicitum, nisi gravis causa excuset, ut moraliter certum sit, nullum fore periculum scandali, vel perversionis, aliorúmque incommodorum, quæ ex talibus matrimoniis plerumque oriri solent, *Sanch. l. 7. de matr. disp. 72. n. 21. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 14. n. 2. Tanner. cit. dub. 5. n. 86.* & alii communiter. Prima pars, quòd tale matrimonium non sit ritum, sed validum, colligitur ex *c. Decrevit 14. De hæretic. in 6.* dum ibi decernitur, uxores, quæ scientes hæreticis viris nupserunt, prius vandas esse dote in pœnam delicti: & tamen non præcipitur illas separari à viris, adeoque supponitur, matrimonium fuisse validum. Ratio est, quia cùm uterque contrahentium sit baptizatus, adeoque capax Sacramenti matrimonij, non decuit ita ritum reddi, sicut matrimonium cum infideli, seu non baptizato. Secunda pars, quòd hujusmodi matrimonium sit illicitum, probatur ex *c. Cavè. 15. caus. 28. q. 1.* ubi *dicitur: Cavè, ne alienigenam, hoc est, hæreticam uxorem accersas tibi*: idémque videtur prohibere Apostolus *1. Corinth. 7. Cui vult, nubat, tantùm in Domino*, prout plures exponunt hunc locum. Ratio est, quia matrimonium cum hæretico, vel hætetica initum est illicitum Jure naturæ, tum ob periculum perversionis conjugis Catholici, & ne proles malè educetur in fide, tum ob periculum dissensionum animorum inter conjuges tales, inter quos vix pax esse potest. Tertia pars, quòd secluso scandalo, & periculo perversionis, aliísque incommodis, id aliquando sit licitum, colligitur ex *c. Non oportet. 16. cit. caus. 28. q. 1.* quod est desumptum ex Concilio Agathensi, *c. 25.* ubi dicitur, non oportet cum hæreticis commiscere connubia, vel filios, vel filias dare, sed potiùs accipere, si tamen profiteantur, se Christianos futuros, & Catholicos. Idque etiam probatur ratione, quia tale matrimonium non est ita intrinsecè malum, quin possit cohonestari, & licitum fieri, quia possunt in pluribus casibus particularibus, prædicta pericula, & incommoda omnino, vel majori ex parte cessare. Deinde non obstat etiam præceptum Divinum, & naturale de non ministrando Sacramento indignis, ut in proposito Catholica persona, contrahendo matrimonium cum hæretica, ministraret illud indigno, qui in peccato mortali illud susciperet, ac proinde peccat Catholicus, cooperando peccato illius, imò & injuriam irrogaret Sacramento. Verùm hoc non obstat, quia qui habet gravem causam faciendi aliquid ex se honestú, & licitum, non censetur per se coopetari peccato, quod alius fortè in eo committit: sed tandùm peraccidens, & extrinsecè, exhibendo quasi materiam, & objectum peccati, quod interdum ex causa licet, ut patet in solvente usuras. Etgo cùm in prædicto casu, adsit gravis causa contrahendi matrimonium cum persona hætetica, adeoque ministrandi Sacramentum alteri conjugi, non peccat, qui eo casu ministrat Sacramentum indigno, neque censetur injurios in Sacramentum, ministrando illud ei, quem scit indignè suscepturum, quia ob gravem causam id est licitum: sic enim potest quis etiam ministrare Euchatistiam peccatori occulto publicè petenti, *Tanner. cit. dub. 5. n. 87.* Denique non obstat etiam præceptum Ecclesiasticum de non communicando cum hæreticis, quia post Concilii Constantiensis decretum, non est prohibita communicatio cum hæreticis, nisi cum nominatim excommunicatis, & denuntiatis, & notoriis Clericorum perçussoribus, in qua re etiam dispensari potest, *Tanner. c. l.*

CLXVI. Atque hinc infert *Sanch. cit. disp. 72. n. 5.* in Germania, aliísque Regionibus Septentrionalibus, in quibus hæretici cum Catholicis permixtim vivunt, ex consuetudine recepta, & tolerata, licita esse conjugia inter personas Catholicas, & hæreticas, modò conjugi, qui Catholicus est, permittatur libertè, & sine perversionis periculo, in fide permanere. Quod tamen non est ita universaliter admittendum, sed solùm tunc, si prædicta pericula, & incommoda absint: & adsit sufficiens, & gravis causa ineundi matrimonium cum hæretico, vel hæretica, qualis est spes moraliter certa secuturæ conjugis hæretici conversionis ad fidem Catholicam, vel alia gravis causa, ut si in aliquo raro casu probabilis spes esset, ex tali matrimonio multò majorem fructum spiritualem secuturum, ob quem incommoda illa, tanquam minora, permitti possint, *Laym. cit. c. ult. n. 2. Tanner. n. 88.* In dubio verò, utrùm ejusmodi mala sequi possint, ex matrimoniis cum hæreticis initis, ad S. Pontificem pertinet, vel etiam ad Episcopum loci, ut rem examiner, & licentiam det contrahendi matrimonii. Imò cùm teste experientiâ, ex talibus matrimoniis gravia mala spiritualia sequi soleant, tum conjugi Catholico, tum liberis, nec Papa potest quoad hoc derogare Juri Divino, & naturali, nisi hæc incommoda cessent, *Laym. c. l.* alioquin verò non requiritur dispensatio S. Pontificis ad ineundum matrimonium cum persona hætetica in iis locis, in quibus consuetudine legitimâ derogatum est, quoad hoc, Legi Ecclesiasticæ, *Tanner. cit. dub. 5. n. 89. & 90.*

CLXVII. Prædictis addendum, certum esse, pacta in conjugiis cum hæreticis personis initis, ut aliqui ex liberis nascituris, v. g. masculi, ex patre hæretico fidem hæreticam sequantur, fœminæ verò ex matre Catholica genitæ fidem Catholicam amplectantur, esse prorsus impia, & irrita, quia parentes tenentur omnes liberos suos in vera fide educare, cui obligationi renuntiare nullo modo possunt, *Laym. c. l. n. 3. Tanner. c. l. n. 91.* Ubi addit, si matrimonium cum persona hætetica licitum sit, & existimetur per illud multùm promovendum bonum publicum; nec tamen spes sit, ut maritus hæreticus permittat omnes liberos in Catholica Religione educari, hoc casu non videtur illicitum, in pactis conjugalibus talem exceptionem apponere, ut saltem aliqua pars liberorum in fide Catholica educetur, & instruatur: salvo tamen jure matris Catholicæ, ut etiam cæteros liberos, quantum fieri poterit, in eadem vera Religione instituere, ut tenetur, non prætermittat.

Porro de aliis impedimentis dirimentibus matrimonii agetur in propriis Titulis sequentibus

Digitized by Google

s hujus Libri, in quibus de iisdem ex inſtituto
itur.

§. V.

De diſpenſatione impedimentorum matrimonii.

CLXVIII. Quæritur 1. An, & qua ratione diſpenſari poſſit in impedimentis matrimonii? Reſp. S. Pontifex in nullo impedimento jure divino naturali matrimonium dirimente, propriè diſpenſare poteſt, *Sanch. l. 8. de matrim. diſ. 6. n. 10.* & eſt communis ſententia. Ratio eſt, quia inferior non poteſt legem Superioris tollere; *c. Inferior. 4. diſ. 21.* nec abſolutè, nec etiam in caſu ſpeciali, in quo abrogaretur obligatio legis naturalis per diſpenſationem, quia hoc eſt ſolius Conditoris legis, aut eo Superioris. Dixi *propriè*, quia Pontifex poſſet, ſaltem in caſu maximæ neceſſitatis, conſervandi generis humani, per Epiſchiam interpretari, & declarare, legem naturæ hîc, & nunc non obligare, quod eſt impropriè diſpenſare: ob quam olim etiam fratres, & ſorores inter ſe matrimonia contraxerunt, *Tanner. tom. 4. diſ. 8. q. 4. dub. 9. n. 155. & ſeq.*

CLXIX. Reſp. 2. Poteſt Pontifex diſpenſare in omnibus impedimentis Jure ſolùm Eccleſiaſtico matrimonium dirimentibus, *Sanch. l. 8. diſ. 6. n. 14.* Et quidem validè etiam ſine cauſa, licitè verò nonniſi ex cauſa rationabili, *Tanner. cit. dub. 9. num. 156.* & alii communiter. Prima pars eſt communis, & certa. Ratio eſt, quia is poteſt diſpenſare in lege, qui eam tulit, quique tollere, & mutare poteſt: ſed impedimenta matrimonii Jure Pontificio, ſeu Canonico ſunt ſtatuta, ergo Papa etiam illa tollere poteſt, & relaxare. Secunda pars, quòd validè diſpenſet Pontifex etiam ſine cauſa, traditur à *Sanch. l. 8. diſ. 17. n. 24.* & eſt communis DD. ſententia. Ratio eſt, quia poteſt legislator legem, etiam ſine cauſa validè tollere, & abrogare, quoad totam communitatem: ergo poterit etiam illam tollere, reſpectu unius, vel aliquorum, adeoque ſine cauſa validè cum aliquo in ea diſpenſare, cùm lex tota dependeat à voluntate legislatoris, à qua vim obligandi accipit, & retinet. Tertia pars, quòd licitè non poſſit Papa diſpenſare etiam in propriis legibus, ſine legitima cauſa, eſt communior, ac verior apud *Sanch. cit. l. 8. diſ. 18. n. 3.* Ratio eſt, quia ſine cauſa induceret inæqualitatem inter partes Communitatis, adeoque talis diſpenſatio cedit in aliorum injuriam; ergo peccat ſine cauſa diſpenſans, quamvis non graviter, ſi abſit ſcandalum, & notabile aliorum damnum, *Sanch. c. l. n. 6.*

CLXX. Reſp. 3. Epiſcopus non poteſt regulariter, & ordinariè, ac per ſe loquendo, diſpenſare in impedimentis dirimentibus matrimonii etiam Eccleſiaſticis, *Sanch. cit. diſ. 6. n. 14.* Ratio eſt, quia illa impedimenta Jure communi Eccleſiaſtico ſunt inducta, in quo tanquam in lege Superioris, inferiores Prælati ordinariè diſpenſare non poſſunt. Unde ſequitur, neque Legatum Pontificis, etiam de latere, in his impedimentis diſpenſare poſſe, quia hic citra diſpenſationes ea ſolùm poteſt in Provincia ſibi commiſſa, quæ poteſt Epiſcopus in ſua Diœceſi, *Sanch. c. l. n. 15.* niſi ſpecialiter plus illi conceſſum ſit. Veruntamen poteſt Epiſcopus, in extraordinario caſu magnæ neceſſitatis, diſpenſare in impedimentis dirimentibus, *Sanch. c. l. n. 20.* Quod verum eſt concurrentibus his conditionibus: Si nimirum impedimentum ſit diſpenſabile, & matrimonium ſit publicè, bonâ fide, ſaltem alterius conjugis, contractum; impedimentum verò occultum, & ſeparatio ſine magno ſcandalo, aut incommodo fieri non poſſit, nec ad Pontificem, vel alium ab eo poteſtatem habentem facilis acceſſus ſit ob inopiam, vel aliam juſtam cauſam, *Sanch. l. 2. de matr. diſ. 40. n. 3.* Neque enim veriſimile eſt in caſu tantæ neceſſitatis, Pontificem ſibi reſervare voluiſſe jus diſpenſandi. At verò ut contrahatur matrimonium cum impedimento dirimente, non videtur Epiſcopus diſpenſare poſſe, ſpectato jure ordinario, ſeu excluſo privilegio ſpeciali *Leym. l. 5. tract. 10. p. 4. c. 6 in fine.*

CLXXI. Quæritur 2. Quæ ſint juſtæ cauſæ diſpenſandi in impedimentis dirimentibus matrimonii? Reſp. Tres præcipuas communiter aſſignari, prout videre eſt apud *Sanch. l. 8. de matr. diſ. 19. n. 8.* Prima eſt, extinctio magnæ litis, vel gravium diſcordiarum: ad quam cauſam reducitur etiam evitatio ſcandalorum inter cognatos: vel gravis delicti, aut periculi animæ aliquorum, quod niſi contrahatur matrimonium, certò incurretur, *Sanch. c. l. n. 9. 10. & 11.* Secunda cauſa eſt, quando non reperitur matrimonium æquale in aliqua urbe, vel oppido, præterquam cum conſanguineis, vel affinibus, *Sanch. c. l. n. 12.* Tertia cauſa eſt, defectus dotis competentis, quò ſit, ut fœmina non poſſit, juxta ſuam conditionem, repetire ſponſum ſe dignum, niſi ex propinquis, *Sanch. c. l. n. 16.* Ultra dictas tres cauſas, aliæ adferuntur à *Sanch. c. l. n. 30 & ſeqq.* Prima eſt, conſervatio ampliſſimarum opum in eadem familia. 2. Illuſtris familiæ in eodem ſanguine. 3. Merita petentium diſpenſationem: 4. Proles bonâ fide ſuſcepta ex conſanguinea, *Sanch. c. l.* Porro ſæpe fit, ut plures cauſæ ſimul junctæ ſufficiant, quæ ſeorſim ſingulæ non ſufficerent, *Sanch. c. l. n. 34.* videri etiam poteſt *Coning tr. de Sacram. diſ. 33. dub. 5. n. 45.*

CLXXII. Quæritur 3. Quando ob reticentiam veri, vel expreſſionem falſi, in petitione diſpenſationis, ea ſit ſubreptitia, & invalida? Reſp. Quando in petitione diſpenſationis, tacetur vera cauſa, aut circumſtantia, quam Jura jubent exprimi: vel quando veritas tacita, aut falſitas expreſſa, pertinet ad cauſam finalem, ita ut eâ veritate expreſsâ, vel falſitate non expreſsâ, diſpenſatio vel omnino conceſſa non fuiſſet, vel non tali modo, tunc talis diſpenſatio redditur nulla, & invalida, ob defectum intentionis, & conſenſûs, ex parte diſpenſantis, *Sanch. l. 8. de matr. diſ. 21. n. 13. Coning. cit. diſ. 33. dub. 6. n. 61.* Quando verò non tacetur aliquid, quod Jus jubet exprimi, & veritas tacita, vel falſitas expreſſa, tantùm verſatur circa cauſam impulſivam, ſine qua nihilominus diſpenſatio conceſſa fuiſſet, licèt difficiliùs: non redditur diſpenſatio ſubreptitia, & invalida. *Sanch. cit. diſ. 21. n. 17. Coning c. l. num. 62.* Ratio eſt, quia tunc error non dat cauſam diſpenſationi, cùm Pontifex, ob aliam cauſam, ſimiliter motus fuerit ad eam concedendam, adeoque diſpenſatio non poteſt dici propriè

priè facta per errorem, & per-consequens nec subreptitia est, quia non est facta per errorem dantem causam concessioni, seu dispensationi. Sed de hoc plura dicta sunt alibi. Quomodo autem S. Pontifex dispensare possit in Gradibus consanguinitatis, & affinitatis, dicetur infrà suo loco.

SECTIO VII.

DE MVTVA CONJVGVM obligatione, quoad cohabitationem, alimentorum præstationem, & liberorum educationem, & de obligatione conjugum ad debitum conjugale.

§. I.

An teneantur coniuges simul cohabitare, & mutuò sibi præstare alimenta, & quæ sit obligatio Coniugum ad alendos, & educandos filios?

CLXXIII. Assertio 1. Conjuges tenentur simul habitare, non tantùm in eadem domo, sed etiam communi mensâ, eodémque toro utentes, saltem ut plurimùm, ut patet ex *c. 1. & 2. de conjug. lepros.* & ex *c. 2. Gen. Propter hoc relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & Matth. c. 5. Omnis, qui dimiserit uxorem &c.* quamvis mutuo consensu quoad torum separati possint, ut patet ex *1. Cor. 7. Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus &c.* modò adsit legitima causa, & absit periculum incontinentiæ in utroque conjuge.

CLXXIV. Hinc infertur 1. Cùm vir sit Caput mulieris, uxorem teneri sequi virum mutantem domicilium, *c. 3. caus. 33. q. 2.* Ubi dicitur: *Unaquæque mulier sequatur virum suum, sive in vita, sive in morte.* Quod limitandum est 1. Si in pactis matrimonialibus certus locus habitationi destinatus sit: tunc enim uxor virum ab eo loco discedentem sequi non tenetur, nisi nova recedendi causa superveniat antè non prævisa, ob quam vir necessariò debeat aliò proficisci, *Sanch. l. 1. de matr. disp. 40. n. 2. & 3.* 2. Non tenetur sequi virum, si sine gravi detrimento corporis, vel animæ sequi non possit, *Sanch. cit. libri disp. 41. n. 3.* Neque 3. tenetur sequi virum, qui hinc inde vagatur, nullibi certam sedem habens: nisi mulier sciens virum habere consuetudinem vagandi, ipsi nupsit, ideóque tacitè ad id se obligavit, *Sanch. c. l. n. 6. & 7.* 4. Non tenetur uxor sequi virum etiam justâ ex causâ longam peregrinationem instituentem, cum magno sui incommodo; secus, si commodè possit, *Sanch. c. l. n. 8.* Econtra verò vir non tenetur sequi uxorem, nisi hæc ob casum necessarium cogatur domicilium mutare, cùm tamen vir pro suo libitu sibi domicilium eligere possit, & uxorem cogere, ut illum sequatur, *Sanch. cit. disp. 41. n. 14. & 15.*

Infertur 2. Quamvis ad longum tempus non possit, uxore invitâ, vir discedere, ut constat ex *c. 1. de conjug. lepros.* nisi justa causa subsit, ut si à Principe ad bellum evocetur, vel ob gubernandam, & regendam familiam abesse cogatur, tunc enim foret irrationabiliter invita uxor. Potest tamen vir, etiam sine consensu uxoris, brevem peregrinationem instituere, cùm contrà uxor, extra casum necessitatis, non possit, sine viri consensu peregrinari, *Sanch. l. 9. de matr. disp. 4. n. 12. & 15.* Si tamen vir discedens diu non sit reversurus, tenebitur secum ducere uxorem, si sumptus necessarii ad secum ducendam uxorem suppetunt, *Sanch. c. l. n. 14.*

Infertur 3. Cùm vir sit caput mulieris, & familiæ ad *Ephes. 5. & 1. Cor. 11.* ideo tenetur uxor in iis, quæ ad familiæ convenientem administrationem pertinent, obedire præceptis mariti, *Laym. l. 5. tr. 10. p. 3. c. 2. n. 1.*

Infertur 4. Quòd marito etiam permissum est uxorem delinquentem castigare, moderatè tamen: etsi enim viro subjecta sit, est tamen conjux, & adjutrix domesticæ administrationis, *Laym. c. l. n. 6.*

CLXXV. Assertio 2. Vir quoque tenetur alere uxorem, & familiam, quia ideo etiam dotis fructus accipit, *l. Dotis. 7. ff. De jure dotium, l. Pro oneribus. 20. C. eod.* Excipitur 1. Si uxor, sine culpa viri, & absque causa necessaria à marito discedat, tunc enim quamvis dotem ab ea acceperit, non tenetur ad eam alendam, quia uxor debet esse in obsequio viri, *c. Hæc imago. 13. caus. 33. q. 5.* ac proinde si non velit præstare obsequium debitum, non recipiet alimenta ipsi aliàs debita; qui enim non facit, quod debet, non recipit, quod oportet, *l. Si eâ. 3. C. De condit. infert.* Si verò uxor, ob viti sævitiam, aut aliam culpam discesserit: vel si coacta sit recedere, ob viri furorem, vel morbum contagiosum, vel etiam ob proprium delictum in exilium acta sit, ali debet à viro, *Sanch. l. 9. disp. 4. n. 19. & seqq.* Excipitur 2. Si dos promissa, vel pars dotis soluta non sit, tunc enim vir non tenetur alimenta præstare uxori, *Sanch. cit. l. 9. disp. 5. n. 2. & 3.* quòd si vir pauperem, & indotatam duxit, sibi id imputare, & eam alere debet. Si verò maritus sit inops, & uxor dives, hæc viro alimenta præstare tenetur, *l. Si cùm dotem. 22. §. Si maritus. ff. Solut. matr. Sanch. cit. disp. 5. n. 9. Tanner. cit. disp. 8. dub. 4. q. 6. n. 67. & 2. seqq.*

CLXXVI. Assertio 3. Uterque parens tenetur ad filios ex se natos sustentandos, & honestè, piéque educandos, ut patet ex *c. 6. ad Ephes. Patres filios vestros educate in disciplina, & correptione Domini, & 1. Cor. 12. Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.* Ratio est, quia parentes tenentur in filiisesse naturale, quod eis dederunt, conservare. Primaria tamen cura alendi filios ad patrem spectat, cùm ob eam rem dotem accipiat, ut onera matrimonii sustineat, familiámque alat. In defectum verò patris, si is pauper sit, vel nulla bona reliquit, avus paternus prolem alere cogitur, ut colligitur ex *l. Si quis. 5. §. Virum autem. ff. de liber. agnosc. & Auth. Si pater. C. De divort.* deficiente autem matre, avus aliique ascendentes materni, juxta *l. pen. ff. eod. Laym. l. 5. tr. 10. p. 3. c. 5. n. 6. & 7.* Cura autem alendi prolem saltem illegitimam, primo trien-

nio,

Digitized by Google

nio, ad matrem ſpectat, obligatio verò alendi filios legitimos abſolutè ad patrem pertinet, *Laym. c. l. n. 6.* Quæ autem de alimentis à parentibus libertis præſtandis dicta ſunt, intelligi debent, ſi filii indigeant: nam ad hoc non tenentur, ſi filii aliunde ſufficientem ſuſtentationem habeant, vel laborando acquirere poſſint, ſpectatâ qualitate perſonæ, & ſtatûs, *l. Si quis à liberis. 5. §. Sed ſi filius. ff. De liber. agnoſc.* per alimenta autem hîc intelliguntur non tantùm quæ præcisè neceſſaria ſunt ad vitæ ſuſtentationem, ſed etiam quæ requiruntur ad vitam honeſtè, & competenter ſuſtentandam, ſecundùm qualitatem, & ſtatum perſonæ, *Laym. c. l. n. 7.*

CLXXVII. Porro Jure Canonico parentes quibuſcunque filiis etiam illegitimis alimenta moderata præbere debent, juxta *c. Cùm haberet. 5. in fine De eo, qui duxit &c.* à quo correctum eſt Jus Civile prohibens alimenta præſtari ſpuriis, ſeu ex damnato coitu natis, *Auth. Ex complexu. C. de inceſt. nupt. Auth. Quibus mod. natur. effic. &c. §. pen. coll. 7.* Quamvis *Laym. c. l. n. 8.* dicat, quòd alimenta, quæ ad congruam ſuſtentationem requiruntur, olim Jure Cæſareo negabantur ſpuriis: non item alimenta, quæ præcisè ſunt neceſſaria ad vitam ſuſtentandam, quippe quæ ſtricto jure naturali, omnibus liberis debantur, quibus natura communis eſt, ideóque nullâ lege, vel conſuetudine contrarium introduci poteſt.

§. II.

De obligatione mutua coniugum ad uſum, ſeu actum coniugalem.

Quia hæc materia magis ad forum internum conſcientiæ, ac pœnitentiale pertinet, quàm ad forum Eccleſiaſticum externum, ideo de illa ſolùm duas quæſtiones magis neceſſarias hoc loco tractabimus, omiſſis aliis, de quibus videri poſſunt, quæ tractantur à Theologis paſſim in *Tract. de matrimonio.*

CLXXVIII. Quæritur 1. An actus conjugalis ſit licitus, & an ſit ſub præcepto? Reſp. 1. per ſe, ac naturâ ſuâ, eſt licitus, & honeſtus, *Sanch. l. 9. de matr. diſ. 1. n. 2. Tanner. diſ. 8. de matr. q. 6. dub. 1. Laym. l. 5. tract. 10. p. 3. c. 1. n. 1.* & alii communiter. Patet ex S. Script. 1. *ad Cor. 7. Vxori vir debitum reddat, ſimiliter autem & uxor viro.* Probatur, quia cùm ipſum matrimonium per ſe bonum ſit, quippe inſtitutum, & præceptum à DEO ad generis humani propagationem, etiam uſus, ſive actus ipſius bonus ſit, neceſſe eſt. Unde Gen. 2. præcipit DEVS actum conjugalem primis parentibus, *creſcite, & multiplicamini.* Actum autem ex ſe malum non poteſt DEVS præcipere.

CLXXIX. Reſp. 2. Petitio debiti conjugalis, propriè accepta, per ſe nunquam eſt ſub præcepto: redditio verò eſt ſub præcepto, ita ut teneatur conjux reddere debitum conjugi ex juſtitia, & ſub peccato mortali, quoties alter debitè, & convenienter petit, expreſsè, vel tacitè, ſeu interpretativè, *Sanch. cit. l. 9. diſ. 2. n. 2. & 3. Tanner. cit. q. 6. dub. 2. n. 17. & 18.* & alii communiter. Prima pars de petitione probatur, quia nullus tenetur uti jure ſuo, quod per ſe ad ſalutem corporis, vel animæ non eſt neceſſarium, & quod pro ſe tantùm, & in ſuum commodum eſt introductum, ſed poteſt juri ſuo renunciare, *c. Ad Apoſtolicam. 16. de Regul.* Dixi *per ſe*, quia peraccidens, non quidem ex propria obligatione juſtitiæ, ſed ex charitate tenetur conjux petere debitum, ſi ex ſignis colligat, aut credat aliàs conjugi imminere periculum incontinentiæ, quod petendo poſſit avertere, hujuſmodi autem petere eſt moraliter reddere, *Sanch. l. n. 4.* Secunda pars de redditione debiti patet ex Apoſtolo 1. *ad Cor. 7.* ubi jubentur conjuges mutuò reddere debitum, eò quòd neuter propriî corporis poteſtatem habeat. Ratio eſt, quia conjux transtulit dominium corporis ſui in alterum, in ordine ad actum generationis; ergo hic ex vi contractûs, adeoque ex juſtitia tenetur reddere debitum, & ſub peccato mortali, ſi ſeriò, & inſtanter petatur, & ſine juſta cauſa denegetur, *Sanch. cit. diſ. 9. n. 8. & ſeqq.*

CLXXX. Quæritur 2. An, & quomodo actus conjugalis reddatur illicitus, ratione dubii, de valore matrimonii? Reſp. 1. ſi dubium de valore matrimonii, ob ſuſpicionem latentis impedimenti, ortum ſit ante contractum matrimonium, illud contrahi non poteſt, nec debet, *Laym. l. 1. tract. 1. c. 5. §. 3. n. 23.* Quòd ſi quis malâ fide contraxit, dubitans de valore matrimonii, non poteſt debitum conjugale petere, etſi reddere teneatur alteri, qui bonâ fide contraxit, *Sanch. l. 2. de matr. diſ. 42. n. 2.* Idque probatur ex *c. 2. de ſecund. nupt.* ubi decidit ur: Conjugem, qui nondum de prioris obitu certus contraxit, non poſſe debitum petere, etſi hoc negare non poſſit poſtulanti, de quo plura infrà *Tit. ult.* Ratio primæ partis eſt, quia cùm talis conjux, dubiâ, & malâ fide, contraxerit matrimonium, & poſſeſſionem inchoaverit, non potuit per hujuſmodi contractum, & poſſeſſionem malâ fide cœptam acquirere jus in corpus alterius; ergo non poteſt debitum ab eo petere, quia jus petendi non acquiritur, niſi per contractum bonâ fide initum, & poſſeſſionem bonæ fidei. Ratio ſecundæ partis eſt, quia alter, ratione contractûs bonâ fide initi, eſt poſſeſſor bonæ fidei, adeoque habet verum jus petendi, & utendi re, quam bonâ fide putat eſſe ſuam; ergo hoc jure ſuo non debet ſpoliari, ob malam alterius fidem, dum non conſtat matrimonium eſſe nullum: atqui ſi negaretur illi debitum, privaretur hoc jure petendi, & impediretur ab uſu corporis conjugis, quod bona fide putat eſſe ſuum, & ita injuria illi irrogaretur. Necobſtat, quòd dubitans, reddendo debitum, exponat ſe periculo fornicationis: quia ea fornicatio, ſi fortè matrimonium ſit nullum, erit ſolùm materialis: major autem eſt obligatio non irrogandi certam injuriam alteri conjugi, quàm vitandi periculum materialis fornicationis, quod dubitans evitare neqhit, niſi cum injuria alterius, *Coning. diſ. 34. de matr. dub. 10. n. 101.*

CLXXXI. Reſp. 2. ſi poſt matrimonium bonâ fide utriúsque conjugis contractum, uni ſuperveniat dubium de valore illius, is tenetur reddere debitum alteri conjugi non dubitanti: non poteſt tamen petere, antequam adhibuerit ſufficientem diligentiam ad veritatem cognoſcendam: quâ adhibitâ, ſi maneat adhuc dubium, poteſt etiam petere, *Sanch. cit. l. 2. diſ. 41. n. 3. & 4. Coning. cit. dub. 10. num. 105. Laym. c. l. n. 24.* Primum, quòd ſic dubitans debeat reddere debitum, probatur, tum quia propter dubium,

Digitized by Google

bium, vel etiam probabiles, non tamen certas rationes, non poteſt alter privati poſſeſſione juris ſui juſtè acquiſitâ, ad hoc enim requiritur, ut aliquis ſit certus, rem non eſſe poſſidentis. Tum quia periculum majoris mali eſt in non reddendo debito, quàm reddendo; majus enim peccatum eſt contra matrimonii fidem negare debitum, quod eſt injuſtitia, ſi matrimonium ſit validum, quàm fornicatio, quæ ſoli caſtitati adverſatur, ſi matrimonium ſit invalidum; ergo in hoc dubio eligendum eſt minus malum, reddendo debitum. Alterum verò, quòd ſtante tali dubio ſpeculativo, dubitans non poſſit petere debitum, ante factam inquiſitionem de veritate, probatur, quia generaliter, quando quis dubitat, an res ſit ſua, quamvis eam retinere poſſit, non tamen poteſt eâ uti, donec veritatem inquirat, quia fruſtra inquireret, ſi non teneretur eam domino conſervare, ut docet *Sanch. cit. l.* 2. *diſ.* 41. *n.* 11. ergo ſimiliter in noſtro caſu, non poteſt conjux dubitans debitum petere, quod eſt uti matrimonio, & actus dominii, etſi poſſit reddere, quod eſt pati ſolùm actum dominii alterius, qui cùm ſit bonæ fidei poſſeſſor, non poteſt eo injuſtè privari. Tertium, quòd ſic dubitans poſſit debitum petere, poſt adhibitam diligentiam, probatur, quia generaliter loquendo, bonæ fidei poſſeſſor, ſi dubitet rem eſſe alienam, & poſt ſufficiens examen nequeat dubium deponere, poteſt non tantùm rem retinere, ſed illâ etiam uti, vel illam alienare, cùm enim tali juſtè concedatur poſſeſſio, etiam concedenda ſunt, quæ illam ſubſequi ſolent, *Sanch. cit. diſ.* 41. *n.* 22. ergo conjux dubitans, ſi præmiſſo examine, adhuc dubius maneat de valore matrimonii, poteſt uti matrimonio, petendo, & reddendo debitum: nam iniquum videtur, aliquem propter ſuperveniens dubium, quod poſt adhibitam diligentiam, deponere nequit, perdere jus legitimè acquiſitum; ergo cùm ante hoc dubium, conjux bonâ fide contrahens, habuerit jus petendi debitum, non obſtante tali dubio ſuperveniente, quod bonam fidem in poſſeſſore non tollit, aut interrumpit, illud jus retinebit. Quare neque hoc caſu eſt periculum fornicationis formalis, vel peccaminoſæ, quia etſi matrimonium ſit reipſâ invalidum: tamen probabilis ignorantia, quæ poſt ſufficiens examen adhibitum, eſt in bonæ fidei poſſeſſore, excuſat à peccato, *Laym. c. l.*

CLXXXII. Confirmatur, quia ſtante dubio ſpeculativo de valore matrimonii, poteſt ſimul conſiſtere judicium practicum, quo prudenter judicatur, licitum eſſe hîc, & nunc uſum juris conjugalis juſtè acquiſiti: & hoc ipſo, quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis, & nemo privandus eſt jure ſuo. Neque verò ante adhibitam diligentiam inquirendi veritatem, illicitum eſt petere debitum conjugi dubitanti ideo tantùm, quia adeſt dubium ſpeculativum de valore matrimonii, ſed quia adeſt dubium, & nondum diligentia debita adhibita eſt ad illud deponendum; ergo etiamſi illud dubium, poſt adhibitam diligentiam maneat, non tamen ampliùs obſtat juri petendi debitum, *Sanch. cit. diſ.* 41. *n.* 55. *in fine.* Porro quòd conjux dubitans de valore matrimonii teneatur adhibere diligentem operam inveſtigandæ veritatis, ex eo patet, quia aliàs exponeret ſe præſentiſſimo periculo peccandi, ſive petendo, ſive reddendo, ſive etiam negando debitum, cùm neſciat, quid licitum ſit, vel illicitum, niſi inquirat veritatem, *Coning cit. dub.* 10. *n.* 100.

Prædictis non obſtat *c. Inquiſitioni.* 44. *de ſent. excomm.* ubi dicitur: ſi credulitas probabilis, & diſcreta, quamvis non manifeſta, animum pulſet, debitum quidem reddi poſſe, ſed non poſtulari. Nam vel ibi agitur de conjuge, qui ab initio, malâ fide matrimonium contraxit, quia ſcilicet dubitabat, vel dubitare debebat de ejus valore, ac proinde nunquam fuit bonæ fidei poſſeſſor, cui ſimilis caſus eſt in *c.* 2. *de ſecund. nupt.* Vel intelligendum eſt illud *c.* de dubitante, qui non adhibuit ſufficientem diligentiam inquirendæ veritatis, adeoq; interim jure ſuo uti non potuit, *Laym. l.* 1. *tract.* 1. *c.* 5. §. 3. *n.* 24.

CLXXXIII. Ex dictis infertur 1. quando uterque conjux dubitat de valore matrimonii bonâ fide contracti, ante præmiſſam ſufficientem inquiſitionem, neuter poteſt petere, aut reddere debitum, quia in dubio diligenti inquiſitione non præmiſſâ, poſſeſſio non confert jus utendi re; ergo cùm eo caſu neuter jus petendi habeat, neutet etiam alteri reddere debet, imò nec poteſt, ne peccandi periculo ſe, & compartem ex ponat: adhibitâ autem diligentiâ, uterque poteſt petere, & reddere, quia tunc poſſeſſio confert jus ad omnem uſum, *Sanch. cit. diſ.* 41. *num.* 55.

Infertur 2. Siquis poſt contractum matrimonium, bonâ fide, utrinque habeat opiniones probabiles, & de valore matrimonii, & de nullitate ejuſdem, imò etſi probabiliùs crederet, non valere matrimonium, modò habeat opinionem probabilem de valore ejuſdem, poteſt reddere, & petere debitum, quia poteſt ſe conformare opinioni probabili, relictâ etiam magis probabili. Unde *cit. c. Inquiſitioni*, intelligi debet, cùm talis adeſt credulitas, contra quam non militat aliud viciſſim probabile judicium, *Sanch. cit, l.* 2, *diſ.* 44. *n.* 4.

TITV-

TITVLVS II.

DE DESPONSATIONE IMPUBERUM.

Postquam actum est superiore Titulo de sponsalibus, & matrimoniis in genere, nunc in hoc Titulo agitur in specie de illis sponsalibus, quæ contrahuntur per impuberes inter se, vel cum puberibus, & de ætate eorum, qui sponsalia, vel matrimonium contrahere possunt, vel non possunt, ob defectum, seu impedimentum ætatis. Extat hic Titulus etiam in Sexto.

§. I.

Quæ ætas requiratur ad sponsalia de futuro?

I.

RESpondetur, ad contrahenda sponsalia de futuro requiruntur septem anni completi, tam in maribus, quàm in fœminis, prout sumitur inprimis ex c. *Litteras. 4. h. t.* Nam cùm quidam in » ætate perfecta ad contrahendum matrimonium » existens, sibi quandam puellam desponsâsset in » cunabulis, postea cognovit matrem illius, & eam » in uxorem accepit. Consultus Pontifex Alexander » III. respondit: quòd si dictus vir matrem puellæ, » antequam hæc septimum annum complevit, in » uxorem accepit, matrimonium non esse dissol- » vendum, cùm desponsationes, quæ in cunabulis » fiunt, nullæ sint: si verò postquam puella septi- » mum annum complevit, idem vir matrem ejus » duxit in uxorem, cùm sponsalia ex tunc (scilicet » post septem annos) placere consueverint, man- » dat Pontifex, ut Episcopus loci sententiam divor- » tii inter eos promulget, & nec ipsam filiam, nec » matrem ejus habere permittat: nam filiam ha- » bere non potest, propter supervenientem affini- » tatem in primo gradu, quam contraxit per copu- » lam cum matre habitam: neque etiam matrem, » propter impedimentum publicæ honestatis or- » tum ex sponsalibus contractis cum filia, quæ post » septennium erant valida, *Gl. fin. hîc.*

II. Notandum 1. Ratio cur septenium completum requiratur ad sponsalia est, quia hoc tempore incipit communiter usus rationis, & libertas, juxta *S. Thom. in 4. dist. 27. q. 2. art. 2.* Et hinc secundùm Leges Civiles pupillus post septem annos impletos suæ ætatis, acquirere potest hæreditatem, *l. Si infanti. 18. §. ult. C. De jure deliber.* Idque habetur in *l. In sponsalibus. 14. in fine ibi: Si modò id fieri ab utraque parte intelligatur*, id est, si non sint minores, quàm septem annorum, *ff. De sponsal. Sanch. l. 1. de sponsal. dist. 16. n. 2.* Ratio autem cur Jus Canonicum requisivit eandem ætatem ad sponsalia in vitis, & fœminis, cùm tamen diversam exigat ad matrimonium, ut infrà dicetur, ratio, inquam est, quia ad sponsalia sufficit usus rationis, qui eodem tempore advenire solet vitis, & fœminis: ad matrimonium verò requiritur potentia generandi, quæ tardiùs in viris reperitur, *Sanch. c. l.*

Notandum 2. Si septennes contrahant sponsalia, sed uterque, vel alter usum rationis nondum sit adeptus, sponsalia sunt invalida, juxta *cit. l. In sponsalibus. 14. ff. De sponsal.* ubi dicitur: In sponsalibus contrahendis ætas contrahentium definita non est, ut in matrimoniis: quia scilicet in matrimonio sempet sufficit ætas jure præscripta: non autem semper in sponsalibus, sæpe enim post completum septennium, deest usus rationis, *Gl. ibid. in fine. Sanch. cit. dist. 16. n. 3.* Ex quo patet, quòd sponsalia sint sæpe irrita, non solùm ob defectum ætatis jure requisitæ, sed etiam judicii, & rationis, ut in casu hujus c. in quo sunt celebrata cum infante in cunis,

Notandum 3. Ut sponsalia impuberum sint valida, necessarium est, ut septennium sit omnino completum, nisi malitia suppleat ætatem, ut infrà dicetur, ita ut si vel unus dies deficiat, verè non dicatur septennium completum, sed inceptum solùm, adeoque sponsalia non valent. Sicut testamentum factum ab eo, qui nondum XIV. annum complevit, non valet, *l. Qua ætate. 5. ff. Qui testam. fac. poss. Sanch. cit. dist. 16. n. 4.* Sufficit autem, quòd ultima dies septennii fuerit incepta, etsi non sit completa, idque favore matrimonii, sicut idem statutum est favore testamenti in *cit. l. Qua ætate*, non enim minus est favorabile matrimonium, quàm testamentum, *Covarr. in Epit. l. 4. Decret. p. 1. c. 2. n. 2. Sanch. c. l. n. 2.*

III. Similis casus priori proponitur in *c. Accessit. 5. h. t.* Ubi mandat idem Papa Alexander III. Archiepiscopo Eboracensi, ut si ipsi constiterit, » quòd puella quædam non esset septennis, quan- » do G. desponsata fuit, nec postea (completo se- » ptennio) in eam consenserit; & quòd idem G. ab » hujusmodi desponsatione fuerit absolutus per » Archiepiscopum: matrimonium inter dictum G. » & puellæ matrem contractum, præcipiat inviola- » biliter observari: & prolem eorum denuntiet es- » se legitimam, quia desponsationes, & matrimo- » nia, ante septem annos, fieri non possunt, si con- » sensus postea non accedat. (expressè, vel tacitè, » *Gl. hic V. eod.*) Si verò prædicta puella, ante de- » sponsationem, septimum annum compleverat: » licèt dictus vir à desponsatione ejusdem puellæ » ipso jure fuerit absolutus, quia ea in ipsum con- » sentire

» ſentire noluit : inhoneſtum tamen videtur, ut » mattem habeat in uxorem, cujus filia ipſi fuit de» ſponſata.

1 V. Ubi notandum 1. Differentiam eſſe inter deſponſationes, & matrimonia, quia matrimonium propriè non eſt deſponſatio, neque hæc propriè matrimonium, nam deſponſatio idem eſt, quod promiſſio futurarum nuptiarum, *Abb. hic n.* 2.

Notandum 2. Sponſalia inita, ante ſeptimum annum completum, ſunt nulla, ob defectum ætatis, niſi poſtea expreſsè, vel tacitè ratificentur, *Sanch. cit. diſ.* 16. *n.* 5.

Notandum 3. Ex ſponſalibus de futuro initis cum puella minore ſeptennio, non oritur impedimentum publicæ honeſtatis: oritur autem hoc impedimentum ex ſponſalibus initis cum puella poſt ſeptennium completum, licèt illa poſtea diſſoluta fuerint, *Abb hic in fine.* Ideo autem in caſu utriuſque hujus c. ſponſus abſolutus fuit à ſponſalibus, quia puella poſt ſeptem annos deſponſata viro G. adveniente poſtea ætate virili, noluit in ipſum matrimonialiter conſentire, *Hoſtienſ. hic V. Abſolutus*: puellæ verò matrem non poterat ducere in uxorem, propter impedimentum publicæ honeſtatis, ut habetur etiam in fine hujus c.

§. II.

An ſponſalia ab impuberibus contracta diſſolvantur per ſolum diſſenſum alterius, poſtquam pubes factus eſt?

V. Assr. 1. Si duo impuberes ſponſalia contrahant, neuter reſilire poteſt, ante pubertatem; poſt pubertatem tamen uterque poteſt, prout ſumitur ex c. » *De illis. 7. h. t.* Ubi inprimis dicitur, qui infrà annos » pubertatis, ſed majores ſeptem annis, ſponſalia » contrahunt, ſive uterque, ſive alter tantùm re» clamet, antequam ad annos aptos matrimoniis, ſi» ve pubertatis, pervenerint, & ſeparari poſtulent, » non ſunt audiendi. Si verò alteruter eorum ad » annos pubertatis pervenerit, altero adhuc exi» ſtente impubete, cùm ſponſalia contrahuntur, ſi » iſte pubes effectus reclamet, nec in alterum con» ſentire velit, judicio Eccleſiæ ſeparari poterunt. » Mulier autem nubilis, quæ impuberi nupſit, (id » eſt, ſponſalia cum illo contraxit, quia matrimo» nium contrahere cum illo non potetat, *Gl. hic V.* » *Nupſit.*) ſi in eum ſemel conſenſit, ampliùs diſ» ſentire non poteſt, niſi ipſe, cui nupſit, poſt» quam pubes factus eſt, in eam noluerit conſen» tire.

V I. Hoc cap. tres partes habet. Prima eſt, ſi duo impuberes ſponſalia contrahant, neuter poteſt ante pubertatem reſilire, ne quidem mutuo conſenſu, idque ne propter ætatis inconſtantiam ſæpiùs contrahant, & iterum reſcindant ſponſalia : poteſt tamen quilibet pubes factus reſilire à contractu: idque ne cogantur approbare, & firmiter obſervare, quod in tenera ætate, cùm adhuc immaturo eſſent judicio, fecerunt, ideòque à Jure illis conceſſum eſt, poſt pubertatem reſilire, *Sanch. l.* 1. *de ſponſ. diſ.* 51. *n.* 6. *&* 7. Secunda pars eſt, qui priùs pubes factus eſt, poteſt ſtatim reſilire à ſponſalibus, nec tenetur exſpectare, donec etiam alter pubes fiat, §. *Si verò hic*, quia fruſtra exſpectatur eventus, cujus nullus eſt effectus, *c. Cùm contingat. 36. de offic. Jud. deleg.* ergo ſi priùs pubes factus, poteſt altero pubertatem adepto, reclamare, poterit etiam ſtatim, *Gl. hic V. Minoris*, licèt contrarium dicat *ibid. V. Cùm ſponſalia, Sanch. c. l. n.* 9. Tertia pars eſt, ſi pubes cum impubete contrahat ſponſalia, nunquam poteſt reſilire, quamvis impubes poſſit, cùm ad pubertatem pervenerit, ut patet ex hoc c. §. *Mulier fin.* cujus ratio eſt, quia contractus poteſt in favorem minoris claudicare, hoc eſt, ex parte illius retractari, at ſi minor ſine tutoris auctoritate contractum eum majore ineat, illi ſoli reſilire permiſſum eſt, *l. Non eo minùs.* 14. *C. De Procurator. Sanch. c. l. n.* 10.

VII. Ubi præterea notandum 1. hoc cap. intelligi debet de ſponſalibus impuberum ſeptennio majorum, non de ſolis infantium ſponſalibus, ut patet ex illis verbis: *intra eoſdem annos, altero exiſtente, cùm ſponſalia contrahuntur*, id eſt, altero exiſtente infra annos pubertatis, ſicut exiſtebat, quando ſponſalia contrahebantur, ut explicat *Gl. hic V. Cùm ſponſalia*: at infantes nequeunt ſponſalia contrahere, & additur, *neutrum poſſe ante pubertatem reſilire*: ſed ſi eſſent ab infantibus contracta, ſemper poſſent reſilire, cùm prorſus ſint irrita, *Sanch. cit. diſ.* 51. *n.* 5.

Notandum 2. Impubes factus pubes, poteſt à ſponſalibus reſilire, ſi ſtatim pubertatem adeptus reſiliat, alioquin poſtea non poterit, quia ex quo non ſtatim contradixit, cenſetur tacitè conſentire, *Covarr. in l.* 4. *p.* 1. *c.* 5. §. 1. *n.* 2. *Sanch. cit. diſ.* 51. *n.* 14. Statim autem intelligitur diſſentire, ſi citeriter triduo ante, vel poſt pubertatem, reſiliat à ſponſalibus, quia in Jure dicitur, incontinenti aliquid fieri, quod intra triduum fit, *l.* 3. *C. De errore Advocator. & l. fin. C. De Judic.* Ex quo ſequitur, non eſſe opus, ut factus pubes ſponſalia ratificet, quia eo ipſo, quòd non reclamet, videtur in ea priore voluntate perſiſtere, eáque valida manent, *Sanch. c. l. n.* 15. ubi *n.* 16. addit, ſi impubes, ante pubertatem, reſiliat à ſponſalibus, & poſtea non mutet eum diſſenſum, quia non ampliùs recordatur poſt pubertatem, manere talia ſponſalia diſſoluta.

Notandum 3. Poteſtas reſiliendi à ſponſalibus impuberibus jure conceſſa, poſt adeptam pubertatem, non tantùm habet locum in foro externo, ſed etiam in interno conſcientiæ, ita ut in utroque foro ex ſolo impuberis diſſenſu, poſt adeptam pubertatem, abſque alia cauſa, licitè poſſint diſſolvi ſponſalia. Tum quia ob ſolam reclamationem alterius pubertatem adepti, ſponſalia ſunt diſſolvenda, ut dicitur in *cit. c. De illis. 7. h. t.* tum quia Jus conſulere voluit immaturo, & mutabili puerorum judicio, ne tanto vinculo indiſſolubiliter, ſeu irrevocabiliter obligari poſſint, ideòque credendum eſt, omnem obligationem ſublaram eſſe, etiam in foro conſcientiæ: quomodo etiam vota puerorum, etſi valida ſint, poſſunt ſolâ patris, vel tutoris voluntate irritari in utroque foro: ergo ſimiliter ſponſalia impuberum, poſſunt diſſolvi in utroque foro, ſi ipſi impuberes pubertatem adepti reſiliant, ſeu diſſentiant, *Sanch. cit. diſ.* 51. *n.* 19.

VIII. As-

Digitized by Google

VIII. ASSERTIO 2. Probabilius est, sponsalia impuberum confirmari juramento, ut deinde liceat pubertatem adepto resilire, *Gl. in cit. c. De illis. V. Judicio Ecclesiæ, Covarr. in 4. Decret. p. 1. c. 5. §. 1. n. 3. Sanch. cit. disp. 5 1. n. 22. Becan. tract. de Sacram. t. 43. q. 26. n. 7.* & alii. Idque probatur ex *c. Ex litteris. 10. supr. de sponsal.* Ubi expresè dicitur, impuberes jurantes sponsalia, sive sub juramento promittentes se aliquam ducturos in uxorem, cogendos esse ea perficere. Et additur hæc universalis ratio: *Quia illis periculosum est contra juramentum suum venire*; quod procedit, sive reclamaverint, sive non. Ratio est, quia quamvis dubium sit apud JCtos, an alii quidam civiles contractus impuberum sint validi, necne: quia nimirum illi, seclusio juramento, erant invalidi: sed quoniam sponsalia impuberum, qui septennium compleverunt, secluso juramento, sunt valida, licèt dissolubilia, postquà puberes facti sunt, fideo dicendum est, per juramentum adjectum ea confirmari, & indissolubilia reddi, ut etiam post pubertatem resilire non possint. Quod tamen intelligendum est, si talia sponsalia juramento firmata sint ab impuberibus doli capacibus, sive proximis pubertati, ita ut intellectum, & discretionem habeant, juxta arbitrium prudentis Judicis, *Covarr. c. 1. & Sanch. num.* 24. Non obstat 1. quòd impuberes prohibentur jurare, *c. Parvuli. 14. & seq. caus.* 22. *q.* 5. Nam illi textus loquuntur de impuberibus, quòd non sunt cogendi jurare, ob restimonium fetendum. Non obstat 2. quòd juramentum additum contractui fortitur ejusdem conditionem, *l. fin. C. De non numer. pecun.* atqui sponsalia impuberum Jure Canonico habent in se hanc tacitam conditionem, *nisi facti puberes resilierint, cit. c. De illis. h. t.* ergo etiam juramentum habet hanc tacitam conditionem. Nam illa tacita conditio non debet subintelligi, quando sponsalia impuberum juramento sunt firmata, juxta *cit. c. Ex litteris de sponsal. Sanch. c. 1. num.* 26.

IX. ASSERTIO 3. Sicut à veris sponsalibus non est licitum resilire, ante pubertatem: ita nec à præsumptis, si impuberes contrahant per verba de præsenti, *Sanch. l. 1. de sponsal. disp.* 51. *n.* 13. Idque » habetur in *c. Anobii. 8. h. t.* Nam cùm quæsitum » fuisset ex Papa Alexandro III. utrùm ii, qui infra » annos nubiles, id est, ante pubertatem matrimo- » nii nomine conjunguntur (scilicet futuri, *Gl. hic* » *V. Matrimonii*, sive sponsalia contrahunt) utri- » que, vel eorum alteri, ante annos matrimonio » aptos, liceat ab invicem discedere? Respondet » Pontifex, cùm ante nubiles annos consensum » conjugalem non habeant, quousque perveniant » ad legitimam ætatem, exspectare tenentur. Et » tunc aut confirmetur matrimonium: aut si simul » esse nolint, separentur: nisi carnalis copula in- » tervenerit; quæ interdum anticipat tempus pu- » bertatis.

X. Ubi notandum 1. Sicut impuberes contrahentes sponsalia nequeunt ab eis resilire, ante adventum pubertatis: ita qui intendunt sponsalia, sive matrimonium contrahere per verba de præsenti ante annos nubiles, nequeunt ab eis recedere. Nam tale matrimonium ante legitimam ætatem contractum, Juris interpretatione, habet vim sponsalium de futuro, licèt ea contrahere non intendant, *Gl. hic V. Consensum in fine, & Abb. n.* 2.

Notandum 2. Si verò copula carnalis intercessit, inter impuberes, per illam consummatur matrimonium, *Abb. hic n.* 3. potest enim contingere interdum, ut etiam impuberes generent, ut notat *Barbos. in Collect. hic in fine.*

§. III.

Utrùm Sponsalia inter impuberes, vel inter impuberem, & puberem inita sint valida, vel nulla, & quâ ratione convalescant?

XI. De his agitur in *c. Si infantes un. h. t. in 6.* Ubi *in princ.* statuitur, ut si infantes duo inter se, » vel unus major septennio, & alter minor, » sponsalia contrahant, ipsi vel parentes pro eis: » sponsalia hujusmodi, quæ ab initio nulla erant, per » lapsum temporis (hoc est, post completum se- » ptennium utriúsque, vel alterius) non convale- » scant: nisi appareat liquidò, verbo, vel facto » ipsorum, eos post septennium, in eadem volun- » tate perdurare: ideóque cùm sint nulla, ratione » defectûs consensûs, publicæ honestatis justitiam, » seu impedimentum non inducant.

Hinc patet, quòd sponsalia contracta per ambos infantes, vel alterum, per septennium postea supervenientes non fiunt valida, nisi expresè, vel tacitè, sive verbo, ut quia se invicem vocant sponsos, sive facto, ut quia se invicem osculantur, ut sponsos, vel per mutuam cohabitationem eorum post septennium fuerint ratificata, *Franc. hic in princ.* Ratio est, quia infantes, seu minores septennio sponsalia contrahere non possunt, cùm non sciant, quid agant, *Gl. hic V. Infantes.* ideóque cùm ab initio sint invalida, non possunt solo tractu, seu cursu temporis postea convalescere, juxta *Reg. Jur. 18. in 6.* sed opus est novo subsequente consensu, expresso, vel tacito, *Gl. hic V. Convalescunt.* Neque etiam ex talibus sponsalibus, quippe invalidis, oriri potest impedimentum publicæ honestatis, *Franc. hic n. 2. Sanch. l. 1. de sponsal. disp. 16. n. 5. & 6.*

XII. Sed jam hîc quæritur, an in sponsalibus malitia suppleat ætatem, idest, an valeant sponsalia ante septennium, si eo tempore contrahentes jam sint præditi discretione, & usu rationis? Resp. Verius esse tunc validè contrahi sponsalia, etiam ante septennium, ut docet *Francus in cit. c. un. in princ. n. 2. Covarr. in l. 4. Decret. p. 1. c. 2. n. 1. Sanch. cit. disp. 16. n. 9.* & alii apud ipsum. Idque probatur ex *l. In sponsalibus. 14. ff. de sponsal.* Ubi dicitur: satis esse, si sponsi intelligant, quid agant: si ergo ante septennium intelligant, quid in contractu sponsaliorum agatur, hæc ante septennium erunt valida; sicut etiam in matrimonio malitia supplet ætatem, ut infrà dicetur. Idem ergo censendum est Jure esse dispositum de sponsalibus, *arg. l. Oratio. 16. ff. eod.* Cùm sponsalia sint via, & dispositio ad matrimonium. Ex quo infertur, quòd ideo Jus præcipiat septennium pro Sponsalibus, quia præsumitur usus rationis in puero septenni, non autem ante eam ætatem,

tatem, niſi contrarium manifeſtè appareat: poſt ſe-
» pennium verò completum præſumitur puer eſſe do-
» li, & rationis capax, adeoque etiam valere ſpon-
» ſalia, niſi contrarium probetur, *Sanch. c. l. num.* 10. *&* 11.

XIII. Præterea in *eit. c. un.* §. *Idem quoque. eod.*
» *in 6.* ſtatuitur: Quòd ſi pubes, & impubes, vel
» duo impuberes, non tamen proximi pubertati,
» & in quibus malitia ætatem non ſupplebat, per
» verba de præſenti contraxerint: ejusmodi ſponſa-
» lia, quæ Juris interpretatione tantùm ſunt de
» futuro, per adventum pubertatis non tranſeunt
» in matrimonium de præſenti (licèt verba exprimerent conſenſum de præſenti, & contrahentes intenderent matrimonium contrahere) nec matri-
» monium, quod ob defectum legitimæ ætatis non
» tenuit, ſolo curſu temporis convaleſcit: niſi per
» carnis copulam ſubſecutam, vel alium modum
» contrahentes in eadem voluntate perſeverare, uſ-
» que ad tempus pubertatis, evidenter conſtiterit.
» Per hunc tamen contractum, qui valuit, ut potuit,
» non ſicut agebatur, juſtitia publicæ honeſtatis eſt
» inducta.

XIV. Ubi pro declaratione notandum 1. ut inter impubetem, & puberem, vel inter duos impuberes ſponſalia contrahantur per verba de præſenti, ſive matrimonium, duo copulativè requiruntur, nempe ut ſint proximi pubertati, & ut malitia ſuppleat ætatem: alioqui verò ſponſalia contracta inter impuberes, per verba de præſenti, non valent in vim matrimonii, ſed tantùm ut ſponſalia de futuro, nec tranſeunt in matrimonium, ex eo, quòd ſupervenit legitima ætas, ſeu pubertas, niſi aliter approbentur, ſeu ratificentur, inducitur tamen impedimentum publicæ honeſtatis, *Franc. in cit. c. unic.* §. *Idem quoque. num.* 1. *h. t. in 6. & DD. ibid.* Ratio eſt, quia licèt tales intendant contrahere matrimonium per verba de præſenti, quia tamen ob defectum ætatis legitimæ illud contrahere prohibentur, contractum non poteſt habere vim matrimonii. Sed quoniam ſponſalia ſunt via ad matrimonium, & tales ſaltem poterant contrahere ſponſalia, ideo ex Juris interpretatione, & diſpoſitione, contractus ille habet vim ſponſaliorum de futuro, quia præſumitur, contrahentes ſe voluiſſe, obligare, eo modo, quo poterant, juxta illam Juris Regulam: *Si quod ago, non valet, ut ago, valeat ut valere poteſt*, ut habetur in textu, & in *c. ult. h.t. Vivian. in Ration. hic* §. *Idem quoque.*

Notandum 2. Quia talia ſponſalia de præſenti ab initio non valent, ut matrimonium, ideo per ſolum curſum temporis non tranſeunt in matrimonium, niſi per novum conſenſum præſtitum, expreſsè, vel tacitè approbentur, & ratificentur, tunc enim tranſeunt in matrimonium, ex quo ſponſi pervenerunt ad illam ætatem, in qua illud legitimè contrahere poſſunt. Unde ſi poſtea per carnis copulam ſubſecutam, vel per alium modum v. g. per cohabitationem, oſcula, vel amplexus, vel ſimilia ſigna, contrahentes declarent ſe perſiſtere in illa voluntate contrahendi matrimonium, cùm ad annos pubertatis pervenerunt, ex tunc conſenſus ille conjugalis de præſenti præſumitur, ut matrimonium contractum, *Franc. hic n. 4. Covarr. in l. 4. Decret. p. 1. c. 4. §. 2. Vivian. cit. loc.*

Notandum 3. Quia in *cit.* §. *Idem quoque.* Jus interpretatur hujusmodi ſponſalia per verba de præſenti inita, eſſe ſponſalia de futuro, ideo ex illis oritur impedimentum publicæ honeſtatis, ut habetur hîc in textu in fine.

XV. Denique in *eod. c. unic.* §. *Porro ſin. h. t. in 6.* additur: quòd ex ſponſalibus, quæ parentes
» pro filiis puberibus, vel impuberibus contrahunt,
» ipſi filii, ſi expreſsè conſenſerint, vel tacitè, non
» contradicendo ſi præſentes fuerint, obligantur, &
» ex eis oritur juſtitia publicæ honeſtatis. Idem-
» que eſt, ſi filii abſentes, & etiam ignorantes eadem ſponſalia (per parentes contracta) poſtea ſcientes ratificaverint, expreſsè, vel tacitè (accedente
» facto aliquo, præter taciturnitatem, *Gl. margin. hic*) aliàs verò ex hujusmodi ſponſalibus contractis per parentes pro filiis, nec ipſi filii obligantur, nec publicæ honeſtatis juſtitia inde conſurgit.

XVI. Hinc colligitur 1. quòd matrimonium, vel ſponſalia pro filiis abſentibus, & ignorantibus per parentes contracta non tenent, quia quoad matrimonium, & alias cauſas ſpirituales, filii cenſentur eſſe ſui juris, nec pendent à patria poteſtate, ſaltem de Jure Canonico, cui in matrimoniis, & ſponſalibus ſtandum eſt, non Juri Civili. Multò minùs obligantur filii ex ſponſalibus, vel matrimonii is contractis per parentes pro filiis, ipſis contradicentibus expreſsè, vel tacitè, ſed talia ſponſalia, vel matrimonium ſunt ipſo jure nulla, *Franc. in cit. c. un.* §. *fin. h. t. in 6. n.* 1.

Colligitur 2. Si filii, pro quibus parentes contrahunt ſponſalia, vel matrimonium, ſint præſentes, & per ætatem apti ad illa, & non contradicant expreſsè, vel tacitè, conſentire videntur, adeoque ea ſunt valida, & ad illa obligantur, *Franc. c. l. Sanch. l.* 1. *de ſponſal. diſ.* 23. *n.* 3.

Colligitur 3. Quando parentes contrahunt ſponſalia, etiam per verba de præſenti, pro filiis abſentibus, vel infantibus, qui non ſunt rationis capaces, tum non ſatis eſt, ſi dum poſtea id nôrunt, vel facti ſunt doli capaces, taceant, & non contradicant, quia in *cit.* §. *fin.* manifeſtè conſtituitur differentia inter ſponſalia per verba de præſenti à parentibus, nomine filiorum præſentium, & tacentium, contracta, quo caſu dicitur, ea valere, ſi non contradixerunt: & inter contracta, filiis abſentibus: quo caſu dicitur, ea non valere, niſi certiores facti, expreſsè, vel tacitè ea ratificaverint: ergo in hoc caſu, præter taciturnitatem, requiruntur alia expreſſa, vel tacita ſigna conſenſûs, *Franc. in cit.* §. *fin. & Sanch. eit. diſ.* 23. *n.* 17.

Id verò ſpecialiter ſtatutum eſt de parentibus in hoc cap. quòd ſufficiat præſentia, & taciturnitas filiorum, ſi pro filiis ſponſalia, vel matrimonium contrahant: nam ſi alii id faciant, requiritur aliud ſignum conſenſum internum exprimens, ut valeant ſponſalia, vel matrimonium, *Sanch. cit. diſ.* 23. *n.* 7. Nomine autem parentum hîc comprehenditur uterque parens, etiam mater, quòd & illa poſſit pro filio præſente, & tacente contrahere ſponſalia, vel matrimonium, quia deciſio hujus textûs non innititur præci-

Digitized by Google

præcisè patriæ potestati, sed naturali amori parentum, qui ardentior est in matre, *Sanch. cit. disp.* 23. *n.* 9. Sed de hoc plura §. *seq.*

§. IV.

An, & quatenus filii impuberes ex sponsalibus, pro se per patrem contractis, obligentur?

XVII. De hoc agitur, *in c. Tua* 1. *h. t.* ubi consultus Pontifex, utrùm pater, qui vult filium adultum seu puberem matrimonium contrahere, sine voluntate filij ho, possit facere? Respondet in primis, si filius aliquo modo non consentiat, id non posse fieri. Posse autem filium nondum adultum (id est, impuberem adhuc) cujus voluntas necdum discerni potest, à patre, cui vult matrimonio tradi, ita tamen ut postquam filius ad perfectam ætatem pervenerit, omnino debeat hoc adimplere.

Pro explicatione hujus *c.* notandum 1. Pater pro filio adulto, id est, pubere, nec matrimonium, nec sponsalia contrahere potest, nisi filius consentiat, scilicet expressè, vel tacitè, verbo, vel facto, *Hostiens. hic Valiquo modo, & Ioann. Andr. V. eod.* At verò pro filio nondum adulto, hoc est, infante, vel minore septennio, pater potest sponsalia contrahere, ut patet ex verbis sequentibus, *Cujus voluntas discerni non potest.* Nam nomen matrimonij hìc accipitur pro sponsalibus de futuro, per quæ ad matrimonium pervenitur, *Hostiens hic V. Matrimonio, & Io. Andr. ibid. num.* 3. *V. eod.*

Ratio prioris partis, quòd patet non potest pro filio pubere contrahere sponsalia, vel matrimonium, nisi consentiat, est, quia cùm talis filius sit in ætate, in qua potest præstare consensum ad matrimonium, ejus voluntas indagari debet; nam per illius consensum, non per patris sponsionem contrahendum est matrimonium, *c.* 2. *h. t. & cit. c. unic.* §. *fin. eod. in c.* Nec potest illum pater cogere ad contrahendum, cùm libera esse debeant matrimonia, *Gl. hic in notatis.* Consensus enim patris non requiritur ad valorem matrimonij filij, vel filiæ, ut ex suprà dictis patet. Ratio posteriotis partis est, quia cùm filius impubes, id est, infans, vel minor septennio, nondum habeat ætatem discretam, sive judicium discretionis, ideo permittitur, ut pro eo pater possit contrahere, saltem sponsalia, sub spe ratificationis, postquam compleverit septennium: idque intelligendum est de facto, & ex quadam honestate; nam revera ex hujusmodi sponsalibus nulla inducitur obligatio ex patte filij, sed ea sunt ipso jure invalida, ob defectum consensûs, *c. Ubi non est unic. caus.* 30. *q.* 2. *c. un.* §. *fin. h. t. in* 6. *Abbas hic num.* 3. Quare licèt honestum, ac decens sit, ut cùm filius pervenerit ad legitimam ætatem, adimpleat sponsionem patris, non tamen ad hoc necessariò obligatur: & ita intelligendum est, quod dicitur in fine hujus *c. Omnino debet hoc adimplere.* Nempe ex debito honestatis, non necessitatis, vel præcepti, ut explicat *Gl. hic in notat. & Abb. num.* 7. & alij Cononistæ communiter.

XVIII. Notandum 2. Alia expositio hujus cap. est, quòd sponsalia contracta à patre pro filio adulto, seu pubere, & pro infante, vel minore septennio, in eo conveniunt, quòd utraque non valent, & in eo differunt, quòd priora pro adulto contracta nunquam valent, sine illius consensu, quia is dissentire potest, vel consentire: posteriora verò pro infante contracta à patte usque ad septennium non valent, quia durante hoc tempore non potest infans consensum præstare: post septennium verò sponsalia convalescunt, si ab eo approbentur, & tunc ex suo consensu fit obligatus. Quare infans, pro quo pater contraxit sponsalia, ante septennium, non obligatur, quia ea non valuerunt; sed post completum septennium, si patris factum approbet, cohabitando cum sponsa, contractus ab initio nullus, per approbationé ejus convalescit, & tunc magis ex suo consensu, quàm ex sponsione patris obligatur. Quod autem in fine dicitur: teneri filium omnino adimplere, cùm ad perfectam ætatem pervenerit, id intelligendum est eo modo, ut si cùm primum septennium compleverit, reclamet, ac dissentiat, obligatio sponsaliorum extinguatur, & cesset: si autem taceat, absolutè obligetur, & ita explicat hoc *c. Barbos. in Collect. hic*, ubi addit, quòd illa verba, *postquam filius pervenit ad perfectam ætatem, debet omnino adimplere sponsionem patris*, dupliciter intelligi possunt: aut post perfectam ætatem requisitam ad sponsalia, ante XIV. annum, quo casu, non potest reclamare: aut post perfectam ætatem ad matrimonium; & tunc si filius statim non reclamat, postea resilire non potest, juxta *c. De illis* 7. *h. t.* Nec obstat textus in *c. unic.* §. *fin. h. t. in* 6. quia ibi agitur de sponsalibus ante septennium per patrem contractis, & illa non valent: in hoc verò *c.* 1. *h. t.* agitur de sponsalibus pro filio contractis, post septennium, quo casu si approbentur facto filij, sunt valida, etsi priùs non valuerint, *Barb. hic in fine.*

XIX. Notandum, 3. Quod in fine hìc dicitur, filium, cùm pubes factus est, teneri patris factum seu sponsionem approbare, *Becan. hic, n.* 2. dicit id uerum esse, nisi justam causam habeat reclamandi, ut quia Conjugem sibi traditam à patre aversatur, solent enim invitæ, seu coactæ nuptiæ difficiles exitus habere, *c. Requisivit* 17. *de sponsal.* Nam aliàs non apparet, cur in *cit. c.* 1. *h. t.* differentia constituatur inter filium puberem, & impuberem, pro quo contrahit pater sponsalia, vel matrimonium, cùm etiam in pubere filio honestum sit, ac decens, ut non reclamet voluntati patris pro se contrahentis. Verùm negari non potest, quin filius impubes, pro quo pater sponsalia, vel etiam matrimonium contraxit, pubes factus etiam sine justa causa reclamare possit validè, neque debeat necessariò approbare factum, seu sponsionem patris, quia consensus patris ad valorem sponsalium, vel etiam matrimonij filij non requiritur, ut ex suprà dictis patet. Quamvis filius graviter peccet, si sine justa causa contra voluntatem patris contrahentis pro filio, eam pubes factus non ducat, idémque est de filia, *Nav arr. in man. c.* 14. *n.* 15. ubi etiam novum, & singularem intellectum affert *cit. c.* 1. *h. t.* nempe quòd filius, pro quo pacisitur pater de uxore ducenda, non so-

lùm debeat de honeſtate: ſed etiam de neceſſitate ſeu obligatione ſub peccato eam ducere, quamvis ad id cogi non poſſit. Idémque docet *Fagnan. ibid. num. 14. & 15.*

§. V.

De variis caſibus occurrentibus circa deſponſationes impuberum, inter ſe, & puberum cum impuberibus, an, & qua ratione huiuſmodi deſponſationes valeant, aut obligent?

XX. De his agitur imprimis in *c. Exiſtterio 11. h. t.* ubi habetur, quòd quædam puella XII. annorum, cum jutamento, deſponſata fuit puero IX. vel X. annorum, & poſtea de voluntate parentum potiùs quàm de ſua, ut aſſerit, ad domum patris pueri deducta, & ibi nolens, & invita minis parentum impulſa, per annum, & ampliùs morata fuit, & tandem inde recedens, ad domum patris eſt reverſa, dicens, quòd nunquam in eum conſenſit, nec vult conſentire: ſed petit alij nubendi facultatem, prout habetur in integra lectione hujus c. Quare reſpondet Papa Urbanus III. Archiepiſcopo Piſano: cùm puer nondum ad XIV. annum pervenerit, nec eam carnaliter cognoverit, ſi puella commonita uſque ad XIV. annum pueri exſpectare noluerit, (ſi ita eſt,) liberam ei accipiendi alium virum tribuat facultatem.

XXI. Ubi notandum 1. major, ſive pubes contrahens ſponſalia cum minore, ſeu impubere, tenetur hunc exſpectare, donec veniat ad pubertatem, juxta c. *De illis 7. h. t.* niſi, major ſive pubes metu gravi coactus contraxit cum minore, ſeu impubere, tunc enim non tenetur exſpectare: ſed poteſt ad alias nuptias tranſire, ut in caſu hujus *c.* quia metus gravis, ſicut impedit matrimonium ipſo facto, ita & ſponſalia de futuro, *Abb. hic in fine.*

Notandum 2. Etſi iſti duo ſponſi intenderint contrahere matrimonium, tamen propter defectum legitimæ ætatis alterius, ſcilicet impuberis, fuerunt tantùm ſponſalia de futuro, *juxta c. un. h. t. in 6.* quæ tamen ob metum gravem, junctum ſcilicet cum minis, aut verberibus à parentibus incuſſum, ipſo jure fuerunt invalida, *Abb. hic num. 2. & 3. h. t.*

XXII. Secundò inc. *Continebatur 6. h. t.* talis caſus proponitur: cùm quædam puella infra annos nubiles, cuidam juveni, in uxorem tradita eſſet, & ab ipſo traducta in domum ſuam, poſtea jam nubilis licentiam alij nubendi poſtulavit, aſſerens ſe in eundem non conſenſiſſe. Conſultus Pontifex reſcribit, in Decretis habeti, ſi vir dicar, quòd uxorem ſuam cognoverit, idque mulier negaverit, viri ſtandum eſt veritati: ideóque prædicto viro, qui dicit, ſe puellam illam cognoviſſe, fides adhibenda eſt, ſi hoc firmaverit juramento. Si autem puella fuerit ætati (puberi) proxima, ut in XI. vel circa XII. annum: & cum ſuo aſſenſu deſponſata, & cognita ab eodem viro, ſeparari ab eodem non debet, præſertim cùm parentes ipſius eam legitimæ ætatis fuiſſe fateantur. Si denique puella, infra nubiles annos, alicui deſponſata fuit, non licet cuiquam ex conſanguineis illius, cui deſponſata fuit, eam ducere in uxorem, neque fas eſt ipſi ſponſo, ut ex conſanguineis ſponſæ ſibi aliquam copulet.

XXIII. Pro explicatione hujus *c.* notandum 1. ſi puella impubes deſponſata fuit, & traducta in domum viri, eáque pubes facta, petat licentiam nubendi alteri, non auditur, ſi vir juret, ſe illam carnaliter cognoviſſe, quia hîc erant ſponſalia defuturo inita, quæ per carnalem copulam tranſeunt in matrimonium, *c. Is qui 30. de ſponſal.* Creditur autem in tali caſu potiùs viro affirmanti ac juranti, quàm mulieri neganti, *c. Si quis 3. cauſ. 33. q. 1.* ubi dicitur: ſi quis accepit uxorem, & habuit eam aliquo tempore, & ipſa fœmina dicit, quòd nunquam coiſſet cum eo, & vir dicit, quòd ſic fecit, in veritate viri conſiſtar. Nititur autem iſta præſumptio tribus rationibus. 1. quia vir eſt Caput mulieris, *cit. c. Si quis in fine*, habens poteſtatem in mulietem, & firmioris eſt animi, quàm illa ideóque magis ei credendum eſt, quàm mulieri. 2. quia cùm matrimonium ſit favorabile, pro illo ſtat præſumptio. 3. quia vir fuit ſolus cum ſola, ideo creditur cognita ab eo, *Gl. in cit. c. Si quis V. Tempore.* Creditur autem in hac re potiùs viro, quàm mulieri, niſi hæc plenè contrarium probaverit, *Gl. in cit. c. Si quis in caſu.* Debet autem viro ſuper copulâ habitâ cum uxore ad ejus domum traducta, & cum eo habitante, juramentum deferri, quia id cedere poſſet in fraudem, & præjudicium mulieris, nec ea credere tenetur viro, ſine juramento, *Gl. hîc V. Juramento.*

Notandum 2. Juramento viri dicentis ſe copulam habuiſſe cum impubere, non eſt ſtandum, ut ex veriore ſententia docet *Alex. de nevo in hoc c. n. 32. & Sanch. l. 7. de matr. diſ. 104. n. 33.* contra *Abbatem hic n. 7.* Quare cùm dicitur §. *Si autem* (quæ eſt particula adverſativa continens caſum diverſum in Jure, & in facto) puellam pubertati proximam à viro cognitam non eſſe ab eo ſeparandam, id intelligi debet, quando ea copula ſufficienter eſt probata: quando autem paulò antè ibi dicitur, ſtandum eſſe juramento viri, quoad hanc copulam, id intelligendum eſt, ſi fœmina pubeſcit: unde in *cit. c. Si quis cauſ. 33. q. 1.* de impubere fœmina nulla fit mentio.

Notandum 3. Si puella nondum pubes: ſed pubertati proxima, probetur cognita à viro, cui tradita eſt, non debet ab eo ſeparari; cenſentur autem pueri, & puellæ pubertati proximi quoad matrimonium, ſi maſculus complevit, vel exceſſit annum decimum cum dimidio: fœmina autem annum nonum cum dimidio, ut docent plures apud *Covarr. in Epit. l. 4. p. 2. c. 5. n. 5.* Vel cùm diſtant à pubertate per ſex menſes, vel minus, *Gl. hîc V. Proxima.* Sed vetior ſententia eſt, id relinquendum eſſe Judicis arbitrio, cùm Jure nihil ſit præſcriptum, *Covarr. c. l. & Sanch. cit. diſ. 104. num. 40.*

Notandum 4. Ex ſponſalibus contractis cum impubere: ſed majore ſeptennio, oritur impedimentum publicæ honeſtatis, quia major ſeptennio poteſt

Digitized by Google

poteſt contrahere ſponſalia defuturo: quamvis non poſſit adhuc ſe obligare perpetuo vinculo matrimonij, ut infrà dicetur. Unde hujuſmodi ſponſalia impediunt matrimonium contrahendum cum conſanguinei ſponſi, & ſponſæ, ut habetur in fine hujus *c.* & ibi *Gl. in Notatis*: Olim quidem uſque ad quartum gradum: quod hodie à Tridentino eſt reſtrictum ad primum gradum, de quo infrà.

XXIV. Tertiò in *c. Atteſtatione*, 10. *h. t.* » Cùm juvenis H. qui nondum XII. annum attigerat, mulierem G. in uxorem accepiſſet, licèt » niſus fuiſſet eam corrumpere, prout uterque confeſſus eſt: mulier tamen credit ſe virginem manſiſſe. Verùm ipſe antequam ad annum XIV. perveniſſet, à dicta muliere receſſit, quem cùm jam » XVII. (vel juxta *Gl. Margin.* XVIII.) annos haberet, eadem pro viro ſibi vendicare contendit. » Conſultus Pontifex Urbanus III. reſpondet, niſi » mulier per idoneos teſtes probaverit, quòd poſt » XIV. annum ætatis ſuæ, vel circa finem anni » XIV. dictus juvenis in eam conſenſerit, juramento ab ipſo recepto, quòd poſtquam ad legitimam ætatem pervenit, illam habere uxorem » noluerit, poſſit, ac debeat ab impetitione mulieris » abſolvi, datâ utrique licentiâ ad alias nuptias » tranſeundi.

XXV. Notandum 1. Etſi niſus ſeu conatus ad copulam faciat præſumere potentiam ad illam, per conatum tamen copulæ ſponſalia per verba de præſenti inter impuberes, vel puberem, & impuberem contracta, quæ ex Juris interpretatione intelliguntur ſponſalia de futuro, licèt quoad verba ſint de præſenti, non tranſeunt in matrimonium, ob defectum legitimæ ætatis. Unde impubes, qui per verba conſenſum conjugalem exprimentia contraxit, etſi ſæpius nixus fuerit ſponſam carnaliter cognoſcere, ſed irrito conatu, poteſt, adveniente pubertate, à ſponſalibus reſilire, ut colligitur ex *eit. c. Atteſtationes. h. t. Covarr. in Epit. lib. 4. Decret. p. 1. c. 4. §. 1. n. 20.* Ratio eſt, quia ad contrahendum matrimonium requiritur in contrahentibus potentia coëundi, & diſcretio intellectûs, ad præſtandum conſenſum, quæ regulariter non adſunt extra pubertatem, quia conatus non habens effectum nihil operatur. *c. fin. ſuprà de ſponſal. Gl. hìc V. Niſus.*

Notandum 2. Quamvis niſus, ſeu conatus ad copulam non faciat ſponſalia tranſire in matrimonium, cùm effectum non habuerit, ut dictum, inducit tamen præſumptionem, quòd circa finem anni XIV. iſte juvenis, quando jam proximus erat pubertati, fuerit potens ad generandum, quia ante illam ætatem fuit nixus ad copulam, ideoque Papa hìc jubet inquiri, an conſenſerit in uxorem circà finem XIV. anni. Nam ceſſante præſumptione orta ex niſu copulæ, non ſufficiebat conſenſus præſtitus circa finem anni XIV. quia quando non conſtat de potentia coëundi, exſpectari debet pubertas completa XIV. annorum, *Abb. hìc n. 7.*

Notandum 3. Ideo in caſu hujus *c.* delatum fuit juramentum juveni, quia erat præſumptio contra illum pro muliere, conſtabat enim, quòd cum illâ contraxerit, & quòd attentaverit carnalem copulam, *Gl. hìc. V. Ab ipſo juramento.*

Notandum 4. Si impubes factus pubes velit à ſponſalibus reſilire, etiam alteri concedenda eſt licentia tranſeundi ad alia vota, prout habetur in fine hujus *c. Abb. hìcn. 6.*

§. VI.

Proponuntur, & explicantur alia Capitula huius Tituli, in quibus agitur de deſponſationibus impuberum.

XXVI. Præter tria §. præcedente explicata Capitula, quartò in *c. Duo pueri. 12. h. t.* talis caſus proponitur: Duo impuberes, Guilielmus, & Guilielma matrimonialiter ſunt conjuncti (id eſt, » ſponſalia contraxerunt, ut matrimonio jungantur, adveniente legitimâ ætate, *Gl. hìcV. Matrimonialiter*) dum puer ſextum, puella verò ſeptimum annum ageret: qui cùm per tres annos ſimul manſiſſent, pater puellæ ipſam alteri M. nomine copulavit, qui poſt ſeptem annos eandem » reliquit, credens eam alium virum (Guilielmum » ſcilicet, cui priùs fuit deſponſata,) habere: iſte » verò poſtquam ad annos diſcretionis pervenit, » ab Epiſcopo cum alia contrahendi licentiam impetravit, & quandam nomine S. Conſobrinam » prioris in uxorem accepit (quam habere non potuit, *Gl. hicV. In uxorem*) & cum ea per aliquod » tempus exiſtens, negavit ſe eam carnaliter cognoviſſe, licèt ipſa contrarium aſſereret; poſtea verò » pater Guilielmæ, videns eam à priore viro relictam, Guilielmum, cui priùs eam deſponſaverat, compulit, ut S. nepte ſuâ dimiſſâ, rediret ad » Guilielmam, cui poſtea per biennium cohabitavit. Conſultus ſuper hac re Pontifex Clemens III. » reſpondet, matrimonium inter Guilelmum, & » Guilielmam non fuiſſe, ob impedimentum puerilis ætatis: & licèt idem Guilelmus, poſtquam ipſa » alij nupſit, potuerit aliam ducere in uxorem: non » debere tamen cum S. Conſobrina Guilielmæ, ſive eam cognoverit, ſive non, remanere, propter » publicæ honeſtatis juſtitiam, nec ad primam redire, quippe alteri legitimè copulatam. Cùm verò » Guilielmus dicat, ſe non cognoviſſe S. Conſobrinam Guilielmæ, aliam ſi voluerit, poterit ducere » in uxorem, & ipſa S. alij viro copulari: utrique » tamen propter populi ſcandalum, pœnitentia eſt » injungenda. Si verò conſtaret, ipſam S. à Guilielmo, ſive pòſt, ſive antè cognitam fuiſſe, neutri, » vivente alterâ, licebit matrimonium contrahere. » Denique Guilielma remanere debet cum viro M. » impoſitâ ei competenti pœnitentiâ, quòd propriâ » temeritate judicio Eccleſiæ non requiſito, Guilielmam dimiſerit. »

XXVII. Notandum 1. Sponſalia contracta cum impubere minore ſeptennio, per cohabitationem mutuam poſt ſeptem annos, convaleſcunt, & inducunt juſtitiam publicæ honeſtatis, prout habetur in ſumma hujus *c.* Ratio eſt, quia quamvis ante ſeptennium impuberes non poſſint contrahere ſponſalia, poſſunt tamen poſt ſeptennium, unde ſponſalia ante ſeptennium contracta defacto, ſed non de jure, poſt ſeptennium incipiunt valere: quia

ex eo-

ex cohabitatione tam diuturna præſumitur ſponſos habuiſſe ratam priotem promiſſionem ſponſalium, licèt ea ab initio non valuerint: & oritur ex hujuſmodi ſponſalibus publicæ honeſtatis juſtitia, quia per cohabitationem, poſt ſeptennium, præſumitur de novo mutuus conſenſus præſtitus inter ſponſos. *Vivian. in ration. Iur. Pontific. hic.* Verùm cùm hodiè ſponſalia inter puerum ſexennem, & puellam nondum ſeptennem, ſint invalida, non oritur ex illis impedimentum publicæ honeſtatis, juxta *Concil. Trident. eſſe. 24. c. 3. de reform. matr.*

Notandum 1. Per mattimonium per verba de præſenti contractum poſtea ſuperveniens cum alio, vel alia diſſolvuntur priora ſponſalia, ante pubertatem contracta, ut in propoſito, Guilielmus non poteſt redire ad primam ſcilicet Guilielmam, quippe quæ alteri legitimè fuit copulata, nempe vito Martino per matrimonium, quod tanquam fortius vinculum diſſolvit ſponſalia prtora inita cum Guilielmo, aliàs verò non contraxit legitimè matrimonium cum Martino, quia non debuit fidem frangere alteri priùs datam, *Gl. hic V. Legitimè.*

Notandum 3. Si conſtet, quòd Guilielmus mulierem S. cognovetit, neutri licet, vivente altero, tranſire ad aliud matrimonium; nam quamvis tale matrimonium cum aliâ teneat, quia inter Guilielmum, & Guilielmam non fuit matrimonium: prohibentur tamen ulteriùs carnaliter conjungi, propter delictum utriuſque, *Gl. hic V. Neutri.*

Notandum 4. Quando in hoc c. in fine, pœnitentia imponitur ei, qui judicio Eccleſiæ irrequiſito, Guilielmam dimiſit, & in c. 1. *Cauſ. 33. q. 2.* puniuntur Conjuges, qui abſque Eccleſiæ auctoritate ſeparantur, ſermo eſt, non de ſponſalibus, ſed de matrimonio per verba de præſenti contracto, à quo alter conjux, abſque cauſa, receſſerat, quæ pœna nulli eſt infereuda, niſi per Judicem Eccleſiaſticum. *Gl. fin. hic & Sanch. l. 1. diſ. 69. n. 11.*

XXVIII. Quintò in c. ad diſſolvendum 13. *h. t.* habetur, quòd quidam Ioannes nomine, contraxit matrimonium cum puella quadam S. nomine, infra ſeptennium conſtituta: poſtea verò ex parte puellæ accuſabatur matrimonium, propter impedimentum conſanguinitatis, & dum teſtes producetent ad illam probandam, dictus Ioannes multas exceptiones propoſuit, per quas intendebat accuſatores ab accuſatione repellere. Conſuluit Pontifex Innocentius III. reſcribit: Ioannem juvenem illum, & puellam nec matrimonium, nec ſponſalia fuiſſe contracta; cùm conſtet puellam nondum ad ſeptimum annum perveniſſe: ideòque accuſationem matrimonij locum habere non potuiſſe, cùm non eſſet, quod legitimè accuſari poſſet. Denuntiari tamen poterat conſanguinitas, ut interdiceretur matrimonium contrahendum. Unde Papa terminum ad denuntiationem legitimè probandam ſtatuit, ſalvis exceptionibus propoſitis, & proponendis. Ne verò quicquam in puellam interim attentetur, prohibet idem Pontifex, & ſiquid contra hoc interdictum attentatum fuerit, irritum decernit.

XXIX. Notandum 1. Non poteſt accuſari matrimonium, quod nondum eſt, ut ſi cum minore ſeptennio ſit contractum, quia primò debet exiſtere in rerum natura id de quo agitur, *Gl. hic V. Legitimè accuſari*: & accuſatio non habet locum, niſi ſuper crimine jam perpettato, *Innoc. hic in princ. &* matrimonium nullum, ex defectu conſenſûs accuſari non poteſt, *Abb. hic n. 3.* Denuntiari tamen poteſt impedimentum conſanguinitatis, ne matrimonium contrahatur, quia denuntiatio habet locum, non tantùm ſuper crimintbus perpetratis, ſed etiam ſuper perpetrandis, ut caveantur, Innocent *hic V. Denuntiari.*

Notandum 2. Sponſalia inita contra interdictum Pontificis, cum decreto irritante, etſi generali, nec faciente mentionem ſponſalium, ſunt invalida, ut ſi Pontifex ex juſta cauſa prohibeat duobus, ne ſponſalia de futuro inter ſe contrahant, decernens irritum, ſiquid contra actum fuerit. Matrimonium verò adverſus ſimplicem prohibitionem Pontificiam initum, nimitum abſque decreto irritante, eſt validum, quia multa prohibentur, quæ tamen facta tenent, *c. Ad Apoſtolicam 16. de regular.* Prohibitio autem iſta eſt nuda, & ſimplex, ideo non eſt, cur dicatur rem tam arduam, ac eſt matrimonium, tunc irritari, ſed ſeparabuntur ad tempus Conjuges, *c. 2. De matr. contract. contr. interd. Eccleſ.* niſi addatur clauſula ſpecificam mentionem irritationis matrimonij faciens. Tunc enim eſt invalidum, alioquin fortius eſt matrimonium, quod eſt Juris naturalis, quàm interdictum Papæ, *Gl. hic V. Irritum in fine*, & ſic intelligi debet, quod dicitur in fine hujus c. ibi: *quod ſi contra interdictum noſtrum (id eſt, Papæ) in præjudicium ipſius, aliquid fuerit attentatum, id irritum eſſe decernimus &c.* de quo pluta vidcti poſſunt apud *Abbat. hic n. 9. & Sanch. c. l. n. 11. & 12.*

XXX. Sexrò denique in *c. Tuæ 14. & ult. h. t.* refertur: quòd quidam filium ſuum circiter duodennem deſponſavit cuidam nobili, qui eandem ſubarthavit (per immiſſionem annuli) accedente mutuo conſenſu: quæ poſtea alteri copulata fuit, ut habetur in integra lectione hujus cap. Sed quia non conſtitit Papæ, cujus ætatis eſſet puella, quando eidem viro fuit deſponſata, cùm dicatur, quòd circiter XII. annos habeat, & an prudentia tunc ſuppletet ætatem: ideo reſpondet idem Papa, ſi puella non erat nubilis ætatis, cùm prædictus vir eandem deſponſaret, & ſi ætatem in ea prudentia non ſupplebat, inter eos non conjugium, ſed ſponſalia contracta fuiſſe, quamvis à viro fuerit ſubarthata.

XXXI. Ubi notandum 1. Si mattimonium per verba de præſenti contractum inter virum, & puellam, quæ nondum eſt in ætate nubili, & in qua prudentia (aut malitia) non ſupplet ætatem, non eſt matrimonium, ſed vim ſolùm habet ſponſalium de futuro, etiamſi vir ei arrham dederit, prout habetur in *cit. c. Ulti. h. t. Gl. hic V. Nubilis.* Ratio eſt, quia ante annos pubertatis, vel antequam malitia ſuppleat ætatem, non eſt quis aptus ad matrimonium contrahendum, ut infrà dicetur.

Notandum 2. Matrimonium fœminæ, cui modicum tempus ad XII. annum completum deficit, eſt invalidum, tum ob defectum potentiæ ad copulam carnalem, tum ob defectum diſcretionis requiſitæ

Digitized by Google

quisitæ ad consensum conjugalem, nisi malitia suppleat ætatem, *Barb. in Collect. hic, n.* 3. Quando autem prudentia, ut hic dicitur, aut malitia suppleat ætatem, infrà dicetur.

Notandum 3. Subarrhatio v. g. per immissionem annuli in digitum sponsæ, non inducit matrimonium, si illa necdum sit in ætate nubili, *Abb. hic n.* 4. & colligitur ex hoc cap.

§. VII.

De ætate requisita ad matrimonium contrahendum, & de pubertate, & quando malitia suppleat ætatem?

XXXII. Quæritur 1. Quæ ætas requiratur ad matrimonium contrahendum? Resp. ætas legitima ad contrahendum matrimonium est puberras, sive annus XIV. in masculo, & XII. in fœmina completus, prout sumitur ex *c. Ubi non est* » 2. *h. t.* Ubi Nicolaus Papa districtiùs inhibet, ne » aliqui, quorum uterque, vel alter ad ætatem le» gibus, vel Canonibus determinatam non perve» nerit, conjungantur. (scilicet matrimonialiter, » *Gl. ibid. V. Conjungantur*) nisi fortè urgentissimâ » aliquâ necessitate interveniente, utpote pro bo» no pacis, talis conjunctio toleretur. Ubi *Gl. V. Canonibus.* ait, ætas ad matrimonium contrahendum, tam secundùm leges, quàm secundùm Canones, est XII. annorum in fœmina. *c. Continebatur, 6. h. t.* in viro XIV. annorum, *c. Attestationes. 10. eod. Covarr. in Epit. lib. 4. p. 2. c. 5. n. 2. Abb. n. 5.*

XXXIII. Pro declaratione notandum 1. duplex est intellectus, seu expositio hujus cap. 1. quòd hîc prohibeantur sponsalia de futuro, ante septennium, imò etiam post illud, ante pubertatem, idque ne contra bonum commune matrimonia impediantur, nam quando uterque, vel alter est impubes, & sponsalia contrahunt, oritur inde publicæ honestatis justitia, *c. Un. h. t. in 6.* Cùm autem sponsi puberes facti sæpe, mutatâ voluntate, à sponsalibus resiliant, impeditur sponsus contrahere matrimonium cum sponsæ consanguineis, & hæc cum consanguineis sponsi, *c. Sponsam. 8. De sponsal.* & ex tali dissolutione plerumque discordiæ, & rixæ oriuntur, ut docent plures apud. *Sanch. l. 1. dis. 17. n.* 2. Verùm huic expositioni obstat, quia in hoc cap. prohibetur, ne aliqui, quorum uterque, vel alter ad ætatem legibus, vel Canonibus determinatam non pervenit, conjungantur, nulla autem conjunctio, seu obligatio esse potest, si duo infantes, seu minores septennio, vel alter sponsalia contrahant, quippe nulla ex defectu consensûs, *c. Un. h. t. in 6.* Tum quia, vel pueri, ante septennium, sunt usu rationis destituti, & sunt culpæ expertes, adeoque non peccant contrahendo sponsalia, & nihil prorsus agunt: vel adest usus rationis, ante septennium, & tunc adest legitima ætas requisita ad sponsalia, *Abb. hic in fine. Sanch. cit. dis. 17. n. 4.* Tum quia sponsalia etiam post septennium, sed ante pubertatem, inita, non sunt conjunctio propriè, sed potiùs conjunctionis futuræ promissio *c. Nostrates. 3. caus. 30. q. 5.*

Notandum 2. Alter ergo, & verior intellectus, seu expositio *cit. c. 2. h. t.* est, quòd in eo prohibeatur tantùm conjunctio matrimonialis, ne scilicet matrimonium contrahant, si ambo, vel alter nondum pervenerunt ad ætatem legibus, vel Canonibus præfinitam, hoc est, ante XII. annum exactum in fœmina; & decimum quartum similiter exactum in masculo, ut suprà dictum, cum *Gl. hic V. Canonibus, juxta. l. Minorem. 4 ff. de ritu nupt. Navarr. in man. Prælat. c. 22. n. 29.* & alij communiter. Rationem hujus prohibitionis dat *Fagn. hic num.* 11. Quia cùm minores apti ad matrimonium obligentur ex contractu matrimonij, *c. Devilis 9. h. t.* Plerumque autem incertum sit, an ad matrimonium sint apti, necnè, hoc est, an malitia suppleat ætatem, idque ex habitu corporis, vel alijs signis facilè cognosci nequeat, hinc sæpe contingit, ut alter conjugum pœnitentiâ ductus, prætextu invaliditatis resiliat à matrimonio, & cum alia contrahat. Ideo meritò Papa hîc districtè id prohibet, adeo ut sit culpa lethalis matrimonium contrahere ante ætatem legitimam, seu pubertatem completam, sine causâ urgentissimâ, ut pro bono pacis: potest tamen Episcopus dispensare, ut impuberes matrimonio copulentur, & ad illum spectat cognitio, an adsit causa justa, ut matrimonium ineant, prout habetur in fine *cit. c. 2. h. t.* Videlicet quando sunt prope legitimam ætatem, seu pubertatem, ut dubium sit, an malitia eâm suppleat, valétque talis dispensatio pro utroque foro, *Sanch. l. 7. de matr. dis. 104. n. 12. Barb. in Collect. in cit. c. 2. n. 5. & de offic. Episc. alleg. 35. n. 10.* ubi addit, cùm in *cit. c. 2.* S. Pontifex dispensationem sibi non refervârit, videtur tacitè illam Episcopis concessisse.

XXXIV. Quæritur 2. Qui dicuntur, & sunt puberes quoad matrimonium contrahendum? Resp. de hoc agitur in *c. Puberes. 3 h. t.* ubi, dicitur: puberes à pube sunt vocati, id est, à pudentia, seu pudore corporis, quia hæc loca primò lanuginem » ducunt. Quidam tamen ex annis puberratem » æstimant, id est, illum puberem dicunt, qui XIV. » annos implevit, quamvis tardiùs pubescat. Certum autem est eum puberem esse, qui ex habitu » corporis pubertatem ostendit, & generare jam » potest. Et puerperæ sunt, ac dicuntur, quæ in annis puerilibus pariunt. »

XXXV. Notandum 1. In matrimonio contrahendo, non debet spectari tempus annorum, sed an contrahens sit talis, qui generare, vel concipere possit, tam in masculo, quàm in fœmina, ut constat ex hoc *c. & ibi Gl. in casu.*

Notandum 2. Prohibetur ante pubertatem carnalis conjunctio inter conjuges, ne postea dubitetur de valore matrimonij, propter malitiam, quæ forte aderat, & lapsere ætatem poterat, *Abbon cit. c. 2. h. t. in fine. & Covarr. in Epit. lib. 4. Decret. p. 2. c. 5. n. 2.* Hæc tamen ætas, scilicet pubertas à Canonibus definitur, quia tunc præsumitur quis habilis ad copulam, & ad consensum conjugalem præstandum, ut colligitur *ex cit. c. Puberes h. t. Covarr. c. l.*

Notandum 3. Matrimonium etiam ante pubertatem initum, est validum, si adsit potentia generandi, & discretio rationis ad se obligandum,

Covarr. c. l. In dubio tamen ante ætatem pubertatis completam, nec mas, nec fœmina præſumuntur apti ad generandum, ideóque aſſerenti hanc aptitudinem incumbit onus probandi, quia præſumptio ſtat contra ipſum: at verò poſt completam pubertatem, præſumitur adeſſe potentia generandi, ac proinde qui eam negat, probare tenetur: quamvis hæc præſumptio ſit Iuris tantùm, contra quam admittitur probatio in contrarium, *Sanch. l. 7. de matr. diſ.* 104. *n.* 4.

Notandum 4. Matrimonium contractum à pubere, ſeu majore XIV. annis, etſi tunc nondum poſſit cum fœmina carnaliter commiſceri, nec generare, nihilominus eſt validum, ut docet Silveſt. *V. Matrimonium* 5. *q.* 7. *Covarr. cit. c.* 5. *n.* 2. & alij *D D.* communiter, quam ſententiam etiam *Abb. in cit. c. Puberes in fine* æquiorem vocat, contra *Gl. V. Tardiſſimè.* Ratio eſt, quia cùm ætas legitima adſit, & de nullo perpetuo impedimento conſtet, matrimonium tenet, aliàs ſequeretur, quòd impotens ad copulam, propter infirmitatem corporis, non poſſet matrimonium contrahere, quod falſum eſt. Quare talis exſpectare debet uſque ad plenam pubertatem, quæ eſt XVIII. annorum, quâ adveniente, ſi generate non poſſit, & mulier inſtet, ut matrimonium diſſolvatur, illud diſſolvi poteſt, quia tunc præſumeretur eſſe impedimentum perpetuum, *Silveſt. c. l.* Vel ſaltem exſpectandum eſt tanto tempore, ex quo colligi poſſit, talem eſſe inhabilem ad carnalem copulam, ſive non ex debili ætate, ſed ex frigiditate, ſive naturâ ipſâ eſſe omnino impotentem ad coëundum, *Covarr. c. l.*

Notandum 5. Quando in fine hujus c. dicitur: puerperæ ſunt, quæ in annis puerilibus pariunt, id non eſt receptum apud latinos Iuriſconſultos, nam juxta *l. Illa verba.* 163. *ff. de V. S.* fœminæ puerperæ appellantur, recentes ex partu, *Covarru. cit. loc.*

XXXVI. Quæritur 3. Quomodo, & quando malitia ſuppleat ætatem quoad contrahendum matrimonium? Reſp. Validum eſt matrimonium contractum ante legitimam ætatem, ſi malitia ſuppleat ætatem, niſi violentia intercedat, prout ſtatuitur in *c. De illis* 9. *h. t.* Ubi Papa Alexander III. » reſcribit: Si illi, qui in minore ætate deſponſantur, ita fuerint ætati (id eſt, pubertati) proximi, » ut potuerint copulâ carnali conjungi, non debent, minoris ætatis intuitu, ſeparari, ſi unus in » alterum conſenſerit, cùm in eis malitia ætatem » ſuppleviſſe videatur. Verùm cujuſcunque ſint ætatis, poſſunt ſe per illatam violentiam excuſare, » niſi poſtea conſenſus accedat.

XXXVII. Pro explicatione hujus c. notandum 1. nomine malitiæ communiter intelligunt DD. non tantùm aptitudinem ad copulam conjugalem, ſeu potentiam generandi, ſed etiam prudentiam, ut vocatur in *c. fin. h. t.* Id eſt, diſcretionem, & judicium rationis ſufficiens ad cognoſcendum ſtatum conjugalem, ejúſque perpetuum, ac indiſſolubile vinculum: unde etiam in *c. Continebatur. 6. h. t.* ponderatur non tantùm copula, ſed etiam ætas pubertati proxima, ergo ſola copula non eſt ſufficiens: atque ita hæc duo copulativè requiruntur ad valorem matrimonij, ante ætatem legitimâ, *Abb. hîc n.* 4. ubi ait, ſi incipiatur à primo, id eſt, proximitate pubertatis, neceſſariò requiritur ſecundum, quia non ſufficit ſola propinquitas ætatis, ſed etiam malitia eſt neceſſaria, quæ hîc exponitur, vigor naturalis, ſeu potentia coeundi, *Silveſt. V. Matrimonium,* 5. *q.* 2. *Covarr. cit. c.* 5. *n.* 3.

Notandum 2. Ut malitia ſuppleat ætatem, adeoque validum ſit matrimonium, ante ætatem Jure præſcriptam, initum, non requiritur, ut carnalis conjunctio antea præceſſerit, ſed ſufficit aptitudo ad copulam, ſive potentia generandi, quæ ex alijs ſignis probari poteſt, & ſufficiens diſcretio ad ſe obligandum, prout ſumitur ex hoc cap. ibi: *Si ita fuerint ætati proximi, ut carnali copulâ conjungi potuerint, ſeparari non debent, Abb. c. l. Sanch. l.* 7. *cit. diſ.* 104. *n.* 5. & *n.* 21. Ratio eſt, quia ideo Jus eam ætatem præſcribit, quia præſumit tunc pueros, & non antea eſſe præditos, & ſufficiente iudicio ad matrimonium contrahendum, & poteutiâ generandi; ſi ergo utrumque hoc adeſſe conſtet, ceſſat præſumptio, & cedit veritati.

Notandum 3. Metus, & violentia in quacunque ætate incuſſus, reddit matrimonium ipſo jure nullum, quia tollit libertatem conſenſûs, ut habetur in fine hujus cap. dummodo ſit talis metus, aut violentia, quæ poſſit cadere in virum conſtantem, *c. Veniens* 15. *de ſponſal.* Veruntamen poteſt conſenſus matrimonialis per matrimonium, aut vim extortus purgari per ſupervenientem libertum conſenſum, ita ut validetur matrimonium priùs metu, aut vi contractum, ſive ille conſenſus ſit expreſſus, ſive tacitus, ſeu præſumptus, ut ſi talis violentiam paſſa alteri patenter cohabitet, vel ſi carnalis copula ſubſequatur, *Gl. fin. hîc.*

TITVLVS III.

DE CLANDESTINA DESPONSATIONE.

I.

QUia matrimonia, & ſponſalia quandoque contrahuntur palam, & publicè, quandoque clandeſtinè, ideo ſubijcitur his Titulus. Nomen autem deſponſationis hîc ſumitur pro ipſo matrimonio, *c. Conjux.* 9. *c. Qui deſponſatam.* 12. *cauſ.* 27. *q.* 2. *c. Tua nos.* 26. *ſuprà de ſponſal.* Quamvis propriè loquendo, nomine deſponſationis intelligantur tantùm ſponſalia de futuro, *l. Sufficit.* 4. *ff. de ſponſal.* Matrimonium verò clandeſtinum dicitur, quod clam contrahitur, quod dupliciter fieri poteſt, vel quia contractum

Digitized by Google

tractum eſt, nullis teſtibus præſentibus, vel quia contractum eſt, nullis præmiſſis denuntiationibus, etiam nullâ interveniente diſpenſatione, *c. Ult. h. t. & Gl. ibid. V. Clandeſtina.* Ubi additur tertius modus clandeſtinæ deſponſationis, ſive matrimonij, ſi contrahatur ſine adhibitis ſolemnitatibus, quæ recenſentur in c. 1. *Cauſ.* 30 *q.* 5. Quod rectiùs matrimonium minùs ſolemne appellatur, quàm clandeſtinum, nec ad hunc Titulum pertinet. De matrimonio priore modo ſumpto priùs agemus, de altero poſtea.

§. I.

An matrimonia clandeſtina Iure antiquo non ſolùm fuerint prohibita, ſed etiam invalida, & qua ratione potuerint Iure novo ab Eccleſia irritari?

II. Assertio 1. Matrimonia clam ſine parocho, & teſtibus, contracta, ſemper quidem fuerunt ab Eccleſia graviter prohibita, adeoque ex genere ſuo mortaliter illicita, ſed ante Concilium Trident. fuerunt valida. Eſt certa, & communis DD. ſententia, poſt *S. Thom. in ſupplem. 3. p. q. 45. art.* 5. Prima pars, quòd ſemper fuerint illicita, patet ex multis Canonibus, præſertim ex *c. Nullus* 2. *cauſ.* 30. *q.* 5. Ubi Hormiſda Papa ſtatuit, ut nullus fidelis cujuſcunque conditionis ſit, occultè nuptias faciat, ſed publicè nubat. Ratio eſt, quia etiam olim gravia pericula, & damna inde provenire ſolebant, *Sanch. l. 3. de matr. diſ. 3. n. 1.* Secunda pars, quòd olim fuerint valida, conſtat ex *c. 2. h. t.* ubi dicitur, ſi contrahentes clandeſtina matrimonia ea volunt in Eccleſia publicari, recipienda ſunt, & comprobanda, ergo tunc valida erant hujuſmodi matrimonia. Unde etiam Concilium Trident. *ſeſſ. 24. c. 1. de reform. matrim.* anathemate damnat eos, qui clandeſtina matrimonia vera, ac rata eſſe negant, quamdiu Eccleſia ea irrita non facit. Ratio eſt, quia ſpectato ipſo jure naturali, ac Divino, matrimonium clandeſtinum per ſe non eſt illicitum, ſed ſolùm per accidens, propter ſcandala, & occaſiones peccandi, quæ tamen interdum abeſſe, & vitari poſſunt, *Laym. l. 5. tr. 10. p. 2. c. 4. n. 1.* Confirmatur, quia in matrimonio clandeſtino reperitur tota eſſentia legitimi contractûs de præſenti, quamdiu is non irritatur, & ſolùm deficit extrinſeca, & accidentalis ſolemnitas publicitatis, ergo eſt validum, *Sanch. cit. diſ. 3. n. 2.* Sunt tamen plures caſus, in quibus, ante Concilium Tridentinum, & nunc etiam ubi decretum illud non eſt promulgatum, poteſt contrahi matrimonium, etiam clam ſine teſtibus, *Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 6. n. 7.* Quorum quinque recenſet *Tanner. tom. 4. diſ. 8. de matrim. q. 3. dub. 6. n. 111.* 1. Si poſſint per matrimonium clandeſtinum evadere ſubitum periculum mortis. 2. ſiqui per teſtium adhibitionem à matrimonio contrahendo iniquè impediretur. 3. Si exſpectando teſtes, magnam opportunitatem contrahendi matrimonium eſſent amiſſuri. 4. Si ſine gravi damno clam contrahere non poſſint, ut ſi virgo ſub tutoris poteſtate conſtituta meritò timeat ſe tradendam viro pravo, vel aliàs indigno ab iniquo tutore. 5. Si poſt matrimonium ſemel publicè contractum, ſed invalidè ob interveniens impedimentum, poſt impetratam diſpenſationem denuo clam contrahatur, de quo infrà. Ratio eſt, quia hujuſmodi leges affirmativæ non ita ſtrictè obligant, quin licitum ſit ab eis recedere ob urgentem neceſſitatem, vel aliam juſtam cauſam, dummodo alia graviora incommoda vitentur, de quibus infrà.

III. Assertio 2. Jure novo Concilij Tridentini *cit. c. 1. de reform. matr.* hujuſmodi matrimonia clam inita ſine parocho, & teſtibus, declarantur penitus nulla, & irrita, his verbis: Qui » aliter, quàm præſente Parocho, vel alio Sacerdo- » te, de ipſius Parochi, ſeu Ordinarij licentia, & duo- » bus, vel tribus teſtibus, matrimonium contra- » here attentabunt, eos Sancta Synodus ad ſic con- » trahendum matrimonium omnino inhabiles » reddit, & hujuſmodi contractus irritos, & nullos » eſſe decernit, prout eos præſenti decreto ir- » ritos facit, & annullat. Cauſæ autem, ob quas irritata ſunt hujuſmodi matrimonia, ſunt 1. quia matrimonium clandeſtinum adverſatur fidei illius, facilè enim poſſet alteruter conjux alij commiſceri, abſque eo, quòd adulterij notam ſubiret. Item adverſatur indiſſolubilitati matrimonij, ſæpe enim euenerat, ut v. g. vir, relictâ primâ uxore, cum qua clam contraxerat, palam cum alia contraheret, & cum eâ in perpetuo adulterio viveret, & uſque ad mortem in ſtatu damnationis permaneret. Adverſatur etiam bono prolis, quam maritus facilè negare poſſet eſſe ſuam, cùm uxor matrimonium, quippe clam ſine teſtibus initum probare non poſſet. 2. Irritavit matrimonia clandeſtina Eccleſia, quia plerumque contrahentes habent impedimenta quædam, quæ matrimonio publicè contracto detegerentur, & ſic plurima matrimonia irrita contraherentur. 3. Quia multæ inde diſcordiæ inter contrahentes, eorúmq; conſanguineos oriebantur, *Sanch. cit. diſ. 3. n. 5.* Cùm igitur his, & alijs gravibus peccatis, & incommodis, quæ ex talibus matrimonijs clandeſtinis ſequebantur, Eccleſia, quæ de occultis non judicat, per ſimplicem prohibitionem ſufficienter occurrere non poſſet, meritò ab Eccleſia ſunt irritata. *Sanch. l. 3. de matrim. diſ. 3. n. 5.*

IV. Assertio 3. Potuit Eccleſia irritare matrimonium clandeſtinum initum ſine parocho, & teſtibus, & defacto irritavit, etiam quatenus Sacramentum eſt, non quidem per ſe, ac directè, & immediatè, ſed indirectè, ac per accidens, & mediatè, annullando contractum humanum, ſeu civilem, unde conſequenter irritum redditur ipſum Sacramentum, *Sanch. l. 3. de matrim. diſ. 4. n. 6. Coninc. diſ. 27. de matr. clandeſt. dub. 1. Laym. cit. c. 4. n. 2.* Probatur, & declaratur, quia Eccleſia non poteſt quidem mutare materiam, & formam Sacramenti matrimonij à Chriſto inſtitutam, efficiendo, ut id, quod antea erat legitima materia, vel forma, ſine ſui immutatione, fiat illegitima, & inſufficiens, hoc enim eſſet directè, ac per ſe immutare eſſentiam Sacramenti, quod Eccleſia non poteſt, ut infrà dicetur; poteſt tamen immutare, & deſtruere id, quod

antea erat materia, vel forma, nempe ipſum contractum, in quo fundatur Sacramentum, quod eſt ſolùm peraccidens, ac indirectè mutare, vel potiùs impedire Sacramentum: ſicut ſi quis vinum phyſicè omnino corrumpat, infuſudendo aquam, non erit jam materia Sacramenti Euchariſtiæ, quoad alteram ſpeciem: ita etiam Eccleſia mutavit, & infirmavit contractum civilem matrimonij clandeſtini, & conſequenter etiam ſuſtulit rationem Sacramenti, quippe quod ex Chriſti inſtitutione fundatur in contractu valido, ſeu legitimo. Nam cùm quævis Reſpubl. Civilis, ſeu politica poſſit certas quaſdam perſonas, v. g. minores, vel prodigos, ad contrahendum reddere inhabiles, & contractus aliquos v. g. profeſſionem Religionis ante annum XVI. vel ultimas voluntates certâ ſolemnitate carentes irritare, ita ut ſint ipſo jure invalidi: ſic ſimiliter etiam potuerit eos Reſpublica Eccleſiaſtica, quiclam, & ſine parocho, & teſtibus matrimonium contrahere attentant, inhabiles reddere ad ita contrahendum; & quia matrimonium non tantùm eſt Sacramentum, ſed etiam contractus civilis, qui tamen propter annexam Sacramenti rationem ſubiacet poteſtati Eccleſiæ, & ab ea eſt reſervatus, ideo etiam potuit Eccleſia, propter juſtam cauſam, & publicam utilitatem animarum, quaſdam conditiones in illo contractu requirere, ſine quibus non ſit validus, nec cenſeatur legitimus contractus, adeoque nec materia, vel forma legitima Sacramenti matrimonij, & conſequenter etiam potuit ejuſmodi clandeſtinum matrimonium prorſus infirmare; *Sanch. cit. diſ. 4. n. 4. Laym. c. 1.* Itaque Eccleſia non potuit quidem ſtatuere, ut ſuppoſito, quòd perſonæ habiles contraxerint matrimonium, & contractus ſit validus, ac ſufficiens ad mutuam corporum traditionem, ipſum Sacramentum matrimonij ſit invalidum: potuit tamen deſtruere fundamentum, ſtatuendo, ut contractus humanus, ac civilis non ſit legitimus, & ſufficiens ad corpotum traditionem, niſi contrahatur coram parocho, & duobus, vel tribus teſtibus, qui ſi deſint, indirectè, & conſequenter etiam irritum redditur ipſum Sacramentum matrimonij, *Sanch. cit. diſ. 4. n. 6. in fine.* Neque verò Eccleſia facit, ut conſenſus legitimus non ſit ſufficiens ad valorem matrimonij, ſed ſolùm ut conſenſus aliter præſtitus à contrahentibus, non ſit, nec cenſeatur legitimus, quia ob annexam Sacramenti rationem eſt ſujectus diſpoſitioni Eccleſiæ, ut ſuprà dictum.

V. Ex dictis infertur, quamvis per verba mutui conſenſus, per quæ, ante Concil. Trident. conſtituebatur matrimonium, nunc non conſtituatur, ſi abſente parocho, & duobus teſtibus proferantur; non tamen abſolutè dicendum eſt, materiam, & formam eſſentialem, quæ antea ad matrimonium ſufficiebant, nunc non ſufficere, quia certum eſt, Eccleſiam non poſſe mutare materiam, & formam Sacramentorum, ut conſtat ex Concil. Trident. *ſeſſ. 22. de Communione c. 2.* ubi dicitur, quòd Eccleſia in Sacramentorum diſpenſatione nihil ſtatuere, & mutare poſſit, niſi ſalvâ illorum ſubſtantiâ: itaque dicendum potiùs eſt, materiam, & formam Sacramenti matrimonij eſſe mutuum conſenſum contrahentium, verbis, vel ſignis expreſſum, qui ſufficiens ſit ad contractum validum celebrandum, per quem mutua corporum ſit traditio. Porro valor hujus contractûs pendet ex modo contrahendi, qui ab Eccleſia poteſt præſcribi, & mutari, & ideo fieri poteſt, ut quidam modus contrahendi uno tempore ſit ſufficiens ad materiam, & formam matrimonij, & alio tempore non ſit legitima materia, & forma: unde non mutatur propriè, & formaliter materia, & forma, ſed ſolùm materialiter, & remotè, nempe quia ob mutationem factam talis modus contrahendi deſinit eſſe legitima materia, & forma. Sic contingit in matrimonio, in quo verba illa, *Ego accipio te in uxorem meam, vel accipio te in maritum meum*, ſi tantùm materialiter ſumantur, nunquam fuerunt legitima materia, & forma matrimonij, ut conſtat ex eo, quia ſi proferrentur à furioſis, ſeu amentibus, vel ſine interno conſenſu, non forent legitima materia, & forma; ſunt tamen forma, & materia ſumpta propriè, & formaliter, quatenus ſignificant validum, & ſufficientem conſenſum ad mutuam corporum traditionem. Quando igitur Eccleſia facit, ſicut poteſt, ut hæc verba prolata, abſente parocho, & teſtibus, non contineant ſufficientem conſenſum ad validam traditionem corpotum, non mutat propriè, & formaliter materiam, & formam Sacramenti matrimonij, ſed tantùm materialiter, & remotè, quia verba illa, quæ ante Concil. Trident. prolata ſufficiebant ad ſufficientem conſenſum, & quæ nunc ſufficiunt, ſunt eadem formaliter, id eſt, in quantum continent ſufficientem conſenſum, licèt materialiter ſint diverſa: nam ante Concilium Tridentinum clam prolata ſufficiebant, poſt illud verò non, niſi coram parocho, & teſtibus ſint prolata, *Sanch. c. l. n. 7.*

VI. Assertio 4. Ubi prædictum Decretum Concilij Tridentini promulgatum eſt, etiam qui invincibiliter illud ignorant, invalidè contrahunt matrimonium, ſine parocho, & teſtibus, quia lex irritans actum obligat etiam ignorantes, quoad nullitatem actûs, licèt non afficiat quoad alias pœnas extrinſecas, ut docet *Sanch. l. 3. de matr. diſ. 17. n. 10.* & alij apud ipſum. Nam quando inhabilitas ſtatuitur in odium contrahentium, & ad eos puniendos, tunc ea eſt pœna, & non afficit, ſeu ligat invincibiliter ignorantes, quia tales culpâ vacant: ſecus eſt, quando annullatur actus, ob defectum debitæ ſolemnitatis, quia traditur certa forma, & ſolemnitas ad faciendum actum, tunc enim talis inhabilitas, & annullatio actûs non eſt pœna, quia non infertur, ob delictum puniendum, & quamvis contrahens eſſet immunis culpæ, ignorans invinciblíter, talem actum eſſe prohibitum, adhuc actus eſſet nullus, ut conſtat, ergo non eſt pœna, quia ubi non eſt delictum, ſeu culpa, non eſt locus pœnæ, *Sanch. c. l. n. 11. & diſ. 4. n. 9. vol. libr. 3.*

VII. Præterea irritum eſt matrimonium etiam in articulo mortis, aut in quacunque alia neceſſitate contractum, abſque præſente parocho, & teſtibus, quia deeſt forma ſubſtantialis ad valorem matrimonij per legem præſcripta, quâ deficiente, actus nequit ſubſiſtere, ut patet ex decreto Concilij, ubi dicitur, *matrimonium aliter fieri non poſſe, quàm præſente parocho, & teſtibus*, & ſic præſcribitur forma ſubſtantialis, & aliter contractum redditur irritum.

situm. Item ibi contrahentes redduntur omnino inhabiles, id est, sine ulla exceptione, ac dispensatione, *Sanch. cit. disp.* 17. *n.* 4. Aliud est de lege Ecclesiastica merè præceptiva, quæ inducit tantùm solemnitatem extrinsecam, & accidentalem contractui, tunc enim non redditur invalidum matrimonium: & solum præceptum Ecclesiasticum, quod non inducit solemnitatem substantialem, non obligat tanto rigore, ut matrimonium reddat invalidum, *Sanch. cit. disp.* 17. *n.* 5.

Denique neque validum est matrimonium, si publicè celebretur, præsente majore parte vicinæ, desit tamen parochus, quia forma substantialis nec per æquipollens impleri potest, sed specificè, ac propriè implenda est. Deinde cùm matrimonium sit Sacramentum, ritè celebrari debet coram proprio Pastore, vel de ejus licentia coram alio, *Sanch. c. d. n.* 7.

VIII. Cæterùm quod dictum est matrimonium sine parocho, & testibus contractum esse invalidum, id limitandum est, nisi matrimonium semel in facie Ecclesiæ contractum fuerit, sed invalidè, ob occultum impedimentum dirimens: hoc enim postea sublato, non est necessarium, ut putarint conjuges, iterum coram parocho, & testibus contrahant, sed sufficit, ut conscij prioris nullitatis, occultè renovent mutuum consensum, sive verbis, sive affectu conjugali habendo copulam, sive alio quovis signo erga se invicem eum exprimente, ut docet *Sanch. l.* 2. *de matr. disp.* 37. *n.* 3. Probatur, quia ratio legis, sive Decreti Concilij Tridentini nunquam se extendit ad hunc casum, & perconsequens neque lex ipsa: secundùm mentem enim Concilij irritatur solùm illud matrimonium clandestinum, quod non potest probari contractum esse in facie Ecclesiæ, & ex quo apta sunt sequi gravia incommoda. At istud matrimonium, de quo agimus, non est tale, ergo ex mente Concilij non est clandestinum, nec irritum. Id verò procedit, si impedimentum occultum fuerit: nam si in facie Ecclesiæ sit publicum, seu notorium impedimentum: vel si periculum sit, ne in facie Ecclesiæ, seu foro externo aliquando innotescat, necesse est, ut tales conjuges, sublato impedimento, iterum coram Parocho, & testibus matrimonium contrahant, quia cùm tunc constet ipsis illud in foro Ecclesiæ esse nullum, non essent testes valoris, sed nullitatis matrimonij, *Sanch. c. l. n.* 10. *& 11.* Apud quem plura de hoc videri possunt.

§. II.

An etiamnum in locis, ubi decretum hoc Concilii Tridentini non est receptum, aut promulgatum, matrimonia clandestina sint valida?

IX. Assertio 1. Si matrimonia clandestina etiamnum contrahantur ab incolis in ijs locis, sive Catholicorum, sive hæreticorum, in quibus dictum Decretum non est receptum, vel nunquam promulgatum, ea valida sunt, quia ipsum Concilium *cit. sess.* 24. *c.* 1. *de reform. matr. in fine*, decernit, ut hujusmodi decretum robur non habeat in unaquaque parochia, nisi post XXX. dies à die primæ publicationis in eadem Ecclesia factæ, numerandos. Quòd si legitimè publicatum sit, lex non recepta, saltem per X. annos, non obligat: peccabunt tamen clam contrahentes, sicut etiam peccâssent, si ante Concil. Trident. clam contraxissent, quia hujusmodi matrimonia semper fuerunt illicita, *Sanch. l.* 3. *de matr. disp.* 18. *n.* 1.

X. Assertio 2. Peregrini transeuntes per locum, ubi servatur Decretum Concilij Tridentini, invalidè contrahunt matrimonium, sine parocho, ac testibus, quamvis in loco domicilij illud decretum non sit receptum, *Sanch. l.* 3. *cit. disp.* 18. *n.* 26. Ratio est, quia peregrini, saltem quoad solemnitatem contractuum, tenentur ad leges eorum locorum, per quæ transeunt, cùm ratione contractûs fortiantur forum, *c. ult. de foro compet. Sanch. cit. disp.* 18. *n.* 10. Nam ea est in unoquoque loco substantialis forma contractûs, quæ pro illo præscribitur, si ergo in aliquo contractu non servetur forma eo loco præscripta, non subsistit contractus.

XI. Assertio 3. Is, qui ex loco, ubi decretum Concilij est receptum, transfert se ad locum, in quo non est receptum, animo figendi illic domicilium, potest validè ibidem contrahere matrimonium, sine præsentia parochi, ac testium, fit enim illius loci incola, adeoq; non astringitur ampliùs legibus prioris domicilij. Imò etiam validè probabile est, valere matrimonium, si quis ad tempus tantùm se conferret ad locum, ubi decretum Tridentinum non est receptum, etiamsi ex intentione clandestinè contrahendi matrimonium, id fiat, *Sanch. l.* 3. *disp.* 18. *n.* 18. *& 28. & seq.* Ratio est, quia talis non obligatur legibus sui territorij, si in eo non versetur. Et si in alijs contractibus (nisi lex aliqua particularis obstet) potest quis proficisci ex loco domicilij ad alium locum, cum intentione ineundi contractum venditionis v. g. juxta formam ibidem requisitam: cur non possit etiam conferre se aliò, ex intentione contrahendi matrimonium, juxta formam ad ejus valorem in eo loco præscriptam, cùm nulla etiam lex obstet. Neque verò frandem committere dicendus est, qui jure suo utitur, *l. nullus* 55. *ff. de R. I.* Nam quamvis peccet in eo, quòd discedat ex intentione contrahendi clandestinè matrimonium, cùm hoc sit peccatum, etiam ubi Concilium Tridentinum non est receptum: non tamen peccat in eo, vel agit fraudulenter, quòd intendat negligere formam Concilij Tridentini in eo loco, in quo non est necessaria ad valorem matrimonij.

XII. Ex dictis infertur 1. etiam Christianos captivos apud Turcas, vel commercij causâ degentes apud infideles, posse validè in illis terris contrahere matrimonium, non servatâ formâ Concilij Tridentini, etiamsi hoc in loco domicilij sit promulgatum, & receptum, adeoque sine parocho, & testibus: non enim decretum illud obligat, nisi in loco, & parochia, in qua fuerat promulgatum, quæ conditio in talibus locis deficit, *Sanch. l.* 3. *de matr. disp.* 18. *n.* 35. ubi addit, id procedere, sive ibi contrahentes sint permanenter, sive per modum transitûs. Unde et-

Digitized by Google

iamsi duo infideles ibi baptizarentur, possent contrahere matrimoniũ absq; parocho, & testibus, quia id decretum ibi non obligat. Infertur 2. In Civitatibus, & locis Germaniæ, in quibus Catholici cum hæreticis permixti vivunt, & decretum Concilij non est promulgatum, v. g. in Saxonia, validè contrahere Catholicos matrimonium, sine parocho, & testibus. Imò etiamsi prædictum decretum sit promulgatum in aliquo loco hæretico, si tamen nullus adsit Sacerdos Catholicus, vel ignoretur, vel non sit tutus ad illum accessus, validè cum Prædicante, vel etiam sine Prædicante, matrimonium contrahi poterit, cùm in his locis, ac tali rerum statu decretum Concilij Tridentini servari non possit. Sicuti etiam in locis, ubi Concilium Trident. non est promulgatum, & hæretici cum Catholicis permixti vivunt, valida erunt matrimonia, sine vero pastore, celebrata, propter tacitam dispensationem S. Pontificis, quisciens ejusmodi matrimonia contrahi, non contradicit, nec irrita declarat: ideóque non est existimandum velle Pontificem, ut decretum Concilij Tridentini ad hujusmodi matrimonia clandestina se extendat, ne multa gravia incommoda inde oriantur, *Laym. l. 5. tr. 10. p. 2. c. 4. n. 7. Tanner. cit. disp. 8. q. 3. dub. 6. n. 122.*

Infertur 3. multò magis matrimonia infidelium degentium in Terris Christianorum, in quibus viget Decretum Concilij Tridentini, contracta, sine parocho, & testibus, valida esse, quia lex Concilij est merè Ecclesiastica, & ut talis recepta à Principibus Christianis: infideles autem, cùm sint omnino extra Ecclesiam, non subijciuntur legibus Ecclesiasticis, juxta illud Apostoli 1. *ad Corint. Quid mihi est de his, qui foris sunt, judicare. Sanch. l. 3. disp. 17. num. 8.*

§. III.

Virùm necessarium sit ad valorem matrimonii, ut assistat proprius utriúsque contrahentis parochus, & intra propriam parochiam, & qualis præsentia parochi, ac testium requiratur?

XIII. Assertio 1. Quandò sponsus, & sponsa sunt diversæ parochiæ, ad valorem matrimonij sufficit, si assistat illi proprius parochus alterutriús, sponsi scilicet, vel sponsæ, in cujus parochia nuptiæ celebrantur, ut si in parochia sponsi contrahatur matrimonium, sufficit, ut assistat parochus sponsi, & si in parochia sponsæ, parochus sponsæ, *Sanch. l. 3. de matr. disp. 19. n. 4.* Probatur, quia quamvis in alijs Sacramentis parochus unius contrahentis non sit parochus alterius contrahentis, tamen quantum ad matrimonium, parochus unius contrahentis est parochus utriúsque, quia matrimonium nonnisi inter duos potest consistere, & est unum Sacramentũ, unúsque contractus individuus, ita ut ab uno, sine altero, iniri non possit, ergo eo ipso quòd quis est parochus constitutus, admatrimonialiter conjungendum unum conjugem, est etiam constitutus ad conjungendum alterum per necessariam connexionem. Confirmatur, quia generaliter loquendo, re concessa, ea quoque concessa censentur, quæ ad illam obtinendam sunt necessaria, *l. 2. ff. de jurisdict. Omn. Jud.* ubi dicitur: *Cui jurisdictio data est, ea quoque concessa videntur, sine quibus jurisdictio explicari non potuit*, & c. præterea 5. ibi: *quia ex eo, quòd causa sibi committitur, super omnibus, quæ ad causam ipsam spectare noscuntur, plenariam recipit potestatem, de offic. & potest. Jud. deleg.* Quando ergo committitur proprio parocho, ut matrimonio conjungat suum parochianum, censetur etiam commissum, ut alienum, sive non subditum cum suo conjungat, quia hæc necessariò sunt connexa, *Sanch. c. l.* & alij Canonistæ, & Theologi communiter.

XIV. Porro prædictis addendum 1. Si parochus proprius alterutriús contrahentis assistat matrimonio, illud validum est, etiamsi in parochia alterutrius sibi non subditi celebretur. Ut si v. g. parochus Petri contrahentis matrimonium cum Anna, ei assistat in parochia Annæ, cujus non est parochus, valet matrimonium, *Sanch. cit. disp. 19. n. 11.* Ratio est, quia Concil. Trident. solùm exigit proprij parochi præsentiam, qui jurisdictionem voluntariam, qualis est assistere matrimonio, illúdque approbare, etiam extra propriam parochiam, exercere potest, quia non exigit causæ cognitionem.

XV. Addendum 2. Validum est matrimonium, cui parochus alterius, vel utriúsque contrahentis assistit, quamvis in neutrius parochia, sed in aliena parochia, vel etiam diœcesi matrimonium celebretur, ut si v. g. civis Dilinganus cum cive Lavingana contrahat matrimonium Donawverdæ, vel etiam extra Diœcesin Augustanam Ingolstadij, præsente tamen parocho Dilingano, vel Lavingano, validum est matrimonium, *Sanch. cit. disp. 19. n. 14.* Ratio est, quia Concilium Tridentinum tantùm requirit proprij parochi præsentiam, sive sponsi, sive sponsæ: & cùm hæc præsentia, sive assistentia non sit actus jurisdictionis saltem fori contentiosi, cum judiciali strepitu, & causæ cognitione, neque etiam sit solemnitas, quæ cum exteriore pompa, ac strepitu fiat, potest præstari, & adhiberi, saltem validè, respectu subditi, seu paro chiani extra parochiam, vel etiam Diœcesim: sicut etiam juxta probabiliorem sententiam, potest parochus, audire confessiones suotum parochianorum, extra parochiam, vel etiam Diœcesim, quia est actus tantùm jurisdictionis voluntariæ, non contentiosæ, ergo etiam potest illos matrimonio conjungere.

XVI. Sed jam hìc ulteriùs quæritur, an si proprius parochus assistat matrimonio, extra parochiam, absque licentia Ordinarij, vel parochi loci, peccet, & puniendus sit? Negat peccare, cessante scandalo, *Sanch. c. l. n. 18.* Quia assistere matrimonio est minus quàm, quàm actus jurisdictionis voluntariæ, qui in aliena parochia exerceri potest. Sed probabilius est, peccare, & puniri posse, si solemniter, & publicè assistat matrimonio in aliena parochia, sine licentia parochi, quia involat in alienum

Digitized by Google

enum officium publicum in re gravi. Unde nec benedicere poteſt parochus ſponſos ſuos in aliena parochia, quod minus videtur, quàm conjungere, *Sanch. c. l. n.* 17.

XVII. Assertio. 2. Parochus validè aſſiſtit matrimonio, etſi Sacerdos non ſit: non tamen poteſt alteri, quàm Sacerdoti, licentiam aſſiſtendi dare. *Sanch. l. 3. de matr. diſ. 20. n. 3. & 10.* Probatur ex verbis Concilij Tridentini *cit. c. 1.* ubi non requiritur, ut parochus ſit Sacerdos, ſicut expreſsè requiritur in alio, qui de licentia parochi aſſiſtit matrimonio. Neque etiam ex fine Conſtitutionis, ſive Decreti hujus id requiritur, cùm parochus etiam non Sacerdos poſſit omnia exercere, quæ non dependent à poteſtate Ordinis, ut colligitur ex *c. Suffraganeis, 11. & c. Tranſmiſſam. 15. de Elect.* Adeoque poteſt etiam matrimonio aſſiſtere ad fidem faciendam de eo contracto. Sed quia exigitur teſtimonium fide dignum, ideo tequiſivit Concilium in aſſiſtente matrimonio dignitatem parochialem, ut tantò magis fides ei adhiberetur, quæ dignitas cùm deficiat in non parocho, voluit eam ſuppleri per dignitatem Sacerdotalem in ſubſtituto. Nec refert, quòd Concilium dicat: *Qui aliter, quàm præſente parocho, vel alio Sacerdote, de ipſius parochi licentia &c.* Nam ſenſus eſt, quòd matrimonium contrahi debeat coram parocho, vel alio quodam poteſtatem habente ab Ordinario, vel parocho, dummodo Sacerdos ſit. Nec inde ſequitur, parochum quoque debere eſſe Sacerdotem: nam præterquam, quòd particula *Alius* non ſemper referat perſonam ejuſdem qualitatis, ut patet ex illo *Luc. c. 23. Ducebantur & alij duo nequam cum eo.* Concilium tamen ita locutum fuit, quia communiter parochi Sacerdotes eſſe ſolent. Vox autem *Sacerdos* reſpicit ſolùm ſubſtitutum, in quo requiritur qualitas Sacerdotij, ut per hoc ſuppleatur conditio, ſeu qualitas parochi, quæ in eo deeſt. Similiter in *c. Omnis. 12. de pœnit. & remiſſ.* decernitur, neminem poſſe alteri Sacerdoti confiteri, ſine licentia proprij Sacerdotis: & tamen DD. communiter aiunt, talem licentiam à quocunque parocho, vel proprio paſtore dari poſſe, etſi Sacerdos non ſit: ergo etiam parochus poterit dare alteri licentiam aſſiſtendi matrimonio, etſi ipſe Sacerdos non ſit, *Sanch. c. l. n.* 3.

Porro non poteſt parochus, ſive Sacerdos ſit, ſive non, dare licentiam Clerico non Sacerdoti, etiamſi Diaconus ſit, vel Subdiaconus, aſſiſtendi matrimonio, quia verba ſecundùm communem ſignificationem, & uſum verborum accipienda ſunt; nomine autè Sacerdotis intelligitur verus Presbyter. *Sanch. cit. diſ. 20. n. 10.* Ubi addit, quòd parochus poteſt concedere hanc licentiam ſimplici Sacerdoti etiam non approbato ab Ordinario, quia hanc approbationem requirit Concil. Trident. *ſeſs. 23. c. 15. de reform.* ſolum pro Confeſſionibus audiendis.

XVIII. Assertio 3. Parochus, etiam excommunicatus non toleratus, id eſt, nominatim denuntiatus, vel notorius percuſſor Clerici, item ſuſpenſus ab officio, & beneficio, vel irregularis, vel adminiſtratione interdictus, validè aſſiſtit matrimonio, & alteri licentiam aſſiſtendi dare poteſt, modò actualiter non ſit depoſitus, ſed titulum, & poſſeſſionem beneficij retineat; *Sanch. l. 3. de matr. diſ. 23. n. 4.* Ratio eſt, quia talis non deſinit eſſe parochus verus, quamdiu non privatur poſſeſſione beneficij: nam aſſiſtere matrimonio non eſt actus juriſdictionis, vel adminiſtrationis, cùm etiam ab invito, & repugnante validè præſtari poſſit, ſed eſt actus teſtimonij ex Juris diſpoſitione requiſitus ad valorem matrimonij, *Laym. l. 5. tr. 10. p. 2. c. 4. n. 5.* Qui tamen putat, ſicut *& Coning diſ. 27. de Sacram. dub. 2. n. 25.* quòd excommunicatus, ſi toleratus non ſit, non poſſit alteri Sacerdoti dare licentiam aſſiſtendi, nec validè, nec licitè, quia videtur eſſe actus juriſdictionis voluntariæ dare alteri licentiam, per quam alioquin inhabilis fiat idoneus ad actus valorem. Sed contrarium eſt probabilius, quod docet *Sanch. c. l. n. 7.* quia dare alteri licentiam aſſiſtendi matrimonio, vel etiam ei aſſiſtere per ſe ipſum, non eſt actus juriſdictionis, quia non pertinet ad parochum, in quantum habet juriſdictionem, ſed in quantum eſt legitimus teſtis matrimonij, habens facultatem ſubſtituendi alium, ubi *n. 8.* addit, quòd etiam licitè excommunicatus non toleratus, aſſiſtat matrimonio, vel alij det licentiam, & ſaltem mortaliter non peccet, quia nullam juriſdictionem exercet.

Illud hîc addendum, quòd validè etiam aſſiſtat matrimonio parochus habens titulum duntaxat coloratum, licèt verè parochus non ſit, ob occultum impedimentum, modò communiter, & vulgò creditur habere titulum verum: quia tunc ob communem errorem, & publicum bonum Jus ſupplet defectum ipſius, *arg. l. Barbarius 3. ff. de Offic. Prætor.* ita ut veram parochi in utroque foro juriſdictionem habeat: ſecus foret, ſi eſſet intruſus, ſeu poſitus in parochia, ſine legitima Superioris auctoritate, quia talis non habet titulum coloratum, *Sanch. cit. l. 3. diſ. 22. n. 60.*

XIX. Assertio 4. Probabile eſt, vagos, ſeu vagabundos (eos ſcilicet, qui nullibi fixam, ſeu conſtantem ſedem, aut ſtabile domicilium habent) poſſe validè, ac licitè contrahere matrimonium, coram quolibet parocho, quem elegerint: probabilius tamen videtur, eum parochum debere intereſſe matrimonijs vagorum, in cujus parochia, pro tempore, quo contrahunt, verſantur. Prius docet *Sanch. l. 3. de matr. diſ. 25. n. 11.* ubi hanc rationem dat, quia quivis parochus poteſt vagorum confeſſiones audire, & Euchariſtiam illis adminiſtrare, ergo & eorum matrimonio aſſiſtere. Poſterius docet *Coning diſ. 23. dub. 2. n. 20.* & alij, quia & probabilius eſt, quòd vagi non à quolibet parocho Sacramenta poſſint ſuſcipere, ſed ſolùm à parocho loci, in quo pro tempore verſantur, quia & illi neceſſariò habere debent proprium aliquem paſtorem, à quo Sacramenta ſuſcipiant, nec alius, quàm ille, congruè aſſignari poteſt.

Illud certum eſt, parochos non poſſe licitè vagabundos matrimonio conjungere, niſi factâ priùs diligenti inquiſitione, de eorum ſtatu, & habilitate ad contrahendum matrimonium, & obtentâ Ordinarij licentiâ, prout præcipit Concil. Trident. *ſeſſ. 24. c. 7. de reform. matr.* Cùm periculum ſit, ne priore uxore alibi relictâ, in loco, ubi modò ſunt, aliam ducant, vel etiam plures, illâ vivente. Quæ ratio etiam militat in peregrinis, ſeu alienigenis, qui alibi fixum domicilium habent, & contrahere volunt in loco,

Digitized by Google

loco, ubi ignoti sunt, cum quibus eadem observanda sunt, quæ cum vagis, *Sanch. cit. disc. 25. n. 8.* Quod certum est, saltem quoad diligentem inquisitionem de ijs faciendam, *Coning c. l.* Porro illi alienigenæ, qui ad aliquem locum accedunt, non quidem animo perpetuò ibi permanendi; per plures tamen annos, vel saltem majorem anni partem ibi habitandi, ut Studiosi in Universitatibus, milites in præsidijs, famuli, ac ancillæ operas annuas locantes heris, sortiuntur in eo loco quasi domicilium, & proprius eorum pastor est Parochus, in cujus parochia pro eo rempore habitant, adeoque etiam parochus loci eorum matrimonio assistere potest, *Sanch. l. 3. disp. 23. n. 12. & 13.*

XX. Assertio 5. Præter Parochum, etiam proprius Episcopus in sua Diœcesi, vel alius quasi Episcopali jurisdictione præditus proprium territorium habens assistere potest matrimonio, ut Abbas exemptus, Vicarius generalis Episcopi, etiam absque speciali commissione, Capitulum Cathedrale Sede vacante, quia succedit in jurisdictione Episcopi. Item Legatus Sedis Apostolicæ in Provincia suæ legationis, ac denique S. Pontifex per totum orbem terrarum, potest fidelium matrimonijs assistere, vel assistendi licentiam dare, quia hi omnes, nomine Ordinarij comprehenduntur, & sunt Parocho superiores, *Sanch. l. 3. de matr. disp. 28. n. 1. & seqq.* Archiepiscopus tamen nequit assistere matrimonijs subditorum Suffraganeorum suorum, quia non est Ordinarius ipsorum, nec habet in eos jurisdictionem, nisi cùm actu visitat, aut causa ad eum per appellationem est devoluta, *Sanch. c. l. n. 3.*

XXI. Illud hic addendum, Parochus Catholicus potest licitè assistere matrimonijs hæreticorum, qui in sua parochia degunt, ut frequenter contingit in pluribus locis Germaniæ, & docet *Laym. cit. c. 4. n. 8.* Quia id non est prohibitum ratione communicationis cum hæreticis, quia hi non sunt vitandi post Concilium Constantiense, neque in sacris, neque in politicis rebus, nisi sint nominatim denuntiati. Neque etiam propter irreverentiam, quæ infertur Sacramento, quod hæretici indignè suscipiunt, quia parochus non est minister hujus Sacramenti, sed tantùm testis.

XXII. Assertio 6. Parochus, & testes debent esse præsentes matrimonio, non tantùm physicè, sive corpore; sed etiam moraliter, sive animo, cum advertentia scilicet, & usurationis, ita ut intelligant, quid agatur, non enim censetur in Jure præsens, qui non adest more humano, intelligens, & advertens, quid agatur, *l. Coram Titio. 29. ff. de V. S.* Sufficit tamen, ut aliquo sensu advertant, quid fiat, sive visu, sive auditu, vel etiam si præsentes intelligant per interpretem mutuum consensum, cùm etiam ipsi sponsi possint per interpretem contrahere, *Sanch. libr. 3. disp. 39. n. 2. & 3.* ubi *n. 4.* ait, credendum esse in hoc casu dicto solius interpretis, quia non est testis, sed communi consensu contrahentium electus, ut declaret mutuum eorum consensum.

Ex dictis infertur, ea verba, *Ego vos in matrimonium conjungo &c.* Vel alia similia, quæ Concilium præcipit proferri in *cit. c. 1.* non esse de essentia matrimonij, quæ etsi parochus, vel facerdos non proferat, validum erit matrimonium, quia sacerdos non est minister huius Sacramenti, sed Concilium solùm requirit illius præsentiam, neque ea verba sunt materia, & forma Sacramenti, *Sanch. l. 3. disp. 38. n. 4.* Sunt tamen ea verba de necessitate præcepti, quia parochus peccat ea omittens, cùm Concilium uratur verbis præceptivis, & cùm sit res gravis, erit peccatum mortale, Salzedo in *practic. Canon. c. 77. §. Secundò illud.* quamvis *Sanch. c. l. n. 7.* putet illa omittete esse solùm culpam venialem.

XXIII. Assertio 7. Non requiritur ad valorem matrimonij, ut parochus, aliique testes ad id vocati, seu rogati sint: unde etiamsi casu intercveniant, vel omnino inviti, & repugnantes intersint, vi detenti, dummodo intelligant mutuos contrahentium consensus, validum est matrimonium. Ratio est, quia sive spòte, sive inviti intersint, possunt æqualiter intelligere ac testari de ijs, quæ geruntur, ut colligitur ex *cit. l. Coram Titio* ibi: *Scire autem, non autem velle eis debet, cum etiam eo invito vellit fit. ff. de V. S.* Ergo dicitur aliquid coram aliquo fieri, quamvis invitus adsit, & servatur finis decreti Tridentini, cùm jam Ecclesiæ constet de tali matrimonio, *Sanch. l. 3. disp. 39. n. 9.* Idémque est, si parochus, vel testes dolo ad aliud vocati, intersint matrimonio, *Sanch. c. l. n. 12.*

XXIV. Præterea necessariò requiritur, ut tres, vel duo saltem testes simul cum parocho interfint matrimonio, quia Concilium Trident. copulativè exigit præsentiam parochi, ac testium, non tamen requiruntur testes omni exceptione majores, sed sufficiunt qualescunque, modò usu rationis præditi advertant, quid agatur: unde etiam impuberes, fœminæ, parentes, consanguinei, domestici, servi, Religiosi, excommunicati, infames, imò etiam infideles assistere matrimonio, ut testes, possunt, *Sanch. l. 3. disp. 41. n. 5.* Rario est, quia decretum Concilij Tridentini quippe correctorium Juris antiqui, extendendum non est, præsertim cùm sit irritans matrimonium, cujus causa est favorabilis, *c. Ult. de sem. & rejudic.* Sicut etiam in favorem fidei ejusmodi testes admittuntur, *c. Infidei. 5. de hæret in 6.* Deinde quia testes, etsi alioquin inhabiles, validè tamen admittuntur ex communi contrahentium consensu. Imò etiam in alijs causis, & actibus judicialibus, validum est eorum testimonium, si à Judice, vel parte adversa non repellantur, ut colligitur ex *c. 1. de except. in 6.* Denique defectus aliorum testium supplet auctoritas Parochi, *Arg. c. Cùm esses. 10. de Testam.* Ubi requiritur, ut præter Presbyterum, tres, vel duo testes legitimi, ac idonei adhibeantur in testamento: ergo cùm in matrimonio contrahendo tantùm requiratur præsentia parochi, & duorum, vel trium testium, & nulla alia in illis exprimatur qualitas, signum est nullam aliam requiri, nisi quæ jure naturæ est necessaria ad ferendum testimonium, nempe ut usum rationis habeant, *Sanch. c. l. n. 5.* Præsentia verò, & auctoritas Parochi supplet defectum aliorum testium, si habeat librum, in quo conjugum, & testium nomina, diémque, & locum contracti matrimonij describat, prout præcipitur in Decreto Concilij Tridentini *cit. & c. 1. de reform. matrim. sess. 24.* Sed & tunc testes aliàs inhabiles sufficiunt ad plenam fidem faciendam,

Digitized by Google

faciendam, ſi poſtea lis oriatur in judicio, an matrimonium ſit validum, *Sanch. cit. diſ. 41. n. 6. Laym. cit. c. 4. n. 6. in fine.*

§. IV.

An, & qua ratione denuntiationes publicæ præcedere debeant, ante matrimonium?

XXV. De his agitur in c. *Cùm inhibitio. 3. & ult. h. t. in princ.* Quod eſt deſumptum ex Concilio generali lateranenſi ſub Innocentio III. ubi prohibetur matrimonium contrahi, intra quartum conſanguinitatis, & affinitatis gradum, juxta c. *Non debet. 8. de conſanguin. & affin.* Licèt olim fuerit prohibitum uſque ad ſeptimum gradum inclusivè, de quo infrà *cit. tit. 2.* Inhibentur matrimonia clandeſtina, & prohibetur etiam, ne quis Sacerdos talibus intereſſe præſumat. 3. generaliter ſtatuitur, ut cùm matrimonia fuerint contrahenda in Eccleſijs per Presbyteros, publicè proponantur Edicta, competenti termino præfinito, intra quem qui voluerit, & valuerit, legitimum impedimentum opponat: & ipſi Presbyteri etiam inveſtigent, utrùm aliquod impedimentum obſiſtat. 4. Si autem aliquid rationabile objectum fuerit contra matrimonium contrahendum, contractus interdicatur, donec quid fieri debeat, manifeſtè conſtiterit. Reliqua ad hoc cap. pertinentia infrà explicabimus.

XXVI. Notandum 1. Denuntiationes, ſeu proclamationes ſunt monitiones quædam, quæ præmittuntur matrimonio contrahendo, ut ſi quis impedimentum Canonicum novit inter ſponſos, intra terminum competentem aſſignatum, illud aperiat: quamvis etiam ipſe parochus debeat de tali impedimento inquirere, & indagare. Quòd ſi probabilis conjectura aſſeratur de impedimento, interdici debet matrimonium, donec de eo conſtiterit, quia ad impediendum matrimonium non requiritur plena probatio, ſed ſufficit veriſimilis conjectura, ſeu præſumptio, quia agitur de peccato vitando, ſi contraheretur matrimonium in caſu prohibito, quamvis per ſolam conjecturam jam contractum non diſſolveretur, *Hoſtiens. hic V. Conjectura.*

Notandum 2. Jure antiquo, non erat præſcriptum, quoties fieri debeat talis denuntiatio, ut patet ex hoc cap. Unde ſatis tunc fuit una denuntiatio, modò ea publicè in Eccleſijs per Presbyteros fieret, *Tanner. cit. diſ. 8. q. 3. dub. 6. n. 125.* Quid verò hodie circa hoc ſit ſtatutum, infrà dicetur. Reſtant nunc quæſtiones de denuntiationibus matrimonij, quas hic proponemus, & reſolvemus.

XXVII. Quæritur 1. An denuntiationes ſint de eſſentia matrimonij, vel ſaltem de præcepto? Reſp. Denuntiationes non ſunt de eſſentia matrimonij, adeoque hoc validum eſt, etiamſi nullæ denuntiationes præmittantur, vel fiant: peccant tamen lethaliter, tam parochus aſſiſtens matrimonio, quàm ipſi contrahentes, ſi eæ non ſint factæ, *Sanch. l. 3. de matrim. diſ. 5. n. 3.* Prior pars probatur, quia Concilium Trident. *cit. c. 1. de reform. matr. ſeſſ. 24.* agens de denuntiationibus utitur ſolùm verbis præceptivis, nec irritat matrimonium aliter factum, & infrà, ubi præſcribit conditiones eſſentialiter requiſitas ad matrimonium, ſolius præſentiæ parochi, ac teſtium meminit. Poſterior pars probatur, quia materia præcepti gravis eſt, ſicut & finis, cùm hæ denuntiationes præmittantur, ut reſciri poſſit, an nullum inter ſponſos impedimentum ſubſit, propter quod matrimonium non ſubſiſteret: nec refert, quamvis ſubinde conſtet nullum ſubeſſe impedimentum, quia lex non deſinit obligare, etiamſi ejus ratio in particulari hic & nunc ceſſet, *Coning dis. 27. de Sacram. dub. 5. n. 51.* Quamvis non eſſet peccatum grave, ſi aliqua denuntiatio omitteretur, quando moraliter certum eſt, nullum ſubeſſe impedimentum, *Sanch. c. l. n. 7. & Coning. c. l.*

XXVIII. Quæritur 2. Ubi quando, & quomodo fieri debeant denuntiationes? Reſp. 1. Si ſponſi ad diverſas parochias ſpectent, denuntiationes in utriuſque contrahentis parochia faciendæ ſunt, quia Concilium dicit, à proprio contrahentium Parocho faciendas eſſe, vel de licentia ipſius ab alio, neque in vicinia ſponſi poſſunt ſciri impedimenta ſponſæ, nec vice verſâ, *Sanch. diſ. 6. n. 2. & 5.* Quamvis contraria conſuetudo damnari non debeat, quâ in quibuſdam locis denuntiationes iſtæ tantùm fiunt in parochia unius ſponſi, in quo celebrandæ ſunt nuptiæ, *Laym. cit. c. 4. num. 10.* 2. Denuntiationes, ſecundùm Concilium Trident. debent fieri continuis tribus diebus feſtivis, inter quos ſcilicet non medient alia feſta, etſi intercedere poſſint, ac debeant aliquot dies profeſti, quò obtineatur finis Concilij Tridentini, qui eſt, ne ſibi immediatè ſuccedant hæ denuntiationes, ita ut tempus non ſuppetat ad deferenda impedimenta; & ne tamdiu etiam differantur, & intertrumpantur, ac à ſe invicem diſtent, ut parochiani illorum obliviſcantur, & nuptiæ nimis diu cogantur differri, *Sanch. c. l. num. 8.* 3. Debent fieri in Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia juxta Trident. nihil tamen refert, etſi extra Eccleſiam, & die non feſto, in quo tamen frequens ſit populi concurſus, hæ denuntiationes fiant, ut in prædicationibus, quia Concilium, dum præcipit eas fieri in Eccleſia, & diebus feſtivis, inter Miſſarum ſolemnia, ſolùm ſpectare videtur frequentiam populi, ut ſcilicet ad multorum notitiam nuptiæ celebrandæ perveniant, quò faciliùs impedimenta detegantur, *Sanch. c. l. n. 9.* In qua re tamen obſervari poteſt cujusq; Eccleſiæ conſuetudo, *Laym. c. l. n. 10. in fine.*

XXIX. Quæritur 3. Quis poſſit diſpenſare, ut denuntiationes matrimonij omittantur, & ob quas cauſas? Reſp. Epiſcopus, ſeu Ordinarius, ex juſta cauſa, diſpenſare, & remittere poteſt denuntiationes, ut expreſſè habetur in *cit. c. 1. ſeſſ. 24. de reform. matr.* Etſi Jure antiquo Epiſcopus in denuntiationibus diſpenſare non poterat, quia erant præceptæ in Concilio Generali Lateranenſi, in cujus lege Epiſcopus regulariter diſpenſare non poteſt, *Sanch. l. 3. diſ. 7. n. 1.* Nomine autem Ordinarij hic venit etiam Vicarius generalis Epiſcopi, ita ut poſſit diſpenſare in denuntiationibus, etiam absque ſpeciali delegatione Epiſcopi, *cit. c. 1. Sanch. c. l. n. 10.* Quamvis autem Concilium unam ſolam cauſam diſpenſandi recenſeat, nempe quando probabilis eſt ſuſpicio,

matrimonium malitiosè impediri posse, si tot præcesserint denuntiationes, tunc vel una tantùm denuntiatio fiat, vel saltem Parocho, & duobus, vel tribus testibus præsentibus, matrimonium celebretur: poterit tamen Ordinarius dispensare ex quavis alia causa, quæ juxta prudentum arbitrium, justa videbitur, cùm Concilium rem totam illius prudentiæ, ac judicio reliquerit. Tales autem causæ sunt sequentes. Veluti 1. Si denuntiationes fieri nequeant, quia contrahentes pudore suffunderentur, denuntiationibus factis, ob nimiam disparitatem, ut si valde senex ducat iuvenculam, vel prænobilis ignobilem, aut valde dives pauperem, vel è contra. 2. Si Magnates contrahant, quorum conjugia ignota esse non solent. 3. Si ex publicatione matrimonij probabiliter timeatur scandalum publicum infamiæ, damnum corporis, vel animi, ut si viventes in concubinatu habeantur publicè conjuges, vel in articulo mortis constitutus ad legitimandam prolem velit ducere concubinam. 4. Quando matrimonium semel solemniter contractum postea reperitur nullum ob occultum impedimentum, ut omnes docent. 5. Quando instat tempus Adventûs, vel Quadragesimæ, quo prohibetur nuptiæ benedici, & simul periculum esset dissolutionis sponsaliû aut fornicationis, si nuptiæ diutiùs differrentur, *Sanch. l. 3. disp. 9. n. 3. & pluribus seqq. Tanner. cit. disp. 8. q. 3. dub. 6. n. 129. & alij.* In his, & similibus casibus, si Ordinarius Diœcesanus rogatus injustè neget dispensationem, vel procul absit, & periculum sit in mora, poterunt nuptiæ celebrari, omissis denuntiationibus, *Sanch. cit. l. 3. disp. 10. n. 27. & 29.* Potro quamvis Parocho non competat potestas dispensandi in denuntiationibus, nisi ex concessione Episcopi, ut ex communi docet *Sanch. cit. disp. 7. n. 17.* Poterit tamen in casu necessitatis per epiichiam interpretari, ac declarare, legem illam hîc, & nunc non obligare, ut si in articulo mortis, concubinarius velit contrahere matrimonium cum concubina, *Tanner. cit. dub. 6. n. 132.*

XXX. Prædictis addendum 1. Si ob causam, vel per dispensationem Episcopi denuntiationes sint prætermissæ ante nuptias, non tamen omnino remissæ, tunc post nuptias, ante consummationem matrimonij, faciendæ sunt, ut si fortè impedimentum diriminens subsit, illud faciliùs detegatur: nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ denuntiationes omnino remittantur, ut habetur in Concilio Trident. *cit. c. 1.* alioquin conjuges saltem primâ vice consummantes, peccabunt lethaliter, ut docet ex veriore sententia *Sanch. cit. l. 3. disp. 11. n. 3.* Ratio est, quia hi contrahentes tenebantur præmittere denuntiationes, ante contractum matrimonium, sed si tunc omissæ sunt, præmittere, ante illius consummationem, ne fortè copula subsequens sit fornicaria: ergo sicut non præmittere denuntiationes, ante matrimonium, absque justa dispensatione, est peccatum lethale, etiamsi contrahentes adhibeant diligentiam, an adsit impedimentum aliquod diriminens: ita etiam erit mortale non præmittere denuntiationes, ante consummationem matrimonij, eâdem adhibitâ diligentiâ, cùm idem præcepum violetur. Idque procedit, non solùm si primâ vice consummatur matrimonium, ante denuntiationes; sed etiam si postea sæpius, quia eadem est ratio, imminet enim idem fornicationis periculum, cùm nondum adhibita sit diligentia ab Ecclesia præscripta, ut impedimenta, quæ fortè latent, detegantur, *Sanch. cit. disp. 11. n. 5.*

XXXI. Addendum 2. Post factas denuntiationes, is, qui scit impedimentum etiam occultum, teneturillud deferre, & revelare, nisi vel nihil se profuturum, vel bonâ fide contrahentibus obfuturum, aut scandalum secuturum existimet; parochus autem informatus de impedimento, debet quidem matrimonium interdicere, non tamen de impedimento potest cognoscere, sed ejus cognitio pertinet ad Ordinarium, *juxta c. Ult. h. t. & Concil. Trident. cit. c. 1. Tanner cit. dub. 6. n. 133.* Debent autem priùs Conjuges secretò moneri, præsertim si impedimentum eorum habeat ex peccato occulto, ut propter tale impedimentum desistant à matrimonio contrahendo: & si non acquiescant, parocho, & per hunc, si opus sit, Ordinario impedimentum denuntiandum est, qui de eo cognoscet, *Sanch. cit. l. 3. disp. 13. n. 2. & 3. Tanner. cit. disp. 8. q. 3. dub. 6. n. 133.* Apud quos plura de denuntiationibus videri possunt. De his & matrimonijs clandestinis fusè agit *Barb. de Offic. Episcop. alleg. 32.* An verò etiam necessariò præmittenda sit benedictio Conjugum, ante matrimonium, dicetur infrà *Tit. ult. hoc. libro.*

§. VI.

De probatione matrimonii clandestini, & eius publicatione.

XXXII. De priore agitur in *c. Si quis 1. h. t.* quod est desumptum ex Concilio Arelatensi, ubi dicitur, quòd alleganti matrimonium clandestinum incumbat onus probandi. Verba autem textûs hæc sunt: si quis clam desponsaverit aliquam, & mulier, vel vir neget hujusmodi desponsationem, vito incumbit probatio. Ratio est, quia facta non præsumuntur regulariter, nisi probentur, *c. Quoniam, 11. in fine de probation.* ideo, dicenti, seu asserenti incumbit probatio, *l. 2. ff. eod.* Videtur autem in hoc c. dici, quòd, sive vir neget desponsationem, sive mulier, semper vito incumbat probatio, quia vir est Caput mulieris, *Gl. hic V. Vito.* Sed hoc non est verum, *juxta cit. l. 2 ff. probat.* Verus itaque sensus est hujus cap. si mulier negat desponsationem esse factam, vir verò affirmat, tunc vito incumbit probatio: si verò vir negat, & mulier è converso affirmat, hoc casu, mulieri probatio incumbit, quod quidem non est expressum in textu, sed subintelligendum, quia idem judicium est quoad hoc de muliere, quod de viro, *Gl. hic V. Vito incumbit, in fine*, ubi addit, & hoc verum est, & sic servatur, *Abb. ibid.* in casu, & alij DD. communiter.

Verùm hodie inutilis est hæc controversia, quia cùm ex decreto Concilij Trident. *in cit. c. 1. de reform. matr.* matrimonia clandestina sint irrita, si quis dicit matrimonium clandestinum esse contractum, non debet compelli ad id probandum, quod probatum non relevat, *l. Ad probationem 21. C. de probat.* quia ideo in hoc c. admittitur probatio matrimonij clandestini, quia hoc olim erat validum, cùm autem

nunc

nunc invalidum ſit, inanis, & fruſtratoria eſſet talis probatio, *Fagnan. in cit. c. 1. n. 6. h. t.*

XXXIII. De poſteriore, ſcilicet de publicatione matrimonii clandeſtini, agitur in *c. Quod nobis. 2. h. t.* ubi Papa Alexander III. reſcribit: Si matrimonia ita occultè contrahantur, ut legitima probatio non appareat, ſive haberi nequeat, contrahentes ab Eccleſia non ſunt compellendi, ut ſimul maneant: Si tamen contrahentes ea velint publicare, recipienda ſunt, & comprobanda ab Eccleſia, tanquam à principio in conſpectu Eccleſiæ eſſent contracta: niſi rationabilis cauſa (puta juſtum impedimentum conſanguinitatis, vel affinitatis, vel aliud ſimile, *Gl. hic V. Rationabilis*) obſtat. Ratio prioris partis eſt, quia Eccleſia, ſive Eccleſiaſticus Judex non judicat de occultis, quæ probari non poſſunt, *c. Erubeſcant. 11. diſt. 32. Gl. hic V. Compellendi.* quin potiùs clam contrahentes ab invicem ſunt ſeparandi per Eccleſiam, eò quòd Canones præſumant, nullum inter eos eſſe contractum legitimum matrimonium, ſed potiùs adulterium, ſtuprum, vel fornicatio, juxta *c. 1. cauſ. 30. q. 5.* Ratio poſteriotis partis, quòd videlicet matrimonium clam contractum, ſi à contrahentibus poſtea publicetur, recipiatur, & approbetur ab Eccleſia, eſt, quia tunc conſtat Eccleſiæ inter eos matrimonium contractum, ideóque recipit, & approbat Eccleſia tale matrimonium, tanquam legitimè probatum per confeſſionem partium contrahentium, *Caniſ. in cit. c. 2. n. 2. h. t.*

XXXIV. Pro majore declaratione hujus c. notandum 1. Matrimonium duobus modis poteſt dici clandeſtinum, ut notat *Alexand. de Nevo hic n. 2.* Primò, quando ita eſt occultum, ut nullo modo probari poſſit. Secundò, quando eſt quidem occultum, ita tamen ut probari poſſit per teſtes; & hoc modo dicitur clandeſtinum, id eſt, non publicum, licèt probari poſſit per teſtes, quia tot fuerunt præſentes, quot ſufficiunt ad probationem.

Notandum 2. Clam contrahentes matrimonium non ſunt cogendi, ut ſimul cohabitent, & ſe tanquam conjuges tractent, ſi alter, vel uterque matrimonium neget, & alia probatio haberi non poſſit, *Gl. hic V. Compellendi.*

Notandum 3. Si contrahentes velint publicare matrimonium clam contractum, ſtandum eſt ſimpliciter aſſertioni utriuſque conjugis ſuper matrimonio clam contracto, perinde ac ſi in facie Eccleſiæ contractum fuiſſet, adeò ut proles ante publicationem ſuſcepta, pro legitima habenda ſit, *Abb. hic not. 2. & Alex. de Nevo n. 4. juxta c. Quod nobis. 9. infrà. Qui filij ſint legitimi*, de quo ibid. Excipi debet, niſi agatur de præjudicio alterius matrimonii publicè contracti, quia tunc non eſt credendum ſimplici aſſertioni contrahentium, niſi matrimonium clandeſtinum aliunde probetur, *Fagn. in cit. c. 2. n. 5. 6. & 7. h. t.*

Notandum 4. Publicatio matrimonii clandeſtini hunc effectum trihit matrimonio, ac ſi ab initio in facie Eccleſiæ contractum fuiſſet, ut patet ex fine hujus cap. *Alex. de Nevo hic n. 7.* Quamvis autem ſpectato Jure antiquo, matrimonia clandeſtina ſint valida, non tantùm quoad DEVM, ſed etiam quoad Eccleſiam, ſi de illis conſtet per confeſſionem utriúsque Conjugis, vel per alias legitimas probationes: hoc autem non procedit poſt Concil. Trident. ſecundùm quod eſt invalidum, ut ex dictis patet, *Fagn. hìc n. 21. & 22.*

XXXV. Notandum 5. Illi, qui priùs matrimonium clam contraxerunt, & poſtea cum alio, vel alia palam, ſive publicè ineunt, non ſunt cogendi ad priùs matrimonium, ſed poſterius obſervandum, non quòd per poſterius matrimonium, quod reipsà nullum eſt, prius fuerit diſſolutum, quippe quod eſt validum: ſed quia de priore matrimonio quippe clam inito non conſtat Eccleſiæ, propter defectum probationis, poſterius verò eſt legitimè probatum, & ideo, de qua re cognovit Judex, de ea quoque pronunciare debet, *l. De qua re. 74. ff. de Iudic.* Unde etſi Judex per ſententiam excommunicationis velit talem cogere ad obſervandum poſterius matrimonium invalidum, non debet ei contra conſcientiam ſuam parere, ſed potiùs humiliter excommunicationem ſuſtinere, juxta *c. Inquiſitioni 44. de ſent. excomm.* & licèt talis excommunicatus ſit in foro externo, non tamen in foro interno, & coram DEO, *Caniſ. in cit. c. 2. n. 2. h. t.*

§. VII.

De pœnis matrimonii clandeſtini, & clam contrahentium, vel et aſſiſtentium.

XXXVI. Quæritur 1. Quæ ſint pœnæ ipſius matrimonii clandeſtini? Reſp. duæ præcipuæ. Prima eſt, quamvis aliàs filii ex matrimonio invalidò geniti, quando uterque patens, vel ſaltem alter bonâ fide contraxit, ignorans impedimentum, ſint legitimi, *c. Extenore. 14. Qui filii ſint legitimi*; attamen ſi matrimonium illud nullum fuit clandeſtinum, quia omiſſis denunciationibus inítum fuit, tum filii ex eo geniti erunt illegitimi, non obſtante bonâ fide parentum, ignorantium impedimentum, prout ſtatuitur in *c. Cùm inhibitio. 3. & ult. §. Siquis verò, h. t.* ubi dicitur: Siquis hujusmodi clandeſtina (ſcilicet non præmiſſa denunciatione, publicè factâ, *Gl. hic*) vel aliter interdicta conjugia inire præſumpſerit, in gradu prohibito, etiam ignoranter, proles ſic ſuſcepta protſus illegitima cenſeatur, nihil ei ſuffragante patentum ignorantiâ, cùm illi taliter contrahendo, non expertes ſcientiæ, vel ſaltem affectatores ignorantiæ videantur. Idemque eſt, ſi ambo parentes conſcij impedimenti legitimi, in facie Eccleſiæ contra interdictum contrahete præſumant; erit enim ſimiliter proles illegitima. Cujus ratio aſſignatur in textu; ideo enim geniti ex matrimonio putativo ſunt legitimi, quia ſaltem alter patens fuit in probabili ignorantia impedimenti, ut tradunt communiter DD. *in cit. c. Ex tenore.* quæ ratio ceſſat, quando clam contrahitur matrimonium, omiſſis denunciationibus, non enim eſt probabilis ignorantia, ſi omittantur ea, quæ requiruntur ad inquirendam veritatem, *Sanch. l. 3. de matr. diſ. 42. n. 1.* Item ignorantia non excuſat eum, qui non adhibuit debitam diligentiam, inquirendo id, quod inquirere tenebatur, talis enim ignorantia

rantia eſt inditectè voluntatis, ut colligitur ex *cit. §. Siquis verò*, ibi: *Cùm illi taliter contrahendo, affectatores ignorantiæ videantur, h. t.* quaſi dicat, ignorantiam fuiſſe affectatam, & inditectè voluntariam, quia debita diligentia ad inquirendum impedimentum non eſt adhibita, *Sanch. cit. loc.*

Similiter ſi ambo parentes ſciant impedimentum matrimonii, licèt contrahant in facie Eccleſiæ, filii ex iis geniti ſunt illegitimi, *Gl. hic V. Si ambo.* quia cùm iſti ſciant, ſe non poſſe legitimè contrahere, & tamen contrahant, ſunt in mala fide, quia cenſentur publicè contrahere ad decipiendam Eccleſiam, ideo in odium ipſorum talis proles cenſetur illegitima, ſicut ſi publicè contractum matrimonium non eſſet, *Vivian. in Ration. Jur. Pontif. hic.*

XXXVII. Ubi præterea notandum, prædicta pœna matrimonii clandeſtini, ut proles ſit illegitima, habet locum, non tantùm, ſi matrimonium nullum ſit, ob impedimentum conſanguinitatis, vel affinitatis, ſed etiam ſi ob aliud quodcunque impedimentum tale matrimonium ſit irritum, quia in *cit. §. Siquis verò*, mentio fit de impedimento gradûs prohibiti, ſolùm exempli causâ: ratio verò ibi expreſſa, quòd parentes affectatores ignorantiæ videantur, cùm debitam diligentiam non adhibuerint ad inquirendum impedimentum, militat in quovis alio impedimento, *Sanch. cit. diſ. 42. n. 4.* quod tamen limitandum eſt, ut locum habeat etiam in aliis impedimentis, ſaltem iis, quæ per denunciationes, ſuapte naturâ, detegi, ſeu cognoſci poſſunt; ſecus eſſe videtur de aliis, ut ſi v. g. matrimonium clandeſtinum initum ſit, propter occultum defectum conſenſûs interni alterius contrahentis: tunc enim proles ſuſcepta ex matrimonio clandeſtino putativo erit legitima, ſi alteruter conjux in bona fide fuit, quia tunc ceſſat omnino ratio *cit. §. Siquis verò*, cùm hi contrahentes non poſſint dici affectâſſe ignorantiam impedimenti, quia omni diligentiâ adhibitâ, id ſcire non poterant, ut probabiliter docet *Sanch. cit. diſ. 42. n. 5.* Sed contrarium tenet *Coninq diſ. 27. dub. 9. n. 77.* quia *c. 2. & c. pen. Qui filii ſint legit.* privilegium legitimationis expreſsè concedit illis ſolis, qui in facie Eccleſiæ matrimonium contraxerunt, non item illis, qui clandeſtinè.

XXXVIII. Similiter non conſentiunt DD. utrùm matrimonium, quod coram Parocho, & teſtibus, non præmiſſis denunciationibus, initum fuit, cenſeri debeat clandeſtinè, & non in facie Eccleſiæ celebratum? *Sanch. l. 3. diſ. 1. n. 7.* aſſerit eſſe clandeſtinum, quoad pœnas incurrendas, ut colligitur ex *cit. c. ult. §. Siquis verò, h. t.* ubi illud matrimonium appellatur clandeſtinum, cui denunciationes non ſunt præmiſſæ: à Jure autem veteri non eſt recedendum, niſi expreſsè per novum corrigatur. Sed neque hoc certum eſt, quòd ſi matrimonium, temerè omiſſis denunciationibus, initum, poſtea publicetur, & ab Eccleſia approbetur, proles ex eo nata ſit legitima, ut docet *Sanch. l. 3. diſ. 43. n. 4. Arg. c. Quod nobis. 9. Qui filii ſint legitimi, & c. 2. h. t.* Verùm in his Canonibus non agitur de matrimonio invalidè contracto, ob impedimentum dirimens. At verò in *c. ult. §. Siquis verò, h. t.* generaliter decidit ur, & abſque ulla exceptione, tales filios illegitimos eſſe, cùm tamen illud cap. ſit poſteriùs conditum, *Coning cit. diſ. 27. dub. 9. n. 79. Laym. l. 5. tract. 10. p. 2. c. 4. n. 16.* Sed de hoc plura infrà *Tit. 17.* ubi ex inſtituto de hoc agitur.

XXXIX. Altera pœna matrimonii clandeſtini eſt, ſiquis intra gradus prohibitos ſcienter matrimonium contrahere præſumpſerit, ſeparetur, & ſpe diſpenſationis conſequendæ careat, prout decrevit Concil. Trident. *Seſſ. 24. c. 5 de reform. matr.* ubi etiam ratio redditur: *non enim dignus eſt, ut Eccleſiæ benignitatem experiatur facilè, cujus ſalubria præcepta temerè contempſit.* Id verò intelligendum eſt, non ſolùm quando conſanguinei, vel affines ſcienter contrahunt matrimonium in gradu prohibito, ſed etiam extendi debet ad quælibet alia impedimenta dirimentia, ſaltem ea, quæ per promulgationem matrimonii detegi poſſunt, quia quamvis hæc ſit pœna, eſt tamen ſtatutum in maximum animarum favorem, nempe ad vitanda matrimonia clandeſtina irrita, quæ paſſim ſpe diſpenſationis impetrandæ contrahebantur, ideóque non reſtringenda, ſed extendenda eſt, & quia eadem ratio ſuprà allata militat in omni impedimento dirimente, *Sanch. l. 3. diſ. 42. n. 7.*

XL. Quæritur 1. Quæ ſint pœnæ contrahentium matrimonium clandeſtinum, & teſtium ei aſſiſtentium? Reſp. Prima eſt, clandeſtinè contrahentes, ſine Parocho, & teſtibus, redduntur in habiles, non abſolutè ad matrimonium ineundum, ſed ad ſic contrahendum, id eſt, clandeſtinè, *Concil. Trident. § 1. de reform. matr. Seſſ. 24. Sanch. l. 3. diſ. 46. n. 2.* Secunda pœna eſt arbitraria, ſunt enim graviter puniendi, arbitrio Epiſcopi, ſicut præcipit Concil. Trident. *cit. c. 1, Sanch. c. l. n. 6.* Hæc autem pœna arbitraria non eſt imponenda contrahentibus, omiſſis denunciationibus, ſed tantùm quando contrahitur matrimonium, ſine Parocho, & abſque debito teſtium numero, *Sanch. c. l. n. 8.* Teſtes verò aſſiſtentes matrimonio ab Eccleſia interdicto, ei auctoritatem præſtando, cùm peccent, condignâ pœnâ puniendi ſunt, eaque arbitratiâ, pro culpæ qualitate, *Sanch. c. l. n. 8.*

XLI. Quæritur 3. Quæ ſint pœnæ Parochi, vel alterius Sacerdotis aſſiſtentis matrimonio clandeſtino? De his agitur in *c. Cùm inhibitio. 3. & ult. §. fin. h. t.* ubi ita ſtatuitur: Si Parochus tales conjunctiones (ſeu matrimonia clandeſtina) prohibere noluerit, vel quicunq; alius Sacerdos, etiam regularis, illis interdeſſe præſumpſerit, per triennium ab officio ſuſpendatur: graviùs puniendus, ſi culpæ qualitas poſtulaverit. Iis verò, qui taliter præſumpſerint copulari, etiam in gradu conceſſo, condigna pœnitentia injungatur. Siquis autem ad impediendum legitimum matrimonium impedimentum malitiosè objecerit, Canonicam ultionem non effugiet.

XLII. Pro declaratione hujus §. notandum 1. hæc ſuſpenſio triennalis ab officio non eſt ipſo jure lata, ſed ferenda per Judicem, ut conſtat ex textu ibi: *ſuſpendatur*, quod actum, ſeu miniſterium Judicis in futurum exigit, *Salzedo in pract. Canon. §. Suſpenditur. lit. B. Sanch. l. 3. diſ. 48. n. 1.*

Notandum 2. Præterea Concil. Trident. *c. 1. §. Nuper. Seſſ. 24. de reform. matr.* ſtatuit, ut Parochus, vel alius Sacerdos, qui cum minore teſtium numero,

Digitized by Google

numero, quàm ibi ſtatuto; & teſtes, qui ſine Paroco, vel alio Sacerdote, de Ordinarii, ſeu Parochi licentia, his clandeſtinis matrimoniis interfuerint, nec non ipſi contrahentes, graviter pro arbitrio Ordinarii puniantur. Unde hic jam quæritur, an per hoc Decretum Concilii Tridentini ſublata ſit, & revocata ſuſpenſio illa triennalis? Negant plures apud *Sanch. cit. diſp.* 48. *n.* 3. quia Tridentinum non derogat Juri antiquo, imò ait, ſe inhærere veſtigiis Concilii Lateranenſis in *cit. c. ult. h. t. & in §. fin. ibid.* ultra ſuſpenſionem triennalem decernit Parochum graviùs puniendum, ſi culpæ qualitas poſtulaverit. Sed contrarium tener *Sanch. ibid. n.* 4. ubi ait, ceſſare hodie ſuſpenſionem triennalem per pœnam arbitrariam impoſitam à Tridentino, quia quando minor pœna imponitur novâ lege, ob idem delictum, pro quo gravior imponebatur lege antiquâ, tunc ceſſat pœna legis antiquæ; quod tamen nondum eſt ſufficienter probatum. Limitat tamen id *Sanch. c. l. n.* 5. ubi ait, ſi proprius Parochus, vel alius Sacerdos regularis, aut ſæcularis, de ejus licentia, matrimonio valido, clandeſtino tamen, ob denunciationes omiſſas, interſit, tunc habere adhuc locum pœnam ſuſpenſionis triennalis, quia Trident. Concilium de hoc nullam decrevit pœnam. Idémque ſtatutum eſt in *cit.* §. *fin.* de Paroco, qui ſciens hujusmodi matrimonium clandeſtinum impedire neglexerit. Aliud eſt, ſi alienus Parochus, vel quicunque alius Sacerdos, regularis, aut ſæcularis, ſine proprii Parochi licentia, interſit tali matrimonio, cùm enim tale matrimonium nunc ſit invalidum, ideo pœnæ olim impoſitæ tali matrimonio, quod erat tunc validum, non incurruntur, *Sanch. cit. diſ.* 48. *n.* 6.

XLIII. Notandum 3. Suſpenſus ab officio, hoc eſt, ab exercitio, & officio Ordinis Clericalis, quia interfuit matrimonio clandeſtino, non eſt ſuſpenſus à beneficio, hoc eſt, à perceptione fructuum beneficii, quia in *cit.* §. *fin.* ſolùm exprimitur, ſuſpendum eſſe ab officio, hæ autem ſuſpenſiones ſunt diſtinctæ, *Sanch. l.* 3. *diſ.* 52. *n.* 14. ubi tamen addit, poſſe Judicem talem ſuſpendere etiam à beneficio, ſi culpæ gravitas id exigeret, ut haberur etiam in *cit.* §. *fin.*

Notandum 4. Contrahentibus matrimonium, etſi in gradu aliàs permiſſo, ac licito, omiſſis tamen denunciationibus, prout præcipitur in *cit. c. ult. h. t.* imponenda eſt pœnitentia, *cit.* §. *fin. verſic. Sed hîc.* Ratio eſt, quia quamvis hoc caſu nullum adſit impedimentum, ob quod tales conjungi prohibeantur; contrahunt tamen contra interdictum Eccleſiæ, & ideo puniendi ſunt, quia Eccleſiæ præceptum contempſerunt contrahendo, omiſſis denunciationibus, *Gl. hic V. Pœnitentia.*

Notandum 5. Siquis impedimentum per calumniam, ſeu malitiam denuncier, ſive objiciat, ad impediendum legitimum matrimonium, is Canonicè puniri debet, pro arbitrio Judicis, cùm talis pœna Jure non ſit expreſſa. Ipſe tamen calumnioſè denuncians ab officio, & beneficio eſt ſuſpendendus, donec ſe purgavetit, *c.* 2. *de calumniator. Gl. fin. hîc.*

XLIV. Poſtremò illud hoc loco addendum, Epiſcopum non poſſe Parochum ſuſpenſum per triennium, quia interfuit matrimonio clandeſtino, abſolvere, tum quia licèt juxta communem opinionem, ſuſpenſus à Jure, cùm hoc ſibi non reſervat abſolutionem, poſſit ab Epiſcopo abſolvi: id tamen procedit ſolùm, quando quis à Jure ſuſpenditur tantùm indefinitè, nullo deſignato certo termino; uti hîc contigit, ubi ſuſpenſio ſit per triennium, tunc enim cùm Jure definitum ſit tempus, Epiſcopus quippe inferior non poteſt talem ſuſpenſionem relaxare. Tum quia Conſtitutio *cit. c. ult.* §. *fin. h. t.* eſt deſumpta ex Concilio Generali Lateranenſi, in quo Epiſcopus, quippe inferior, diſpenſare non poteſt, *Sanch. l.* 3. *diſ.* 52. *n.* 2.

TITVLVS IV.

DE SPONSA DUORUM.

Quia interdum ſponſalia, ſive de præſenti, ſive de futuro, unus vir ſucceſſivè cum duabus mulieribus contrahit, vel è contra, una mulier cum duobus viris, ideóque dubitatur, quænam præferri, vel prævalere debeant, de hoc agitur in hoc Titulo.

§. I.

Si aliqui bina ſponſalia cum diverſis contraxerunt, quænam ſint ſervanda?

I.

RESp. Is, qui ſucceſſivè contraxit ſponſalia per verba de præſenti, ſive matrimonium cum duabus, debet adhærere primæ; ſi verò priùs contraxit ſponſalia de futuro cum una, & poſtea per verba de præſenti cum altera, debet adhærere ſecundæ, prout ſumitur ex *c. Duobus.* 1. *h. t.* ubi dicitur: Si quis dedit alicui mulieri fidem pactionis, non debet aliam ducere; ſi tamen aliam duxit, debet pœnitentiam agere de fide non ſervata, manete tamen cum illa, quam duxit (quia matrimonium tenet) non enim reſcindi debet tantum Sacramentum. Si autem fecerit fidem conſenſûs, non licet ei aliam ducere, quòd ſi duxerit, dimittat illam, & adhærebit priori. Eſt autem fides pactionis, quando aliquis dat mulieri fidem, ſeu promittit, quòd eam ducet uxorem, ſi permiſerit ipſum rem ſecum habere, vel etiam pro conſenſu. Fides autem conſenſûs eſt, quando etſi non ſtringit manum (mulieris, ipſam ſubarrhando, *Hoſtienſ. hîc*)

» corde tamen, & ore consentit ducere, & mutuo se » concedunt, ac suscipiunt. Idem habetur in *c. ult. caus.* 27. *q.* 2.

II. Notandum 1. Si bina sponsalia per verba de præsenti inita sint cum duabus mulieribus, vel duobus viris, certum est priora esse valida, posteriora verò invalida, ut constat ex hoc *c.* & *c. pen. supra de sponsal.* & ibi dictum, quia vir non potest cum alia contrahere, & si de facto contraxit, separari debet ab altera, ne in adulterio persistat, & redire ad primam, quæ vera uxor est. Si verò quis priùs contraxit sponsalia per verba de futuro cum una, & postea per verba de præsenti cum alia, posteriora tenent, quia cùm matrimonium sit fortius vinculum, per illud subsequens, si validè sit contractum, dissolvuntur priora (sponsalia de futuro, *c. Sicut.* 22. *de sponsal.* Debet tamen ei, qui secundò contraxit matrimonium, pœnitentia injungi, ob fidem violatam cum priore, cum qua sponsalia de futuro priùs inijt, *c.* 1. *h. t. & cit. c. Sicut.*

Notandum 2. Quæ sit differentia inter fidem pactionis, & fidem consensûs: nam fides pactionis significat sponsalia de futuro, sive promissionem de matrimonio contrahendo: fides consensûs significat sponsalia de præsenti, hoc est, quando mutuus consensus matrimonialis utrinque intercedit, *Gl. hic V. Si permiserit. in fine. Alex. de Nævo hic n.* 3. ubi ait, ad hoc quotidie allegari istum textum. Et quidem, si quis post fidem pactionis datam, postea interponat fidem consensûs cum altera, matrimonium cum ea ineundo, non priori, sed posteriori adhærere debet, ut per se patet.

Notandum 3. In sponsalibus de futuro, si quis promittat, aliquam accipere in uxorem, hac conditione, si petmiserit se rem, hoc est, carnalem copulam, secum habere: talis conditio, si intelligatur de fornicario coitu, seu copulâ, est turpis, & ideo debet haberi pro non adjecta, ut docet *Gl. hic V. Si permiserit.* In dubio verò debet intelligi de coitu, seu copulâ licitâ, & legitimâ, & sic censetur tacitè inesse, & subintelligi, quia in dubio non præsumitur delictum, *Arg. c. ult. de præsumpt. Alex. de Nævo hic n.* 9. *&* 10.

Notandum 4. Quod in fine hujus cap. dicitur de consensu præstando corde, & ore, id non debet ita intelligi, quasi præter consensum, qui ad substantiam matrimonii requititur *c. ult. h. t.* necessariò etiam debeant intervenire verba; nam sine verbis, sive ex parte viri, sive mulieris intervenientibus, etiam aliis signis, potest contrahi matrimonium, ut dictum Tit. 1. Unde si vir dicat mulieri, *volo te habere in meam uxorem*, & in signum consensûs osculeris me; & mulier ipsum osculetur, contractum est inter eos matrimonium, *Alex. de Nævo hic n.* 8.

§. II.

An sponsalia de præsenti dissolvantur per sequens matrimonium consummatum?

III. Resp. Sponsalia de præsenti, sive matrimonium priùs contractum, sed non consummatum non dissolvitur per subsequens matrimonium, etiamsi per carnalem copulam, sit consummatum, prout statuitur in *c. Licèt.* 3. *h. t.* ubi Papa Alexander III. rescribit: Si inter virum, & mulierem legitimus consensus interveniat de præsenti, & unus alterum mutuo consensu verbis consuetis expresso recipiat, utroque dicente: *Ego te accipio in meam, & ego te accipio in meum*, sive juramentum sit interpolitum, sive non, non licebit mulieri alteri nubere (adeoque neque viro aliam ducere, quia quoad hoc uterque conjux pari jure censetur.) Et si nupserit, etiamsi carnalis copula secuta fuerit, separari debet, & ut ad primum redeat, per Ecclesiasticam censuram compelli: quamvis aliter à quibusdam Antecessoribus nostris sit aliquando judicatum. Ratio autem, cur matrimonium primum ratum prævaleat, & præferendum sit secundo, etiam per carnalem copulam consummato, est, quia cùm vi primi matrimonii, dominium corporis ad potentiam copulæ, sive quoad carnalem copulam petendam sit translatum in uxorem, non potest vir, qui jam non est dominus sui corporis, illud transferre in aliam uxorem in ordine ad eandem copulam, *Fagn. in c. Si inter. 31. n. 7. de sponsalibus*, ubi addit, & sic non obstat regula tradita in *l. Quoties. 15. C. de rei vindic.* ubi ille præfertur, quoad dominium, cui res priùs est tradita, licèt alteri priùs sit vendita, vel alio titulo acquisita: nam hîc traditio priùs facta est per primum matrimonium.

IV. Sed hîc jam quæritur, quomodo intelligendum sit, quod in fine hujus cap. dicitur, *licèt aliquando aliter à prædecessoribus nostris fuerit judicatum*, nempe posterius matrimonium carnali copulâ consummatum esse præferendum priori matrimonio non consummato, cujus contrarium decidit hîc Alexander III. Verùm Romani illi Pontifices non ita judicârunt, genetalem Canonem, seu legem de hac re condendo, ac proinde nihil definiverunt, sed tantùm in particulari facto opinionem suam protulerunt, quæ vim legis universalis non obtinebat, ut notat *Covarr. in libr. 4. Decret. p. 2. c. 7. §. 3. num.* 5. *Sanch. l. 2. de matr. dis.* 14. *n.* 4.

V. Præterea huc pertinet, quod statutum habetur in *c. Tuas. 5. & ult. h. t.* ubi refertur, quòd olim in Ecclesia Mutinensi obtinuit consuetudo, ut si quis jurâsset se aliquam ductarum, & citra carnis copulam illam sibi desponsâsset, & postea aliam etiam desponsâsset, eámque cognovisset, ut primò cognita ei adjudicaretur, non quæ priùs erat desponsata. Consultus Pontifex Innocentius III. rescribit, observandum esse, quod S. Petri Sedes, & Mettopolis illius Ecclesiæ sequitur, ac docet: videlicet postquam inter legitimas personas consensus de præsenti intervenerit (qui si solus defuerit, cætera etiam cum ipso coitu, frustra fiunt) si illæ personæ cum aliis postea de facto contrahant, quod priùs de jure factum fuerat, non poterit irritari.

Hinc patet, qui duas per verba de præsenti desponsavit, priùs desponsatam, etiam nondum cognitam, habebit in uxorem, quamvis secundam priùs carnaliter cognoverit, non obstante contrariâ consuetudine, quæ non valet, *Abb. hic n.* 1. Ratio prioris est, quia cum prima per legitimum consen-

sum

sum fuit contractum indissolubile vinculum matrimonii, etiam sine carnali copula, nuptias enim non concubitus, sed consensus facit, *l.* 30. *ff. de R. I.* ideò non potuit, primâ vivente, cum alia matrimonium contrahere, *c.* 1. *de sponsal.* etiamsi secundam priùs cognoverit, quia carnalis copula, sine legitimo consensu, non facit legitimum matrimonium, *cit. c.* 1. *de sponsal. Vivian. in Ration. Iur. Pontif. hic.* Ratio posterioris est, quia cùm matrimonium lege naturali, & Divinâ sit introductum, & firmatum, dicente Christo, *quod DEVS conjunxit, homo non separet*: Juri autem naturali, seu Divino nulla lex, aut consuetudo potest præjudicare, vel derogare, *c. fin. de consuet.* ideo nulla etiam consuetudo potest tollere primum matrimonium verum, & semel legitimè initum, & inducere secundum, *Hostiens. hic in princ. Sanch. l.* 7. *de matrim. dis.* 4. *n.* 2. Addit tamen *Hostiens. hic*, quòd consuetudo approbata per Papam potest inducere impedimentum Canonicum ditimens matrimonium, impediendo consensum contrahentis, & annullando contractum matrimonialem, de quo videri potest *Sanch. cit. dis.* 4. *n.* 11.

VI. Quærunt hic DD. an Papa possit condere legem, ut matrimonium ratum, & non consummatum dirimatur per subsequens matrimonium carnali copulâ consummatum. Et verius videtur, non posse, quia primum conjugium, etiam ratum, & nondum consummatum, & Divinâ, & naturali lege præfertur secundo etiam consummato, nec per hoc illud dissolvi potest, *Covarr. cit. c.* 7. §. 3. *n.* 5. *Sanch. l.* 2. *de matr. dis.* 14. *n.* 4. Addit tamen *Covarr. c. l.* quòd ratione hujusmodi consuetudinis, quæ vigebat ante Constitutionem *c. ult. h. t.* vi cujus matrimonia secunda carnali copulâ consummata præferebantur primis non consummatis, poterant eam secuti excusari à pœna in foro externo, & à peccato coram Deo, in foro conscientiæ, ob probabilem, & invincibilem ignorantiam.

VII. Illud hic addendum, si quis accepit illam in uxorem, quam altet sibi priùs desponsaverat (per verba de præsenti) debet illam dimittere, quia nunquam potest ipsi fieri legitima uxor. Et per XL. dies in pane, & aqua (quod Carenam vocant) ac septem annis sequentibus pœniteat, prout statutum fuit in *c. Accepisti.* 2. *h. t.*

VIII. Ubi notandum 1. Contrahens matrimonium cum desponsata alteri per verba de præsenti, non potest illam unquam in uxorem habere, secus si fuisset sponsa de futuro, tum enim valuisset matrimonium cum secunda contractum, *Abb. hic n.* 2. Ratio autem, cur non possit iste, post mortem primi viri, illam ducere in uxorem, est, quia daretur illi occasio machinandi mortem priori matito, ideo & in pœnam etiam proprii delicti, prohibetur, ne talis possit unquam illam ducere in uxorem, quam de facto ita temerariè, & contra jus ausus est ducere, *Vivian. hic.*

Verùm ut contrahens matrimonium cum desponsata alteri per verba de præsenti, omnino inhabilis fiat ad ducendam illam, etiam post mortem primi viri, duo requiruntur. Primò necesse est, ut sciat illam esse uxorem alterius, vel saltem alteri desponsatam per verba de præsenti, aliàs non peccat, sed posset eam ducere post mortem primi viri. *c.* 1. *de eo, qui duxit in matrim.* Secundò requiritur, ut ipsam cognoverit, vivente adhuc primo viro, *c. ult. eod. Abb. hic in fine, & Alex. de Navo n.* 3. & sic debet intelligi, quando hic dicitur: quòd nunquam ampliùs eam habere possit in uxorem, etiam mortuo viro primo.

Notandum 2. Olim Ecclesia imposuit publicam pœnitentiam scienter ducenti uxorem alterius, & regulariter imposita fuit pœnitentia septem annorum pro quolibet gravi peccato publico, quamvis Sacerdos ex causa hoc tempus posset abbreviare, *Abb. hic n.* 3. & 4. Catena autem hic dicitur publica pœnitentia imposita pœnitentibus, ut per XL. dies singulis hebdomadis jejunarent in pane, & aqua, Feriâ II. IV. VI. & Sabbatho, sic continuando per septem annos, *Rodrig. tom.* 2. *qq reg. q.* 86. *a* 3. *Barb. in Collect. hic n. ult.* Sed hæc jam sunt antiquata.

§. III.

An appellans in causa matrimoniali posit, lite pendente, aliud matrimonium contrahere?

IX. De hoc agitur in *c. Tua fraternitas.* 4. *h. t.* Nam cùm quæritum esset, si quis petat aliquam in uxorem, vel quædam aliquem in virum, quem dicit in eam consensisse, per desponsationem factam, seu mutuum consensum de præsenti: ille verò appellat ad Sedem Apostolicam, & appellatione pendente, ante causæ cognitionem, vel ante sententiam, aliam duxit in uxorem, quid hoc causa faciendum? Respondet Papa, si quis duxerit in hoc casu appellandum, Judex, à quo appellatur, ei publicè in Ecclesia interdicat, ne ante decisionem causæ, aliud matrimonium contrahat: & si contra hoc interdictum Ecclesiæ facere præsumpserit, matrimonium cum tanta præsumptione contractum poterit ab Archiepiscopo, vel Episcopo irritari.

X. Ubi notandum 1. Pendente lite super matrimonio, sive appellatum fuerit, sive non, non potest aliud matrimonium contrahi cum alia, quia si lite pendente in causa matrimoniali, primum matrimonium pronunciaretur validum, secundum matrimonium foret adulterium, & invalidum, ideóque non debet, pendente lite super primo matrimonio, contrahi cum alia, sive lis pendeat post appellationem, ut in casu hujus cap. sive pendeat coram primo Judice, ante appellationem, ut in casu *c. Cùm in Apostolica.* 18. *de sponsal.* Non enim licet contrahere cum alia, quamvis prius matrimonium prætendatur nullum, vel etiam postea per sententiam pronuncietur nullum, secundum verò teneat, *Abb. hic n.* 3. & si talis contraxerit cum alia, debet ab ea separari, quia præsumptio stat pro primo matrimonio, quòd sit validum, propter mutuum consensum de præsenti præstitum, adeoque quousque constet de impedimento, propter quod non potuit primum matrimonium validè initi, matrimonium cum secunda contrahi non potest, ne contingat in peccato eos simul cohabitare, & permanere.

Notandum 2. Potest Judex, à quo est appellatum, interdicere, ne appellatione pendente, ante causæ

cauſæ deciſionem, contrahatur matrimonium, ut patet ex hoc c. & ſic juriſdictio Judicis à quo, non ſuſpenditur in totum, hoc caſu, quin poſſit facere ea, quæ tendunt ad faciliorem exitum cauſæ appellationis, ut colligitur ex *c. 2. de matr. contract. contr. Interdict. Eccleſ. Alexand. de Nævo hic n. 2. & 3.*

Notandum 3. Quando in hoc c. dicitur, matrimonium initum contra interdictum Judicis Eccleſiaſtici, quo is interdixerat, ne pendente lite, & appellatione ſuper priore matrimonio, partes interim aliud matrimonium contraherent, alioquin poterit tale matrimonium irritari, id non ita abſolutè acciendum eſt, quaſi hoc poſterius matrimonium omnino ſit irritandum: ſed ut uſus ſecundi matrimonii tamdiu irritetur, ſi ve prohibeatur, donec prioris matrimonii lis, ac judicium ab Eccleſia fuerit definitum, juxta *c. ult. h. t.* Ratio eſt, quia interdictum etiam S. Pontificis non eſt impedimentum dirimens matrimonium contractum, ergo per illud non poteſt matrimonium contractum diſſolvi. *Caniſ. in Tit. de matrim. contract. contr. interd. Eccleſiæ, num. 4.*

TITVLVS V.

DE CONDITIONIBUS APPOSITIS IN DESPONSATIONE, VEL IN ALIIS CONTRACTIBUS.

Sponſalia, ſive de futuro, ſive de præſenti, contrahuntur quandoque purè, ſeu abſolutè, de quibus ſuprà, quandoque ſub conditione, ſicut & alii contractus, ideóque hic Titulus ſubjungitur.

§. I.

Quid ſit conditio, & quotuplex, quid modus, cauſa, & demonſtratio, quæ matrimonio, aliiſque contractibus apponuntur?

I.

ASSERTIO 1. Conditio propriè dicta, prout hìc accipitur, eſt diſpoſitionis, id eſt, actûs, vel contractûs ſuſpenſio in futurum tempus, & eventum incertum, §. *Sub conditione. Inſtitut. de V. O.* quæ communiter explicatur per particulam *Si*, ut contraho tecum matrimonium, ſi pater tuus conſenſerit, *Abb. hic in Rubric. Silveſt. in Summa V. Conditio. Sanch. l. 5. de matr. diſ. 1. n. 2.* Nam conditio concepta in tempus præſens, vel præteritum, non eſt propriè dicta conditio, ſed vel tantùm infirmat obligationem, ſi falſa ſit: vel nullo modo differt, ſi vera ſit, ut ex infrà dicendis patebit. Modus eſt qualitas adjecta diſpoſitioni, ſive adjectio oneris, ad quod obligare volumus contrahentem, & communiter explicatur per conjunctionem *Ut*. V. g. duco te, ut divitias, vel honorem conſequar, *Silveſt. V. Conditio n. 3. Sanch. c. l.* Cauſa apponitur, quando denotatur cauſa, ob quam contrahitur, & explicatur per dictionem *quia*, ut contraho tecum, quia dives, vel pulchra es. Demonſtratio ſit, quando exprimitur aliqua qualitas, per quam determinatur, & demonſtratur perſona, cum qua contrahitur, ut duco te, quæ es libera, vel virgo, vel filia hujus Principis &c. *Silveſt. hìc n. 5. Sanch. c. l.* An autem hæc vitient, vel ſuſpendant contractum matrimonialem, infrà dicetur.

II. ASSERTIO 2. Conditiones quædam ſunt generales, ſic appellatæ, quia cuilibet contractui tacitè inſunt, etſi non exprimantur, ut ſi vixerimus: aliæ ſunt ſpeciales, quarum quædam ſunt intrinſecæ, quæ ſcilicet contractui neceſſariò inſunt, quia ſine illis matrimonium ſubſiſtere nequit, ut contraho tecum, ſi non es mihi ſanguine juncta, ſi non es uxorata: aliæ autem ſunt extrinſecæ, ſine quibus matrimonium eſſe poteſt. Rurſus harum quædam ſunt neceſſariò eventuræ: ut contraho tecum, ſi cras ſol oriatur: aliæ ſunt omnino impoſſibiles, ut contraho tecum, ſi cœlum digito tetigeris. Aliæ ſunt contingentes, & poſſibiles, & rurſus harum quædam ſunt honeſtæ, quædam turpes, quædam indifferentes, ſeu omnino impertinentes. Denique ex turpibus quædam ſunt contra ſubſtantiam, & bona matrimonii, ut contraho tecum, ſi generationem prolis evitaveris, vel quouſque pulchriorem, aut ditiorem reperero: aliæ ſunt turpes, etſi non contra ſubſtantiam, & bona matrimonii, ut contraho tecum, ſi mecum concubueris, ita *Sanch. cit. diſ. 1. n. 3.*

§. II.

An conditio contractui matrimoniali appoſita illum vitiet, vel ſuſpendat?

III. ASSERTIO 1. Matrimonium contractum ſub conditione relata in tempus præſens, vel præteritum, non ſuſpenditur, nec vitiatur, ſed ſtatim valet, ſi conditio eſt, vel fuit poſita: non valet, ſi ea non exiſtit, aut extitit. V. g. duco te, ſi es virgo, nobilis, dives: ſi pater tuus eſt mortuus, ſi Titius ex Italia venit &c. *Sanch. l. 5. de matr. diſ. 6. concluſ. 1. Leym. l. 5. tract. 10. p. 2. c. 7. n. 1.* & alii communiter. Idque ſumitur ex *l. Cùm ad præſens. 37. ff. de reb. credit. l. Inſtitutio. 10. §. Siquem.* ibi: *Cùm nulla ſit conditio, quæ in præteritum confertur, vel quæ in præſens, ff. de condit. Inſtitut.* quia ſcilicet non ſuſpendit actû, ſed

Digitized by Google

ſed facit, ut ſtatim valeat, vel non valeat, §. *Conditiones Inſtitut. de V. O.* Ratio eſt, quia contractus ex voluntate, & conventione contrahentium legem, & conditionem accipiunt: ſi ergo contrahentes ita voluerunt, & convenerunt, ut ſi talis conditio exiſtat, matrimonium ſit ratum, & validum: ſi non exiſtat, matrimonium ſit irritum: ita ſtatim erit, prout inter ſe convenerunt. Confirmatur, quia idem etiam eſt in aliis contractibus, ut patet ex legibus citt. Idque procedit, etſi contrahentes ignorent poſitam eſſe conditionem, modò conditio vera ſit, v. g. dono tibi hunc equum, ſi pater tuus adhuc vivit, quamvis hanc conditionem contrahentes ignorent, *cit. l. Cùm ad præſens. Layman. cit. loc.*

IV. ASSERTIO 2. Matrimonium contractum ſub conditione de futuro poſſibili, honeſta, & contingente, v. g. duco te, *ſi pater tuus conſenſerit ſi mille in dotem dederit &c.* ſuſpenditur, ita ut nullo modo valeat, aut obligeat, donec conditio impleatur, *Sanch. cit. diſ. 6. n. 2. Laym. cit. c. 7. n. 2.* & alij communiter. Ratio eſt, quia generatim loquendo, conditio propriè dicta, & de futuro contingenti, ſuapte naturâ, ſuſpendit contractum, cui adijcitur, *l. Si ita ſtipulatus. 97. §. Si tibi. ff. de V. O.* ita ut contractus nec omnino ſit nullus, cùm uterque contrahens teneatur eventum conditionis exſpectare; nec omnino completus, quia à futura conditione pendet, ita ut eâ poſitâ, ſit validus, non poſitâ, invalidus. Hoc autem intelligi debet de conditione appoſita in ipſo contractu matrimonii: non autem ſi ex intervallo: nam matrimonio ſemel perfecto, ſive poſtquam ſemel effectum ſuum fortitum fuit, nec quidem communi utriuſque conſenſu nova conditio apponi poteſt, cùm mutuo conſenſu diſſolvi nequeat, ſicut cæteri contractus, *Sanch. cit. diſ. 6. n. 3. & 4.*

V. Jam ergo hæc aſſertio, quòd matrimonium ſub tali conditione contractum ſuſpendatur, uſque dum conditio impleatur, probatur ex *c. De illis. 3. h. t.* ubi Papa Alexander III. ita reſcribit: Si quis alicui mulieri ſub hujuſmodi verbis juraverit: *Ego te in uxorem accipiam, ſi tantum mihi donaveris*, reus perjurii non erit, ſi nolentem dare, quod ſibi dari petijt, non acceperit in uxorem: niſi conſenſus de præſenti, aut carnalis copula ſit ſubſecuta.

VI. Ubi notandum 1. Sponſalia de futuro, etiam jurata, qualia ſunt contracta in hoc cap. ut patet ex verbo *accipiam*, quod eſt futuri temporis, poſſunt contrahi ſub conditione: ſi tantum, v. g. decem dederis, neque ptiùs obligant, quàm decem data fuerint, quia pendente conditione, nulla oritur obligatio, ſed tum demum, ubi evenerit conditio, §. *Ex conditionali Inſtitut. de V. O.* Neque etiam ex talibus ſponſalibus conditionatis oritur impedimentum publicæ honeſtatis, conditione pendente, *c. ult. §. fin. de ſponſal. in 6. Abb. hîc n. 1.*

Notandum 2. Excipiuntur duo caſus in hoc cap. in quibus conditio appoſita ſponſalibus de futuro tollitur, & receditur à conditione, ſcilicet per conſenſum matrimonialem de præſenti purè, & abſolutè præſtitum, per quem tollitur obligatio conditionis priùs appoſitæ; vel per carnalem copulam ſubſequentem, per quam ex conditionalibus fiunt pura ſponſalia, quia præſumitur conditio remiſit, & ſimul tranſeunt in matrimonium præſumptum, contra quod non admittitur probatio in contrarium, *c. 15, qui. 30. de ſponſal. Gl. pen. & ult. hîc, Abbas n. 4. & 5.* Hodie verò cùm matrimonia præſumpta ceſſaverint, quippe quæ non valent, niſi coram Parocho, & teſtibus ſint contracta, juxta Decretum Concilii Trident. *Seſſ. 24. c. 1. de reform. matr.* ideo hujus textûs diſpoſitio, quoad poſteriorem caſum, non habet locum, *Barb. in Collect. in c. De illis. 3. h. t.*

VII. Sed contra deciſionem hujus c. obſtare videtur *text. in l. Si ita ſtipulatus. 97. §. Si tibi nupſero. ff. de V. O.* Ex qua colligitur, quòd ſi mulier à viro ſtipulatur centum ſibi dari, ſi ipſi nupſerit, non valet ſtipulatio, quippe inhoneſta, ac proinde talis conditio videtur improbata Jure, tanquam turpis, cùm per eam venalia quodammodo reddantur matrimonia, & propter libidinem tales contrahere videantur. Idémque eſt, ſi hoc pacto vir à muliere ſtipuletur ſibi centum dari. Verùm reſpondetur, hujuſmodi promiſſionem, vel conditionem de pecunia ſibi danda, ſi fiat, vel adijciatur ex juſta cauſa, & honeſta, veluti dotis, aut donationis propter nuptias, vel ob aliam juſtam cauſam, ut ſi mulier nobilis ſit, & contrahat cum plebeio, & in compenſationem ſuæ nobilitatis petat ſibi dari pecuniam, talis ſtipulatio, aut venditio non foret inhoneſta, tunc enim ceſſaret præſumptio libidinis. Unde in *cit. l. Si ita ſtipulatus. §. fin.* non reprobatur abſolutè talis ſtipulatio, ſed dicitur: *cauſa cognitâ, actionem denegandam eſſe*, quia nimirum Judex cognoſcere debet, utrùm ex cauſa honeſta, ſeu juſta talis promiſſio, vel conditio facta, ſeu adjecta fuerit, vel non. *Barb, in cit. l. Si ita ſtipulatus. in fine. Abb. in cit. c. De illis. n. 3.* Itaque hujuſmodi promiſſio, vel conditio etiam ex cauſa lucrativa adjecta valet, ſi ea honeſta ſit: non item ſi ſit pœnalis, dum ſponſus unus alteri promittit pecuniam, ſi impediat, ne nuptiæ ſequantur, *c. Gemma. 29. de ſponſal.* de quo ibid. *Caniſ. in cit. c. De illis. h. t.*

VIII. Præterea in *c. Super 10. 5. h. t.* cùm ex Urbano III. quæſitum fuiſſet, utrùm ille, qui in mulierem aliquam accipiendam conſenſit, ſi pater ipſius ſuum præſtaret aſſenſum, compelli poſſit ad matrimonium conſummandum? Reſpondet Pontifex, cùm conſenſus liber dici non poſſit, qui in alieno arbitrio eſt poſitus, ſeu reſervatus, & conditionem hanc Canones non improbent, niſi voluntas patris poſtmodum intercedat, nequaquam cogendus eſt ad matrimonium contrahendum. Nam licèt Alexander Papa (*in cit. c. De illis. h. t.*) reſpondiſſet, ſponſalia ſub conditione contracta, ipſâ non impletâ, ſi conſenſus de præſenti intercedat, vel carnalis copula ſubſequatur, diſſolvi non debere, ſed ſtimiſſet ſervari: id tamen nequaquam hujus definitioni eſt adverſum: cùm hujuſmodi conſenſus non ſit de præſenti habendus, quamvis per verba de præſenti exprimatur, qui in alieno arbitrio non habito, ſed habendo conſiſtit.

IX. Notandum 1. Qui matrimonium contrahit per verba de præſenti ſub conditione non improbata ab Eccleſia, ut *contrahо tecum, ſi meus pater conſenſerit*, non debet compelli ad contrahendum matrimonium, & multò minùs ad illud conſummandum, ante conditionis eventum, ſive niſi acce-

dat poſtmodum voluntas, ſeu conſenſus patris, quia neccdum intelligitur eſſe contractum, *Hoſtienſ. hic V. Contrahendum.* prout ſumitur ex hoc c. Ubi Papa conſultus, an qui per verba de præſenti contraxit, ſub conditione, ſi pater ipſius conſenſerit, ſit cogendus matrimonium conſummare, reſpondet, non teneri contrahere, niſi voluntas patris poſtmodum intercedat: ergo à contrario ſenſu, ſi voluntas hujuſmodi, ſeu conſenſus patris interceſſerit, cogendus eſt contrahere, id eſt, conſummare matrimonium, ut ſic reſponſio congruat interrogationi. Ratio eſt, quia diſpoſitio conditionalis, adveniente, ſive impletâ conditione purificatur, & ex eo tempore perficitur, perinde ac ſi ab initio purè eſſet facta, *l. Potior.* 11. §. 1. ibi: *Cùm enim ſemel conditio extitit, perinde habetur, ac ſi eo tempore, quo ſtipulatio interpoſita eſt, ſine conditione facta eſſet. ff. Qui potiores in pign. hab.* matrimonium autem, quamvis per legem Evangelicam ſit elevatum ad dignitatem Sacramenti, habet tamen rationem contractûs civilis, ideóque per eventum conditionis perficitur, ſicut alij contractus conditionales, *l. Hæc venditio. 7. in princ.* ibi: *Conditionales venditiones tunc perficiuntur, cùm impleta fuerit conditio. ff. de contrab. empt. Fagn. in cit. c. Super eo. n. 2. & 3. h. t.* An autem matrimonium ſub conditione initum ſtatim ſit perfectum, abſque novo conſenſu, infrà dicetur.

Notandum 2. Matrimonium poteſt conferri in arbitrium alterius, non ſolùm parentis, in cujus poteſtate eſt contrahens, & conditionem apponens, ut in caſu hujus cap. ſed etiam extranei, v. g. patrui, *c. Per tuas. 6. h. t.* quamvis teſtamentum non poſſit conferri in arbitrium alterius, *l. Illa. 32. in princ. ff. de hæred. inſtit. Abb. hic n. 3. & Alex. de Nævo n. 4.*

Notandum 3. Quamvis conſenſus in matrimonium exprimatur de præſenti, ſi tamen apponatur conditio, non habet effectum in præſenti, ſed ſuſpenditur, donec impleatur conditio. Idémque eſt de quavis alia conditione, quæ non pendet ex arbitrio tertij, ut ſi quis dicat, *contraho tecum matrimonium, ſi dederis mihi centum, Abb. hic n. 5. & Alex. de Nævo num. 9.*

X. Cæterùm hoc loco occurrit dubium, an ipſi matrimonio apponi poſſit conditio? Negativam ſententiam tenent *Covarr. in l. 4. Decret. p. 2. c. 3. n. 3. Sanch. l. 5. de matr. diſ. 1. n. 5.* & alij apud ipſos, nempe matrimoniam ipſum conditionem non recipere, bene tamen ejus conſenſum, hoc eſt, conſenſus præſtitus ad matrimonium contrahendum poteſt ex conditione pendere, at non ipſum matrimonium, quia quamdiu conditio pendet, non eſt matrimonium.

Alij verò probabiliùs affirmant, matrimonio adjici poſſe conditionem, v. g. *contraho tecum, ſi pater meus conſenſerit*, quia hujuſmodi conditionem nullibi improbant Canonica Inſtituta, ut patet ex *cit. c. Super eo. h. t.* quamvis ejus obligatio differatur in eventum conditionis, ſicut fit in aliis contractibus conditionalibus, qui conditione eveniente, purificantur, *l. Neceſſario. 8. §. Quòd ſi pendente ff. de perie. & comm. rei vendit. Caniſ. in Rubr. h. t. n. 3. Zaſ. in comment. h. t. n. 5.* ubi in fine ait, non tam adijci conditionem matrimonio, ut eſt Sacramentum, quod non poteſt eſſe in pendenti, quàm ut eſt contractus civilis, eatenus enim, ut reliqui contractus, conditionem admittit. Nec obſtat *Reg. Iur. 50. in 6. & Reg. 77. ff. eod. Actus legitimi conditionem non recipiunt*, quia actus ibi enumerati non ſunt contractus, ſicut matrimonium, ſed actus merè legitimi, id eſt, à Jure Civili introducti. *Hoſtienſ. hic col. 2. §. Sed contra.* Neque etiam obſtat, quòd matrimonium inſtitutum ſit ad mutuam cohabitationem, & conjunctionem, non enim hinc ſequitur, quòd conditio ei adijci non poteſt. Nam etiam emptio, & venditio inſtituta eſt, ut per illam res emptori acquiratur, & tamen ſub conditione contrahi poteſt, *§. pen. Inſtit. de empt. & vendit.* ſicut etiam alij Civiles contractus, *l. Obligationum. 44. ff. de act. & oblig. Caniſ. c. l.*

Illud hic addendum, ſi pendente conditione, alter, vel uterque contrahentium aliud matrimonium inierit, poſterius matrimonium valebit, etiamſi conditio prioris matrimonii poſtea evenerit, *c. unic. §. fin. deſponſal. in 6.* quia ſcilicet ex ſponſalibus conditionalibus, ante conditionem extantem, nulla publicæ honeſtatis juſtitia oritur, *Caniſ. c. l. n. 4.*

§. III.

An conditio, de futuro neceſſaria, vel impoſſibilis, adiecta matrimonio illud vitiet, vel ſuſpendat?

XI. Asserio 1. Matrimonium contractum ſub conditione de futuro neceſſariâ, ut *contraho tecum, ſi ſol cras oriatur*, non ſuſpenditur, nec vitiatur per conditionem adjectam, ſed perinde eſt, ac ſi ea appoſita non eſſet, adeóque abſolutum, ac validum eſt tale matrimonium, *Covarr. in l. 4. p. 2. c. 3. §. 2. n. 10. Sanch. l. 5. de matr. diſ. 2. n. 2.* & alij apud ipſum. Idque probatur ex *l. Si pupillus. 9. §. 1. ff. de Novat.* ubi dicitur: *Qui ſub conditione ſtipulatur, quæ omnino extitura eſt, purè videtur ſtipulari*, quia quod omnino extiturum eſt, non poteſt non contingere, ideóque præſens eſſe videtur, & quia talis conditio neceſſariò futura jam determinata eſt in ſua cauſa naturali, cenſetur præſens, & impleta, & perinde eſt, ac ſi appoſita non eſſet. Quod tamen intelligendum eſt, ſi contrahentes ſciant, conditionem eſſe neceſſariam, nam ſi putant, illam eſſe contingentem, ſortitur effectum conditionis contingentis, & ſuſpendit contractum uſque ad eventum conditionis, *Sanch. c. l. n. 3.* Idémque eſt, ſi ex circumſtantiis facilè colligatur, talem conditionem non apponi tanquam conditionem, ſed tanquam temporis præfinitionem, de quo caſu loquitur *text. in l. Hæres. 79. ff. de condit. & demonſtr.* & exemplum eſſe poteſt: Si quis dicat: *Contraham tecum, ſi pater meus morietur*, id eſt, quando pater meus obierit, *Sanch. c. l. n. 6.*

XII. Asserio 2. Matrimonium contractum ſub conditione de futuro, quæ repugnat ſubſtantiæ, aut bonis matrimonij, ipſo jure eſt irritum. Si verò in contractu matrimonij conditio impoſſibilis, vel turpis apponatur, quæ non eſt contra ſubſtantiam matrimonij, ea habetur pro non adjecta, & matrimonium tenet, prout ſtatuitur in *c. Si conditiones. 7. & ult. h. t.* ubi Papa Gregorius I X. ita reſcribit:

Digitized by Google

» ſcribit: ſi conditiones contra ſubſtantiam con-
» jugij inſerantur, puta ſi unus dicat alteri: contra-
» ho tecum, ſi generationem ptolis evites, vel do-
» nec inveniam aliam honoratiorem, vel ditio-
» rem; aut ſi pro quæſtu adulterandam te tradas,
» matrimonialis contractus, quantumcunque ſit
» favorabilis, caret effectu, licèt aliæ conditiones
» (quæ non pugnant cum ſubſtantia matrimonij)
» ſi turpes, aut impoſſibiles fuerint, debeant pro-
» pter ejus favorem, pro non adiectis haberi.

XIII. Pro explicatione notandum 1. duæ traduntur regulæ in hoc c. Prima in priore ejus parte, ſcilicet conditionem turpem, ſeu inhoneſtam, vel impoſſibilem adverſus matrimonij ſubſtantiam, vel ſubſtantialem ejus proprietatem appoſitam irritare omnino contractum matrimonij, cujus tria exempla ponuntur in textu. Prima conditio eſt contra bonum prolis, ut ſi quis ſub conditione contrahat, ſi uxor prolem vitaverit. Secunda eſt contra Sacramentum, ut contraho tecum, donec aliam ditiorem, aut pulchriorem invenero, quod repugnat individuo vitæ conjugalis vinculo, & illius humanæ ſocietati. Tertia eſt, ſi adulterata fuetis, quod eſt contra bonum fidei conjugalis, omnes hæ conditiones vitiant matrimonium contractum, *Gl. hic* 1. 2. *& 3. Abb. n.* 2. *Covarr. in* 4. *Decret. p.* 2. *c.* 3. §. 1. *n.* 1. *Sanch. l.* 5. *diſ.* 9. *n.* 3. Quamvis autem in textu exprimantur tantùm ttes conditiones, tamen id factum eſt exempli gratiâ, idem enim dicendum de omnibus alijs conditionibus, quæ ſubſtantiæ matrimonij adverſantur, quia hæc ratio legis in textu expreſſa eſt generalis, *Abb. c. l. & Alex. de Nævo hic n.* 3.

Ratio autem hujus conſtitutionis eſt, quia quamvis validè contrahatur matrimonium, cum intentione non ſervandi fidem, aut perpetuitatem conjugij, aut non procurandi generationem, & educationem prolis, ſed potiùs impediendi, quia hæc quoad actum, ſeu executionem non pertinent ad ſubſtantiam matrimonij, adeoque non ſunt contra ſubſtantiam ejuſdem: non tamen validè contrahitur, ſi talia in pactum deducantur, quæ ſubſtantiali obligationi eſſentialiter in matrimonio incluſæ directè adverſantur, eámque eliduut, & infirmant, *Sanch. cit. diſ.* 9. *n.* 14. *Laym l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 7. *n.* 8. quia matrimonij ſubſtantia conſiſtit in plena traditione mutua corporum, ſive in mutuo jure, ac poteſtate utendi corpore conjugis ad uſum generationis: hoc autem jus, ſeu poteſtas tollitur per pacta, ſeu conditiones, quibus obligatio carnalis conjunctionis, ſeu copulæ tollitur, ergo etiam ipſa ſubſtantia matrimonij tollitur, & infirmatur: & cùm dominium, ſeu jus, quod per matrimonij contractum acquiritur, non ſit aliud, quàm prædictum jus utendi corpore conjugis, non poteſt dominium ſeparari à jure utendi, vel fruendi matrimonio, ſicuti in alijs quibuſdam rebus accidit. Nec refert, quòd ſalvâ eſſentiâ matrimonij, eóque illæſo, poſſit tolli jus utendi, & reddendi debitum per votum caſtitatis perpetuæ communi conſenſu conjugum editum: nam quamvis matrimonio jam contracto, poſſit poſtea per novam pactionem apponi conditio aliqua ejus ſubſtantiæ repugnans: non tamen poteſt ob initio apponi, uti etiam in alijs contractibus accidit: quia quando à principio deducitur in pactum aliquid ejuſmodi, impeditur poſtea translatio poteſtatis corporum: ſecus quando jam matrimonium eſt contractum, tunc enim poteſtas illa ſemel tranſlata revocari non poteſt, & manet matrimonij vinculum quoad alia v. g. mutuam cohabitationem, prolis educationem, fidem ſervandam, *Laym. c. l.* ubi etiam addit, quamvis nunquam petere debitum non ſit contra ſubſtantiam matrimonij, aut bonum prolis, eſt tamen obligare ſe ad nunquam petendum. Cæterùm matrimonium abſolutè contractum cenſetur, etiamſi annexas habeat conditiones; aliquas, quæ ipſi de jure inſunt, ut niſi Religionem ingredi velim, niſi adulterio fidem violaveris &c. *Laym. c. l.* quia talis conditio, quæ de jure ineſt, non ſuſpendit contractum, cui adjicitur, nec facit conditionalem, *l. Conditiones.* 99. *l. Aliquando.* 107. *ff. de Condit. & Demonſtr.*

XIV. Notandum 2. Quod dictum eſt conditiones turpes, & inhoneſtas adverſus ſubſtantiam matrimonij appoſitas irritare contractum matrimonij, limitari debet 1. ſi uterque conjux appoſitioni conditionis conſentiat, tunc enim nullus eſt conſenſus, & matrimonium non tenet. Secus eſt, ſi alter contradicat, quia tunc matrimonium eſt validum, perinde, ac ſi conditio non fuiſſet appoſita; vel etiam ſi taceat, quia tunc cenſetur contradicere, favore matrimonij, nam ex eo, quòd alter non conſentit, cenſetur à conditione receſſum, *Covarr. in l.* 4. *Decret. p.* 2. *c.* 3. §. 1. *n.* 11. 2. limitatur, ut procedat ſolùm in proprijs, & veris conditionibus, ſcilicet in ijs, quæ à futuro eventu pendent: non autem in conditionibus de præſenti tempore, vel de præterito, quia verè conditiones non ſunt, nam tales conditiones non ſuſpendunt actum, nec propriè ſunt conditiones, *Covarr. cit.* §. 1. *n.* 9.

XV. Notandum 3. Sicut matrimonium contractum ſub conditione ſuſpenſiva, quæ eſt contra illius ſubſtantiam, non tenet: ita nec tenet, ſi fuerit contractum ſub conditione reſolutiva, ut contraho tecum, ſi non invenero aliam ditiorem, aut honoratiorem, juxta hoc c. Unde infertur quòd ſi quis habens ſuſpectam uxorem de incontinentia, matrimonium cum ea inierit, ſub conditione, ut ſi adulterium commiſerit, liceat ipſi à matrimonio reſilire, & aliam ducere, tale matrimonium non valeat, ut docet *Abb. hic n.* 2. quia licèt talis conditio, primo intuitu videatur honeſta, ut ſic vitetur adulterium, tamen revera eſt turpis, quia in effectu perinde eſt, ac ſi dictum eſſet, contraho tecum ad tempus incertum, donec commiſeris adulterium, atque ita adverſatur bono Sacramenti, quod ſuapte naturâ eſt perpetuum, & indiſſolubile, *Fagn. in cit. c. Ult. n.* 8. *& t.*

XVI. Notandum 4. Altera regula tradita in *c. Ult. h. t.* eſt, quòd conditiones turpes, vel impoſſibiles, quæ matrimonij ſubſtantiæ, & illius bonis non adverſantur, non irritant matrimonium, ſed rejiciuntur, & pro non adjectis habentur, idque favore matrimonij ſpecialiter ſtatutum eſt, *Abb. hic n.* 3. Exemplum de conditione turpi eſt, contraho tecum, ſi furtum feceris, vel ſi homicidium commiſeris. Item de conditione impoſſibili, ut ſi cœlum tetigeris digito, vel ſi Regnum dederis. Unde

etiam in teſtamentis, & ultimis voluntatibus, quia ſimiliter ſunt favorabiles, *l. 1. C. de SS. Eccleſ.* conditiones turpes, vel impoſſibiles reijciuntur, & pro non adiectis habentur, §. *Impoſſibilis Inſtit. de hæred. inſtit. Gl. hìc V. Impoſſibiles*, ſive ſint impoſſibiles de facto, ſive de jure, quia id poſſumus, quod de jure poſſumus, & impoſſibile dicitur, quod de jure fieri non poteſt *l. Nepos. 125. ff. de V. S.* Secus eſt, in aliis contractibus, in quibus conditio turpis, vel impoſſibilis vitiat contractum, §. *Si impoſſibilis Inſtit. de inutil. ſtipul. l. Non ſolùm 31. ff. de oblig. & act.* quia hi non ſunt ita favorabiles, ſicut matrimonium.

XVII. Notandum 5. Ut conditio impoſſibilis rejiciatur à contractu matrimonij, requiritur 1. ut reputetur impoſſibilis, alioquin non reijcitur, ſed ſuum ſortitur effectum in utroque foro, unde diſpoſitio dicti *c. fin. h. t.* intelligitur, quando contrahentes ſciebant conditionem eſſe poſſibilem, *Sanch. l. 5. de matr. diſ. 3. n. 8.* Ubi addit, idem eſſe de conditione turpi, quæ non reijcitur, ſi reputetur honeſta. 2. Ut conditio impoſſibilis habeatur pro non adjecta, requiritur etiam, ut contrahentes ſint conſcij conſtitutionis dicti *cap. fin.* adeoque ut ſciant, conditionem adjectam eſſe impoſſibilem, & lus hujuſmodi conditiones reijcere, & habere pro non adiectis, tunc enim cenſentur, ſecundùm lus velle contrahere, niſi de contrario conſtet, *Coning. diſ. 29. de matr. dub. 3. n. 42.* Nam conſtitutio non obligat ignorantes, *c. 2. de Conſtit. in 6. Sanch. c. l. n. 11.* Imò exigitur etiam, ut utrumque hoc notum ſit ambobus contrahentibus, quia matrimonium conſtat ex utriuſque conſenſu, conditio autem impoſſibilis ex ſe importat diſſenſum, *Santh. c. l. n. 12. 3.* conditio impoſſibilis in dubio habetur pro non adjecta, adeoque ſi dubia ſit contrahentium intentio, utrùm ſeriò, & ex animo, non aliter talem conditionem appoſuerint, an verò ſolùm joco, in tali dubio præſumit Eccleſia, joco adjectam eſſe, & non animo ſuſpendendi actum, & ita iudicat matrimonium eſſe validum, & purè contractum, perinde ac ſi conditio appoſita non eſſet, idque in favorem matrimonij, pro cujus valore in dubio ſemper judicandum eſt, *c. Ult. de ſent. & re judic.* cùm enim vertatur periculum animæ, ne fortè ſeparentur, qui legitimè conjuncti ſunt, & alijs conjungantur matrimonio, Eccleſia eligit in dubio, quod animæ tutius eſt, *Sanch. cit. diſ. 30. n. 15.*

Idémque dicendum eſt de conditione turpi, quia nemo præſumitur in dubio velle peccare, adeoque ſeriò velle contrahere ſub conditione turpi, quæ ſine peccato, ad quod inclinat, impleti non poteſt, aut velle in re tam gravi, & ſancta jocari, & ſuum actum irritum redere, *Sanch. l. 5. diſ. 15. num. 4. & 6.*

Notandum 6. Ex dictis patet, quæ ſit vera expoſitio *cit. c. Ult. in fine h. t.* videlicet omnes fideles, dum Sacramenta recipiunt, cenſentur ea recipere, juxta intentionem Eccleſiæ, adeoque dum matrimonium ineunt, & ſciunt conditionem adjectam eſſe turpem, vel impoſſibilem, eámque ab Eccleſia reijci, & pro non adjecta haberi, præſumere Eccleſiam contrahentes purè, & abſolutè conſenſiſſe: tunc cenſentur etiam velle purè, & abſolutè contrahere, juxta intentionem Eccleſiæ, & prout ipſa Eccleſia præſumit, ac judicat, tale matrimonium irritum eſſe, niſi ipſi contrahentes aliter exprimant ſuam intentionem, ita *Sanch. cit. diſ. 3. n. 18.*

XVIII. Notandum 6. Si matrimonium contractum ſit ſub conditione turpi, vel impoſſibili, & is, qui conditionem adiecit, non aliter ſe obligare voluit, quàm ſi conditio eveniat, in foro interno, id eſt, conſcientiæ, non tenebitur, nec judicabitur matrimonium, propter defectum conſenſus conjugalis, quem contrahens in eventum conditionis contulit. Idémque dicendum eſt in foro externo, ſeu judiciali, judicabitur enim ſimiliter matrimonium contractum, ſub conditione turpi, vel impoſſibili nullum, ſi conſtet conſenſum conjugalem defeciſſe, quia aliqui ſic expreſsè contraxerunt, ut nullo pacto vellent conſentire, niſi eveniente conditione, *Covarr. in lib. 4. Decret. p. 2. c. 3. n. 4. & 5.* Ratio eſt, quia conditiones turpes, vel impoſſibiles à matrimonio reijciuntur, & habentur pro non adjectis, eò quòd Canones in dubio præſumunt eas non ſeriò adjectas fuiſſe. At quando de mente contrahentium aliter conſtat, ceſſat hujuſmodi præſumptio, cùm in certis nullus ſit præſumptioni, ſeu conjecturæ locus, *l. Continuus. 137. §. 2. in fine, junctâ Gl. V. Nullus ff. de V. O. Canis. in cit. c. Ult. h. t.*

XIX. Præterea huc pertinet, quod ſtatuitur in *c. Quicunque 1. h. t.* quod eſt deſumptum ex Concilio Africano, ubi dicitur: Quicunque conditionis nomine aliquam deſponſaverit (per verba de præſenti) frangatur conditio (id eſt, pro non adjecta habeatur, *Gl. hìc. V. eod.*) & deſponſatio irrefragabiliter teneatur, ſive firmiter ſerverur matrimonium.

Ubi notandum. hoc cap. intelligitur primò de conditione turpi, quæ tamen non eſt contra ſubſtantiam matrimonij, ut exponit *Gl. hìc V. Frangatur*, ut ſi quis dicat, contraham tecum, ſi furtum feceris, vel ſi homicidium commiſeris, & tale matrimonium ſub turpi conditione contractum, eâ rejectâ, ſervandum eſt. Secundò intelligitur hoc c. quando præceſſit copula, ante eventum, vel defectum conditionis, tunc enim cenſetur à conditione receſſum, ideóque matrimonium tenet, rejectâ conditione, ut colligitur ex his verbis textûs, *eam relinquere voluerit*, quæ videntur ſupponere cohabitationem, & matrimonium fuiſſe priùs conſummatum, *Covarr. cit. c. 3. §. 1. n. 13.* Aliam expoſitionem affert *Alex. de Nevo hic n. 1.* de qua agit *Fagn. hic n. 2.* Tertiò aliqui intelligunt de conditione reſolutiva, ut contracto tecum matrimonium, & ſi non dederis mihi centum, volo te relinquere, nam cùm matrimonium ab initio fuerit validum, non poterit diſſolvi ex futuro eventu, de quo videri poteſt *Alex. de Nevo hic n. 1. & Fagnan. n. 2.*

XX. Similis priori conſtitutio extat in *c. Pertuas. 6. h. t.* Nam cùm quædam mulier P. nomine poſtularet N. in virum, aſſerens inter ſe mutuum conſenſum de præſenti, & carnalem copulam interveniſſe, quod licèt vir ille non negaret, aſſerebat tamen ſe illam in uxorem ducere non teneri, quia ſponſalia inter ipſos ſub hac conditione fuerunt contracta, *ſi pater ejus, & patruus in eo conſentirent*, qui tamen re intellectâ, ſtatim contradixerunt

Digitized by Google

» dixerunt. Mulier verò replicabat, negando ſibi » à patre viri, vel patruo aliquando contradictum » fuiſſe, & ante tempus contradictionis à teſtibus » expreſſum, poſtea dicebat inter ſe carnalem co- » pulam interveniſſe. Conſultus ſuper hac re Pa- » pa Innocentius III. reſpondet, cùm liquidò con- » ſtet, poſt contracta ſponſalia carnalem copulam » inter eos eſſe ſubſecutam, pro matrimonio præ- » ſumendum eſſe: quia à conditione appoſita re- » ceſſiſſe videntur: etſi enim probatum ſit, quòd » poſtquam pater, & patruus viri ſponſalibus con- » tradixerunt, idem vir mulierem illam per carna- » lem copulam cognoverit: non eſt tamen proba- » tum, quòd antequam ipſe eandem cognoviſſet, » pater ejus, & patruus contradixetint. Ratio de- cidionis eſt, quia quamvis ſponſalia conditionata, ſecundùm Iuris ſubtilitatem, non videantur eſſe ſponſalia, quia conſenſus conditionalis, ante con- ditionem extantem, eſt nullus, *l. Cedere diem. 213. ff. de V. S.* ſi ergo nullus præceſſit conſenſus, nulla et- iam inita ſunt ſponſalia, adeoque nec matrimo- nium, quia ſola copula carnalis, ſine conſenſu, non facit matrimonium, *Gl. hic V. Præſumendum.* Ve- rùm favore matrimonij non attenditur iſta juris ſubtilitas, ſed magis vetiſimilis probabilitas, nam quia aderat conſenſus in ſponſalibus, licèt condi- tionatus, ideo præſumuntur contrahentes per car- nalem copulam ſubſecutam ab appoſita conditione receſſiſſe, & per novum conſenſum ſponſalia de præſenti liberè contraxiſſe, idque favore matrimo- nij, *Hoſtiens hic V. Quod videtur, & Vivian. in Ra- tion. Iur. Pontif.* Si verò ante copulam carnalem re- nuntiâſſet ſponſalibus, ſive ijs contradictum fuiſſet à patre, & patruo, tunc per copulam ſuperveni- entem non inductum fuiſſet matrimonium, quia diſſoluta eſſent ſponſalia, & carnalis copula non re- peritſet, quod confirmare poſſet, *Hoſtiens. hic in fine. & Abb. n. 5.*

XXI. Ubi notandum inſuper 1. Sponſalia de futuro, non tantùm pura, & abſoluta, juxta *c. Is qui 30. de ſponſal. & matr.* ſed etiam conditionalia per ſubſecutam carnalem copulam tranſeunt in matri- monium, *Abb. hic n. 3.* Unde ſi contrahentes ma- trimonium, vel ſponſalia conditionata, ante con- ditionem impletam, ſe mutuò carnaliter cogno- ſcant, tunc Eccleſia præſumit eos receſſiſſe à con- ditione, & voluiſſe purè, & abſolutè contrahere, nec ullam probationem admittit in contrarium, juxta *c. Per tuas. 6. h. t. Coning diſ. 29. de Sacram. dub. 1. n. 19.*

Notandum 2. Si duo contraxerunt ſponſalia per verba de futuro, ſecutâ carnali copulâ: quamvis ſponſus, præſente, & conſentiente ſponſâ, proteſtetur, ſe nolle per copulam conſentire in matrimo- nium, nihilominus præſumitur contractum matri- monium, ſi ſequatur carnalis copula, quia præſumi- tur propter copulam ſponſos ab hac proteſtatione receſſiſſe, ſicut & à conditione, ut patet ex *cit. c. Per tuas, h. t.* Ubi contracto matrimonio, ſub conditione nondum impletâ, & ita nondum exiſtente perfecto conſenſu, dicitur recedi à conditione, & perfectum conſenſum effici, carnali copulâ ſecutâ. Ratio eſt, quia non debet inter ſponſos præſumi copula for- nicaria, delicti enim præſumptio omnino vitanda eſt, *l. Meritò. 51. ff. Pro ſocio, Covarr. in 4. Decret. p. 1. c. 4. §. 1. n. 18. Sanch. l. 2. de matr. diſ. 45. n. 21. Menoch. l. 2. de præſumpt. q. 35. n. 4. & 5. & l. 3. præ- ſumpt. 1. n. 15.*

XXII. Porro dubitatur de quibusdam conditi- onibus, an eæ, matrimonio adjectæ (veluti con- trahamus tecum, ſi te virginem invenero, vel ſi me- cum concubueris) ſint validæ, vel tanquam tur- pes reijci debeant? Quod ad priorem conditio- nem attinet, hæc conditio, *Si te virginem invenero*, ſi intelligatur de inveſtigatione per aſpectum obſte- tricum, vel alium legitimum modum, non debet reijci, quia non eſt turpis, ſed honeſta conditio, & ſuſpendit actum. Si verò intelligatur de concubitu illicito, & non matrimoniali, eſt turpis, ac inhono- ſta conditio, eâque rejectâ valet, ut matrimo- nium purum, & abſolutum, *Covarr. cit. p. 1. c. 3. §. 2. n. 12. Sanch. cit. l. 5. diſ. 16. n. 7.* imò etiam tene- ret tale matrimonium, ſaltem in foro externo, etſi non eſſet Virgo, *Barb. in Collect. in cit. c. Per tuas. n. 6. h. t.* Quod verò ad poſteriorem conditionem pertti- net, ſi illa intelligatur de concubitu illicito ante matrimonium, eſt turpis, nec valet: Secus ſi de li- cito poſt contractum ſtatim matrimonium, *Sanch. c. l. n. 8.*

§. IV.

Proponuntur, & reſolvuntur alia nonnulla quæſtiones circa ſponſalia, vel matrimonia ſub conditione contracta.

XXIII. Quæritur 1. An matrimonium con- tractum per verba de præſenti inter habiles, ſub conditione honeſta de futuro, & contingenti, ut *contrahe tecum, ſi pater tuus conſenſerit, vel ſi dotem de- deris*, adveniente conditione, fiat validum, & ob- liget, abſque novo conſenſu utriuſque contrahen- tis? Supponit autem hæc quæſtio, conſenſum, pen- dente conditione, ex nentra parte contrahentium eſſe revocatum: alioquin poſitâ conditione, non valeret matrimonium, ob defectum conſenſus. Hoc poſito.

Reſpondetur, valde probabile eſt, matrimo- nium ſtatim perfici, impletâ conditione, ſine novo contrahentium conſenſu, *Sanch. l. 5. de matr. diſ. 8. n. 5. Coning diſ. 29. dub. 1. n. 11. Laym. l. 5. Theol. moral. tract. 10. p. 2. c. 7. n. 2.* & eſt communis Cano- niſtarum. Ratio eſt, quia omnes cæteri contractus, etiam ſponſalium, ſub tali conditione celebrati, eâ impletâ, purificantur, ac perficiuntur, ſine novo conſenſu, ac ſi ab initio fuiſſent purè, & ſine con- ditione initi, ut patet ex *l. Potior. 11. ff. Qui potior. in pign. & l. Hæc venditio. 7. ff. de contr. empt.* ergo et- iam matrimonium, quia Chriſtus illud elevando ad rationem Sacramenti, ejus naturam non mutavit. Idque confirmatur, quia ſicut ſe habet conſenſus de futuro ad contractum ſponſalium: ita conſenſus de præſenti ſe habet ad contractum matrimonij: at- qui conſenſus de futuro conditionalis, v. g. ducam te in uxorem, ſi pater tuus conſenſerit, adveniente conditione, purificatur, & tranſit in ſponſalia ab-

Digitized by Google

ſoluta, ſine novo alio conſenſu, ut conſtat ex *c. Un. de Sponſal. in 6.* à contrario ſenſu, ergo etiam conſenſus de præſenti conditionalis, v. g. duco te nunc in uxorem, ſi pater dotem dederit, efficit matrimonium purum, & abſolutum, ſine alio novo conſenſu, *Barb. cit. l. n. 5.*

Ubi etiam notandum eſt diſcrimen inter contractum matrimonialem, ſub conditione de futuro, & inter contractum ſub conditione de præſenti, *duco te in uxorem, ſi pater tuus mille dederit in dotem*, nam ex priore, impletâ conditione, oritur obligatio contrahendi matrimonium: juxta poſteriorem verò contractus matrimonij eſt perfectus, & abſolutus, *Laym. c. l.*

XXIV. Porro etſi conſenſus ſub conditione relata in futurum, ante hujus poſitionem, ſeu eventum, non ſit perfectus, ſed quaſi inchoatus, & ſuſpenſus, ac pendens à futuro eventu: poſitâ tamen conditione, conſenſus ille, qui virtualiter, ac moraliterremanet, quamdiu non revocatur, omnino purus, & abſolutus efficitur, ſecundùm moralem rerum æſtimationem. Et licèt ad Sacramentum matrimonij, ex Chriſti inſtitutione, requiratur conſenſus perfectus, & abſolutus, iſque ſigno externo expreſſus, qualis non habetur, ante eventum conditionis: ipſe tamen externus eventus conditionis, ſuâpte naturâ eſt ſufficiens ſignum purificati conſenſûs: ſiquidem ab initio conventum fuit inter contrahentes, ut quàm primùm talis conditio eveniat, mox matrimonium ratum, & firmum eſſet, quæ conventio verbis expreſſa ſaltem moraliter manet, cùm prima voluntas non fuerit revocata à contrahentibus, ut ſupponitur. Neque verò requiritur, ut contrahentes ſciant, conditionem eveniſſe, nam eo ipſo quòd conditio evenit, purificatur matrimonium: ſicut eo ipſo, quòd Procurator contrahit matrimonium, & conſentit nomine ſui principalis, firmum eſt matrimonium, etſi ipſe id ignoret: non tamen ipſe contrahens licitè matrimonio uti poteſt, niſi ſciat conditionem impletam eſſe, adeoque & matrimonium perfectum, *Sanch. cit. diſ. 8. n. 6.* Neque verò ex eo, quòd in *c. Super eo, 5. h. t.* diciur, adoleſcentem illum, ante impletam conditionem, non eſſe cogendum ad contrahendum matrimonium, ſequitur, eâ impletâ, eſſe cogendum, & conſequenter opus eſſe novo conſenſu. Nam reſpondetur, hinc tantùm ſequi, ante eventum conditionis, talem contractum non habere vim matrimonij, nec ſponſalium, cùm non adſit conſenſus de præſenti perfectus, & abſolutus, ſed tantùm conditionalis, quia quamvis verba, quoad loquendi formam præſentem conſenſum importent, v. g. *duco te in uxorem, ſi pater tuus conſentiat*, revera tamen conſenſum conditionatum tantùm habent, & conſequenter talis non tenetur ad contrahendum matrimonium, ante impletam conditionem, nec poteſt etiam illud conſummare, antequam contrahatur, *Coning cit. diſ. 29. dub. 1. n. 14.* An autem, & quomodo poſtquam conditio evenit, talis compellendus ſit, de hoc Papa nihil omnino in dicto cap. reſpondit. Denique etiam in propoſito ipſum Sacramentum matrimonij ſuſpenditur, materiâ, & formâ ipſius completè poſitis, cujus ſubſtantia ponitur, quando ponitur conditio.

XXV. Quæritur 2. An etiam poſt Concilium Trident. quo ſolemnitas parochi, & teſtium eſt introducta, requiratur ad valorem matrimonij, ut Parochus, & teſtes, non tantùm contractui ſub conditione de futuro celebrato, ſed etiam impletioni conditionis interſint. Affirmat valde probabiliter *Coning diſ. 29. de matr. dub. 1. n. 15. Laym. cit. c. 7. n. 3.* quamvis ſufficiat, ſi ipſi contrahentes coram parocho, & teſtibus poſtea aſſerant conditionem eſſe impletam: nam hoc ipſo cenſentur purificare contractum. Ratio eſt, quia Parochus, & teſtes debent poſſe teſtificari in foro externo, non tantùm de matrimonio verè, & ſubſtantialiter contracto, adeoque non ſolùm de contractu inchoato, & pendente adhuc in futurum, & ſolubili, ſed de abſoluto, ac legitimè perfecto ad vitanda multa incommoda: hoc autem non poſſunt, niſi interſint etiam impletioni conditionis, cùm ante hanc contractus ſit incompletus, & conditionalis, non abſolutus, & perfectus. Idémque dicendum de conditione relata in tempus præteritum, vel præſens. Sufficit autem, ſi parochus, & teſtes intelligant, ac teſtari poſſint, matem, & fœminam exteriùs legitimè matrimonium contraxiſſe per verum conſenſum verbis, vel alijs ſignis manifeſtatum: neque opus eſt, ut etiam ſciant, eos validè contraxiſſe, ſive nullo occulto impedimento prohibitos fuiſſe, id enim Concilium non requirit, ideóque etiam non requiritur, ut Parochus, ac teſtes litteras diſpenſationis inter conſanguineos, & affines viderint, *Coning c. l. n. 16.* Eſt autem neceſſarium ad valorem matrimonij per Procuratorem contrahendi, ut parochus, ac teſtes ex litteris, vel ſufficientibus indicijs cognoſcant mandatum Procuratoris, cùm aliàs non intelligant, nec in foro externo teſtari poſſint, matrimonium inter conjuges initum eſſe, quia tale matrimonium non minùs pendet à mandato procuratorio, quàm matrimonium conditionale ab eventu conditionis, ut docet *Coning diſ. 24. de matr. dub. 9. n. 79. Laym. c. l.*

Porro ialia matrimonia etſi ſint valida, non tamen facilè ſunt permittenda, ut notat *Coning cit. diſ. 29. de matr. dub. 1. n. 17.* tum quia minùs decent dignitatem Sacramenti, tum quia ex ijs facilè lites, & difficultates oriri poſſunt, præſertim ob diſcrepantes DD. opiniones, ideóque tutius eſt, ut poſt impletam conditionem, conſenſus matrimonialis renoveiur coram parocho, ac teſtibus, quia ante eventum conditionis matrimonium nondum eſt contractum, ſed contrahendum, *cit. c. Super eo h. t. Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 3. n. 5. Tanner. tom. 4. diſ. 8. q. 3. dub. 4. n. 83. & 84.* Ubi hanc rationem addit, quia in nullo alio Sacramento conſenſus conditionatus de futuro, ſeu in miniſtro, ſeu ſuſcipiente ſufficit ad valorem Sacramenti, ergo nec in matrimonio. Sed hoc non multum probat, quia nullum aliud Sacramentum eſt contractus, ſicut matrimonium.

XXVI. Quæritur 3. An ſi jure impediti, & inhabiles ad matrimonium contrahendum, per verba de futuro promittant ſibi invicem, vel etiam per verba de præſenti contrahant matrimonium, ſub conditione diſpenſationis Papalis, obligationem contrahant, & qualem, ante, vel poſt diſpenſationem?

Digitized by Google

nem? Resp. 1. Si consanguinei, vel aliter impediti matrimonium spondeant sub conditione Papalis dispensationis (per se loquendo, & secluso scandalo, vel alio damno) non peccant, si matrimonium invicem promittant sub conditione, si Papa dispenaverit, dummodo sit impedimentum juris humani, in quo Papa dispensare potest, ac solet, quia talis promissio versatur circa objectum licitum, nempe contrahendum matrimonium inter consanguineos, vel aliter impeditos, post impetratam dispensationem, *Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 3. in princ. n. 7. Laym. cit. c. 7. n. 4.* Quin imò ex hujusmodi promissione oritur vera obligatio sponsaliorum sub conditione, ita ut sponsus exspectare debeat usque ad eventum conditionis, & impetratâ dispensatione, matrimonium contrahere teneatur, si etiam alter in fide data persistat, quia cùm objectum hujus reciprocæ obligationis sit honestum, ac licitum, ut dictum, non est, cur non ex illa oriatur obligatio, *Laym. c. l.*

XXVII. Resp. 2. Probabile est matrimonium per verba de præsenti, inter personas jure impeditas, seu inhabiles contractum, sub conditione relata in futuram dispensationem Papalem, eâ impetratâ, purificati, seu perfici, absque novo consensu contrahentium coram parocho, ac testibus expresso, *Sanch. l. 5. disp. 8. n. 10. Coning cit. disp. 29. n. 33.* Ratio est, quia talis conditio, *si Pontifex dispenaverit*, non est impossibilis, ut debeat haberi pro non adjecta: neque est contra jus, non enim tales contrahunt pro tunc, dum sunt inhabiles, sed pro tempore impletæ conditionis, quo sunt habiles, cùm natura conditionis sit, ut suspendat actum, & ejus obligationem in tempus impletæ conditionis. Et quamvis ante dispensationem partes contrahentes sint inhabiles ad ineundum matrimonium absolutum, non autem ad contrahendum sub conditione, ita ut consensus respiciat solùm tempus habile, nempe tempus impletæ conditionis, hoc est, impetratæ dispensationis, ante quod consensus non est perfectè præstitus: positâ autem conditione, nihil obstat, quominùs perficiatur matrimonium, sine novo consensu, sicut purificantur sponsalia de futuro inita sub eadem conditione, ut docet *Sanch. c. l.* ergo similiter perficitur matrimonium, sine novo consensu. Neque verò Pontifex dispensando facit, ut matrimonium priùs invalidum fiat validum, sed per dispensationem, tanquam per eventum conditionis, solùm fit, ut consensus conditionatus, & hactenus pendens putificetur, & perficiatur, & censeatur absolutus: adeoque dispensatio tollit impedimentum, & ponit in esse conditionem, ex qua pendebat consensus contrahentium, quo tempore potest absolutè præstari: quare cùm tunc perficiatur consensus, virtute illius perficitur etiam ipsum matrimonium, *Sanch. c. l. n. 11.*

Verùm *Laym. l. 5. tr. 10. p. 2. c. 7. n. 5.* probabilius esse asserit, matrimonium sub conditione dispensationis Papalis initum, nunquam sine novo consensu coram Parocho, & testibus expresso, perfici, quia nunquam præsumitur esse mens Pontificis dispensantis, ut matrimonium, præterito tempore, ante dispensationem contractum sit validum, sed solùm ut post impetratam dispensationem in facie Ecclesiæ, præmissis denuntiationibus, contrahese licear, sicut ex Bullis Pontificijs colligitur, quod etiam ipsâ praxi, & usu observatur. Neque obstat, quòd promissio concepta sub conditione, si res sacra profanetur, vel liber homo servituti subjiciatur, non obliget, nec valeat, quia censetur impossibilis, vel bonis moribus repugnare. Nam respondetur, promissionem sub conditione dispensationis non esse talem, quippe quæ à Principe potest, ac solet fieri, *Laym. c. l. n. 5.*

XXVIII. Quæritur 4. Si quis sponsalia, vel matrimonium contraxit cum duabus, quænam, vel quod ex illis servandum sit, ac validum? Resp. 1. Si quis cum duabus contrahat sponsalia, sub conditione de futuro, etsi posteriorum sponsaliorum conditio priùs impleatur, adhuc priora erunt valida, ita ut quandocunque eorum conditio evenerit, ipsis standum sit, *Coning cit. disp. 29. dub. 1. n. 20. Laym. cit. c. 7. n. 6.* contra *Sanch. cit. disp. 8. n. 18.* Ratio est, quia talis neque licitè, neque validè secunda sponsalia inire potuit, nisi priora sponsalia priùs fuerint dissoluta. *Quod enim semel placuit, amplius displicere non potest, reg. 21. in 6.* Resp. 2. Si quis cum duabus contraxit matrimonium, sub conditione pendente in futurum, illud validum est, cujus conditio priùs impletur, sive illud primò contractum sit, sive posteriùs, modò tamen contrahens utrumque, quantum potest, velit esse validum, & neutrum consensum revocârit, *Coning c. l. n. 20. Laym. c. l. n. 7.* Ratio est, quia non quidem licitè, tamen validè quis contrahit, etsi alteri sit obligatus: at matrimonium secundum eventu conditionis purificatum prævalet primo matrimonio, cujus conditio adhuc pendet. Quòd si conditiones utriúsque matrimonij simul impleantur, neutrum validum erit, quia incertitudo vitiat matrimonium, *c. Ex literis. 10. de sponsal.* atqui utrumque matrimonium esset incertum, quia in neutram mulierem esset determinatus consensus: cùm enim conditio suspendat consensum in tempus impletæ conditionis, si conditiones utriúsque matrimonij simul, & eodem tempore impleantur, petinde est, ac si simul, & eodem tempore cum duabus contraheretur matrimonium, nec esset ratio, cur magis censeretur consentire in unam, quàm in alteram, *Coning c. l. Sanch. cit. disp. 8. n. 15.*

§. V.

An causa, demonstratio, vel modus adiectus contractui matrimoniali ipsum vitiet, vel suspendat?

XXIX. Assertio 1. Demonstratio, vel causa sive turpis sit, sive honesta, vel contraria substantiæ matrimonij, vera, vel falsa, per se nunquam suspendit, nec vitiat matrimonium, sed semper habetur pro non adjecta, & matrimonium valet, *Sanch. l. 5. de matr. disp. 19. n. 2.* & alij communiter. Ut accipio tein uxorem, quæ vel quia est sterilis, vel virgo &c. Ratio est, quia per adjectionem talis demonstrationis, vel causæ non tollitur consensus necessarius ad substantiam contractûs, cùm ea non se habeat,

Digitized by Google

habeat, ut objectum, vel pars objecti contractûs, ſed tantùm declaret opinionem, quam habet contrahens circa tale objectum, vel cauſam, quæ eum ad contrahendum movet. Nec refert, quòd non contraheret, ſi ſciret, talem demonſtratioem, vel cauſam non ſubeſſe, quia voluntas illa habitualis non influit, nec ponit aliquid in re, nam eâ non obſtante, modò actu, & abſolutè conſentit: quamvis ſi ſciret, non conſentiret, ſed voluntatem mutaret, quod tamen nihil operatur in ordine ad actum præſentem, error enim non vitiat matrimonium, niſi ſit circa perſonam, vel conditionem libertatis, tunc enim nullum eſſet matrimonium, ut ſi quis dicat, contraho tecum matrimonium, quæ, vel quia es libera, vel primogenita filia Petri, tunc enim ſi non ſit libera, vel filia primogenita, irritum eſt matrimonium, non ratione falſæ demonſtrationis, vel cauſæ, ſed propter errorem perſonæ, vel conditionis: nam etiam tali demonſtratione, vel causâ non adjectâ, adhuc matrimonium ex tali errore contractum invalidum foret. *Sanch. c. l.*

XXX. Assertio 2. Modus adjectus contractui matrimoniali non vitiat illum, nec ſuſpendit, niſi ſit contrarius ſubſtantiæ, aut bonis matrimonij, *Sanch. cit. diſ. 19. n. 5.* Ratio prioris partis eſt, quia modus in hoc differt à conditione propriè dicta, quòd hæc ſuſpendit actum, cui apponitur, ita ut ante eam impletam non ſit validus. At modus non ſuſpendit actum, ſed is ſtatim valet, & vim ſuam habet, etſi nondum talis modus impletus ſit. *l. Cùm ab eo. 41. ff. de contrah. empt.* ita tamen ut alter contrahens obligatus maneat ad præſtandum modum, cum quo contractus eſt initus. Veluti ſi quis dicat, dono tibi equum, ut hoc, vel illud facias, ſtatim valet donatio, & tenetur donatarius implere modum, *Sanch. cit. diſ. 19. n. 4.* Poſterior pars probatur ex *c. fin. h. t.* Ubi habetur, quòd conditio contraria ſubſtantiæ matrimonio adjecta vitiat matrimonium, ut *contraho tecum, ut generationem prolis evites: vel donec inveniam aliam ditiorem: aut ſi pro quæſta adulterandam te tradas.* Ubi notandum, ſiqui matrimonium contrahere intendant ſub conditionibus expreſſis in *cit. c. fin.* & eo jam contracto, velint adjicere obligationem, quæ omnino advertatur ſubſtantiæ matrimonij, tunc cenſentur non ſub conditione propriè dicta, & ſuſpenſiva, ſed potiùs ſub conditione impropriè dicta, & non ſuſpenſiva, ſive ſub modo contraxiſſe, quem contrahentes, poſt contractum matrimonium obſervare velint, & ad eum ſervandum obligationem inducere, & tunc per adjectionem talis modi vitiatur matrimonium, *Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 3. §. 1. n. 7. Sanch. cit. diſ. 19. n. 5. Molin. tr. 2. de juſtit. diſ. 208. n. 3.* Ubi ait, quòd interdum nomine conditionis ſignificatur modus. Ratio eſt, quia id generatim loquendo in omnibus contractibus obtinet, quòd quando contrahens, dum actu contrahit, vult alterum obligari ad præſtandum quippiam repugnans ipſi ſubſtantiæ contractûs, ſatis ſignificat, ſe non habere veram, & ſeriam voluntatem ineundi talem contractum, ſine vera voluntate autem, ſeu conſenſu, contractus non ſubſiſtit, *Laym. l. 5. tr. 10. p. 2. c. 7. n. 11. §. Porro.*

XXXI. Assertio 3. Si modus adjectus matrimonio ſit impoſſibilis, non tamen repugnans ſubſtantiæ matrimonij, ut contraho tecum eâ lege, ut digito cœlum tangas, ut montem aureum mihi des: vel turpis, & illicitus, ut patrem tuum interficias, tunc matrimonium valet, & modus prò non adjecto habetur ob favorem matrimonij, juxta *cit. c. ult. h. t.* quia conditio impoſſibilis, vel turpis non vitiat matrimonium, nec illud ſuſpendit, ſed rejicitur, ac ſi appoſita non fuiſſet, ut ſuprà dictum; ergo multò magis modus impoſſibilis, aut turpis, qui incitat ad peccandum, cùm hic non ſuſpendat contractum, ſed adveniat contractui jam perfecto, *Sanch. cit. diſ. 19. n. 7.* Confirmatur, quia in omnibus alijs contractibus, modus impoſſibilis, ſive de facto, ſive de jure, & ſecundùm mores, ſive moraliter, ſi adjiciatur contractui, illum non vitiat, ſed pro non adjecto habetur, v. g. dono tibi equum, ut cœlum digito tangas, vel ut inimicum meum interficias, quia modus diſpoſitionem, cui adjicitur, non ſuſpendit, ſed validam eſſe ſupponit. *Molin. cit. diſ. 208. n. 11. Sanch. c. l.*

XXXII. Prædictis addendum 1. ut cognoſci poſſit, quando res aliqua donata fuit, v. g. *ſi hoc fiat*, vel *dummodo hoc fiat*, utrùm donatio facta ſit ſub conditione propriè dicta, ſive ſuſpenſivâ: an verò ſolùm ſub modo, ſeu conditione non ſuſpenſiva, attendendum eſt, utrùm donator voluerit, donationem non antè validam eſſe, ac firmam, quàm conditio ſit impleta; & tunc præſumi debet, conditionem propriè dictam eſſe appoſitam, nec valere donationem, ante eventum conditionis, an verò donator voluerit, ut ſtatim valida ſit donatio, ſed donatarius obligatus ſit ad aliquid poſtea faciendum, & tunc cenſeri debet ſub modo eſſe factam. *Laym. cit. c. 7. n. 11.*

Addendum 2. Tametſi in omnibus contractibus conditio non ſuſpenſiva, ſive modus impoſſibilis, vel turpis, ſi non adverſetur ſubſtantiæ contractûs, debeat haberi pro non adjecto; ſpecialiter tamen id obtinet in contractu matrimonij, ob illius favorem, qui in eo conſiſtit, quòd ſi dubium ſit, num conditio impoſſibilis, aut turpis adjecta fuerit matrimonio, tanquam conditio propriè dicta, & ſuſpenſiva, an verò tanquam modus, ſive conditio non ſuſpenſiva, tunc hoc poſterius præſumi debet, ac proinde matrimonium ſtatim validum erit, conditio verò pro non adjecta cenſebitur. Niſi certò conſtet, aliquem nullo modo voluiſſe abſolutè contrahere matrimonium, ſed ſolùm ſub conditione impoſſibili, tunc enim veritas prævalet præſumptioni, & hæc illi cedere debet, quia Eccleſia non poteſt ſupplere conſenſum ad ſubſtantiam matrimonij requiſitum, *Laym. cit. c. 7. n. 12.*

§. VI.

De conditionibus appoſitis in aliis contractibus.

XXXIII. De his agitur in ſecunda parte hujus Rubricæ, & inprimis in *c. Cùm ſit 2. h. t.* ubi talis caſus proponitur: Quidam Diaconus manumiſit duo mancipia, ſub hac conditione, ſeu modo, ut Monachi fierent, & in eo Monaſterio, ubi ipſe fuerat (ſcilicet Diaconus Clericus miniſtrans, non Monachus,

Digitized by Google

» Monachus, *Hoſtienſ. hic V. Fuerat*) permanerent, » adijciens, ut ſi quis contrà faceret, iterum ſervi- » tuti ſubjiceretur. Cùm autem unus ex illis, » contemptâ conditione, Monaſterium deſeruiſſet, » & Clericis (ſæcularibus) ſe junxiſſet; conſultus » ſuper hac re Papa Gregorius reſcribit Epiſcopo » Diœceſano, ut ſi ita eſſe reperetur, ſic ſe exhibeat, » ut nec Monaſterium deſerat, nec voluntas manu- » mittentis prætereatur.

Ubi notandum 1. Servus poteſt mammitti, ſub ea conditione, ſeu modo, ut fiat Monachus, vel Clericus, *Abb. hic n. 5.* 2. quando hîc in fine dicitur, *quod voluntas manumittentis non valeat prætereri*, ut ſcilicet iſti ſervituti iterum ſubijciantur, ſi in Monaſterio non permaneant, id intelligendum eſt, ante profeſſionem, nam iſti fuerunt manumiſſi ſub conditione, ſeu modo, ut fierent Monachi, aliàs reinciderent in ſervitutem priſtinam, quod referri debet ad tempus ante profeſſionem, quia poſt profeſſionem, non poſſunt tranſire ad Clericos ſæculares, ſed nolentes coguntur permanere in Monaſterio, & hoc ipſo obſervant voluntatem manumittentis. *Abb. hic in fine.*

XXXIV. Præterea in *c. Verùm 4. h. t.* ſtatuitur, » ut ſi alicui Eccleſiæ poſſeſſio v. g. prædium, ſub » aliqua conditione, id eſt, ſub modo donetur, à » donatore poſtea donum revocari non poſſit: niſi » tali conditione, ſeu pacto ſit collatum, quòd eâ » ceſſante debeat revocari; tunc enim ſi non fiat, quod convenit, donatio revocatur, *Gl. hic in Caſu.* Ratio deciſionis eſt, quia modus adjectus donationi factæ Eccleſiæ, non eſt principalis cauſa finalis talis donationis, quippe quæ cenſetur principaliter facta in honorem DEI, & pro ſalute animæ ſuæ, aut remedio peccatorum ſuorum; & ſic non poteſt agi ad revocationem donationis, ſed ſolùm ut impleatur, ſeu ſervetur modus appoſitus: niſi ſit expreſſum, ut poſſit revocari, ſi modus non ſervetur, *Gl. fin. hic & Abb. n. 2.* Nam quilibet in traditione rei ſuæ poteſt apponere pactum, & modum legibus non improbatum, *l. In traditionibus. 48. ff. de pact. l. 1. C. de donat. quæ ſub modo &c. 6. Cùm dilecti. 6. de donat.*

XXXV. Pro declaratione hujus c. notandum 1. ſi in fundationibus Eccleſiarum, aut Eccleſiaſticorum Collegiorum, vel beneficiorum, & ſimilium, quæ pietatis, & Divini cultûs cauſâ, inſtituta ſunt, donationi modus adjiciatur, ſtatim valet donatio, etſi modus non ſervetur, neque poteſt agi ad revocandam donationem, ſed ſolùm, ut modus impleatur, niſi id expreſsè in fundatione ſit cautum. Si verò modus adjectus ſit finalis, & principalis cauſa ipſius donationis, rectè agitur ad revocationem ejus, quod donatum eſt, etiamſi nulla adjecta ſit clauſula revocatoria donationis, *l. Cùm te 6. C. de pact. inter empt. & vendit. l. 1. 2. & 3. C. de donat. quæ ſub modo &c. & l. fin. C. de revoc. don.* quia ceſſante cauſâ, ceſſat effectus, *c. Cùm ceſſante. 60. de appell. Caniſ. in cit. c. Verùm. n. 3. h. t.* Itaque in donatione facta Eccleſiæ, ipſamet datio cenſetur cauſa finalis, nempe liberalitas in pium locum collata; modus verò, favore Eccleſiæ, præſumitur cauſa ſolùm impulſiva, *Covarr. libr. 1. var. reſol. c. 14. n. 6.* Ubi ait, quando modus adjectus donationi inducit causam finalem, eo non ſervato, revocatur donatio, *cit. l. Cùm te C. de pact. inter empt. & vendit.* Secus verò, ſi impulſivam cauſam induxerit, tunc enim non revocatur donatio, ſed agitur ad implendum modum, *l. Eà conditione. 14. C. de reſcind. vendit. & ibi Bald. in Summa.* Non cenſetur autem modus cauſa finalis donationis, adeoque nec revocatur, niſi id ſit expreſſum in ipſa donatione, *cit. c. Verùm in fine, Alex. de Nævo ibid. n. 9.*

Notandum 2. Quod dictum eſt donantem Eccleſiæ rem aliquam poſſe apponere modum, id intelligendum eſt, dummodo modus apponatur incontinenti, & in ipſo contractu, nam poſtea, & ex intervallo non poteſt apponi, *juxta l. Unic. §. Accedit; & notat Gl.* ibi *V. Fecerit C. de rei uxor. act. Alex. de Nævo in cit. c. Verùm n. 3.*

Notandum 3. Diſpoſitio hujus cap. intelligi debet de modo, & non de conditione ſtrictè ſumptâ, qui tamen aliquando accipitur etiam pro conditione laxiùs ſumpta, quia modus non ſuſpendit actum, cui apponitur, neque vitiat, ſeu annullat illum, niſi ſit contrarius ſubſtantiæ illius, ſed modificat, ut ſi donetur prædium Eccleſiæ, ſub hac conditione, ne alienetur, tunc favore Eccleſiæ præſumitur eſſe modus, & non poteſt revocari donatio, ſed ſolùm datur facultas agendi ad obſervandum modum: niſi expreſsè ſit additum, ut ſi ceſſet conditio, quia facta eſt alienatio, revocari poſſit donatio, tunc enim apparet conditionem ſtrictè dictam appoſitam eſſe, quæ ſuſpendit actum, ita ut conditione non poſitâ ſit nullus, vel revocari poſſit, *Gl. hic V. Conditione, & V. Debeat, Abb. num. 1. & Alex. de Nævo num. 7. & 8.*

Notandum 4. In donatione facta Eccleſiæ ea lex, ſeu conditio apponi poteſt, ut non liceat Eccleſiæ rem donatam alienare, & ſi contrà factum fuerit, poſſit illa à donante revocari: id verò non procedit, ſi alienatio facta ſit à ſolo Prælato, quia delictum perſonæ non debet in detrimentũ Eccleſiæ redundare, *Reg. Jur. 76. in 6.* poteſt autem revocari, ſi alienatio facta ſit à Prælato, & Capitulo ſimul, quod procedit in rebus jam acquiſitis Eccleſiæ, non in acquirendis; nam in his etiam factum ſolius Prælati præjudicare poteſt Eccleſiæ, *Abb. hic n. 3. & Alex. de Nævo n. 20. & 21.* Sed de hoc alibi actum.

Digitized by Google

TITVLVS VI.

QUI CLERICI, VEL VOVENTES MATRIMONIUM CONTRAHERE POSSUNT?

Actum eſt in præcedentibus Titulis de matrimoniis puris, ſeu abſoluris, & conditionalibus, quo modo contrahantur, & inter quos: nunc in hoc, & aliquot ſeqq. Titulis agitur de varijs impedimentis, ob quæ matrimonium inter aliquos contrahi non poteſt, & contractum non valet: & in hoc quidem Titulo de duobus impedimentis dirimentibus, uno ratione Sacri Ordinis ſuſcepti, altero ratione voti continentiæ emiſsi.

§. I.

Utrùm Ordo Sacer dirimat matrimonium ſubſequens, & quo iure?

I.

Statvtio 1. Per Ordinem Sacrum, vi delicet Presbyteratum, Diaconatum, & Subdiaconatum, dirimitur matrimonium poſtea initum, prout noviſſimè definitum eſt in Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. de Sacram. matr. can. 9.* Idque probatur 1. *ex c. De Diacono 1. h. t.* Ubi de Diacono, qui in Sabbatho » Sancto vulneravit alium Diaconum, & uxorem » duxit (de facto, quia de Jure non potuit, *Gl. ibi* » *V. cod.*) Conſultus Papa Alexander III. reſpondit, » ſi contritus ad Eccleſiam redire voluerit, dimiſsâ » illâ, quam accepit in uxorem, & abſolutione ob» tentâ, debet ipſi, propter utrumque exceſſum, » ſive delictum, pœnitentia injungi, eâque peractâ, » poterit cum eo diſpenſari, ut Diaconatûs Offi» cium exerceat: & ſi perfectæ vitæ, & converſatio» nis fuerit, etiam in Presbyterum ordinari. Sub» diaconus quoque, ſive homicidium fecerit, ſive » non, matrimonium contrahere non poteſt, ſe» cundùm SS. Canonum Sanctiones, *c. 1. & c. De illo 4. diſ. 32. & c. Cùm in præterito. 3. diſ. 84.* Ubi » ratio redditur, quia condecet ſacros Antiſtites, » & DEI Sacerdotes, nec non & Levitas, (ſeu Dia» conos) & qui Sacramentis Divinis inſerviunt (id » eſt, Subdiaconi, *Gl. ibid. V. Inſerviunt*) conti» nentes eſſe in omnibus, quo poſſint ſimpliciter, » quod à DEO poſtulant impetrare, ut quod Apo» ſtoli docuerunt, & ipſa ſervavit antiquitas, nos » quoque cuſtodiamus. Nam quia in Sacris Ordi» nibus conſtituti ſacra vaſa, & Sacramenta tractant, ac proinde decens ſit, ut munditiam corporalem per continentiam ſervent, idcirco Eccleſia ſancivit, ut nec Diaconus, nec Subdiaconus matrimonium contrahere poſſint, nam quamvis in primitiva Eccleſia non prohiberentur Subdiaconi uxores ducere, ut patet ex *c. 1. diſ. 31.* poſtea tamen ſtatutum fuit, ut etiam ipſi matrimonium contrahere non poſſent, & ut nullus Subdiaconus fieret, niſi qui ſe caſtè victurum promitteret, *cit. c. 1. & c. Subdiaconis. 9. diſ. 32.*

II. Pro explicatione *cit. c. 1. h. t.* notandum 1. matrimonium, poſt ſuſceptum Sacrum Ordinem, contractum eſt irritum, ut habetur hîc, & docet *Sanch. l. 7. De matr. diſ. 28. n. 2.* & alij communiter, quia talis eſt inhabilis ad contrahendum matrimonium. Excipitur 1. niſi quis fuerit promotus ad Ordinem Sacrum, per illatam vim, vel metum cadentem in conſtantem virum, tunc enim non tenetur ſervare continentiam Ordini Sacro annexam, quia hic non obligat ad caſtitatem ex natura rei, ſed ſolùm ratione voti, ex Eccleſiæ Conſtitutione Ordini Sacro annexi, votum autem ſive expreſſum, ſive tacitum, quale ineſt Ordini Sacro, eſt irritum, ſi ob metum cadentem in virum conſtantem fuerit emiſſum, adeoque non obligat, ſed talis matrimonium contrahere poteſt, *c. 1. & c. Cùm delictus 6. de his quæ vi met. cauſ. fiunt, Sanch. l. 7. diſ. 29. n. 5.*

Excipitur 2. qui ſuſcepit Ordinem Sacrum, ſive ante, ſive etiam poſt uſum rationis, ſed ante pubertatem, non obligatur ad votum continentiæ ſervandum, niſi adeptus pubertatem illud ratificet, & conſequenter matrimonium inire poteſt, ut ex probabiliore ſententia docet *Sanch. cit. l. 7. diſ. 30. n. 8.* & alii apud ipſum. Ratio eſt, quia quamvis alioqui impuberes ſimplici voto caſtitatis obligari poſſint, quia tamen facillimè vota illorum diſſolvi poſſunt, & irritari à parentibus, & tutoribus, etiam ſine aliqua causâ, non eſt credendum Eccleſiam velle obligare puerum impuberem voto tanti momenti. Confirmatur, quia votum ſolemne expreſſum in Religione approbata emiſſum non obligat, niſi poſt pubertatem ratificetur, *c. Ad noſtram 8. de Regular.* ergo nec votum ſolemne tacitum emiſſum in ſuſceptione Sacri Ordinis, quia etſi Pontifex in eo diſpenſare poſſit, ſed non niſi difficillimè diſpenſabit, & propter cauſam valde gravem, & publicam, & per illud conſtituitur quis in ſtatu Eccleſiaſtico incompatibili cum matrimonio, *Sanch. c. l.*

Excipitur 3. qui invalidè eſt promotus ad Sacrum Ordinem, quia is irritus fuit, ob defectum ſubſtantialiter requiſitum ad Ordinem, validè contrahit matrimonium, quia non obligatur ad votum con-

Digitized by Google

continentiæ ejus annexum, *Barb. in Collect. in cit. c. 1. h. t. n. 4.* post Gutierez.

Notandum 2. Clericus in Sacris constitutus, si uxorem ducat, fit irregularis, ita ut nec in susceptis Ordinibus ministrare, nec ad superiores Ordines susciendos promoveri possit; potest tamen Episcopus in ea irregularitate dispensare, ut patet ex *cit. c. 1. h. t.* dummodo talis Clericus doleat de peccato suo, & pœnitentiam injunctam peragat, absque scandalum aliorum. *Acor p. 1. Instit. mor. lib. 13. c. 3. q. 6. Sanch. cit. l. 7. disp. 86. n. 6.*

III. Præterea quòd Subdiaconus non possit contrahere matrimonium, statuitur etiam in *c. Ex litterarum 2. h. t.* Nam cùm quidam Subdiaconus quandam sibi in conjugem copulâsset, Episcopus loci eam ut abiuraret, fecit. Quare Pontifex consultus mandat, ut si is ad monasticum Ordinem (seu Religionem) transire voluerit, post laudabilem ipsius conversationem, possit ei concedere, ut ad altiores Ordines promoveatur. Si verò ad Religionem transire noluerit, eum neque in Subdiaconatu ministrare, neque ad altiores Ordines promoveri permittat: in minoribus tamen Ordinibus ministrare poterit.

IV. Notandum 1. Qui in minoribus Ordinibus, seu inferioribus Subdiaconatu sunt constituti, possunt contrahere matrimonium, ut colligitur ex hoc c. quia illud non dirimunt Ordines minores, cùm nullus extet textus, seu Canon id interdicens: imò hoc expressè conceditur in *c. Si quis 7. dist. 32. & c. Siqui verò 3, eâdem dist. & c. 1. de Cleric. conjug. & dictum libr. 3. Tit. 3. n. 5.* Ratio est, quia Ordo, suapte naturâ, non repugnat matrimonio, sed solùm ratione voti, quod Ecclesia suo præcepto ei annexuit: at Ecclesia solis Ordinibus Sacris, seu Majoribus votum castitatis annexuit *c. 1. & c. Diaconi. 8. dist. 28.* Imò Ecclesia non habet potestatem præcipiendi ijs, qui jam Ordinibus minoribus sunt initiati, ut continentiam perpetuam servent, *c. De ijs 5. cit. dist. 28.* qui est desumptus ex Concilio Tolet. *Acor p. 1. libr. 13. c. 13. q. 4. Sanch. l. 7. disp. 31. n. 4.* ubi *n. 5.* addit, quòd etiam ille, qui Ordines minores recipit, credens illis annexum esse solemne votum tacitum continentiæ, non teneatur ad illius observantiam, quia talis non intendebat per se, & principaliter votum castitatis emittere, sed solùm quatenus illud annexum putabat Ordinibus Minoribus, cùm ergo non sit annexum, nullo voto obligatus erit. Nec obstat, quòd juxta *Can. 25.* Apostolorum, Lectores, & Cantores tantùm, si velint, nuptias contrahere possint, ergo Acolythi olim non poterant. Idémque habetur in *c. Lectores. 8. dist. 32.* Sed respondetur, in ijs Canonibus, lectorum, & cantorum appellatione contineri omnes Clericos minores, seu inferiores Subdiacono, *Acor c. l. q. 4.* in fine, neque excludi duos alios minores Ordines, sed includi, quia in illis est eadem omnino ratio; & dictio taxativa *tantùm* ita excludit extranea, & dissimilia, ut includat omnes casus similes, in quibus est eadem ratio, ut ex Everhardo tradit *Sanch. cit. disp. 31. n. 6.*

V. Notandum 2. Quando hîc dicitur, quòd Episcopus potest dispensare cum Clerico in Sacris constituto contrahente matrimonium, id intelligi debet, si cum unica, eâque virgine contraxerit; secus, si cùm vidua, aut corrupta, vel quando Clericus in Sacris binas nuptias contraxit, juxta *c. Nuper 4. & c. ult. de bigamis non ordin.* Nam quamvis *c. Sanè 4. de Cleric. conjug. & c. 1. & 2. h. t.* non exprimant, quando cum virgine, & unica est initum matrimonium: tamen ita necessariò intelligenda sunt, ne adversentur duobus capp. suprà citatis, in quibus negatur in his casibus dispensari posse, *Sanch. l. 7. de matr. disp. 86. n. 20. Barb. in Collect. in c. 2. n. 4. h. t.* Nec obstat, quòd in *cit. c. 2. h. t.* solùm conceditur Episcopis facultas dispensandi cum his Clericis, quando verè pœnitentes sunt, ac Ordinem Religiosum ingrediuntur: quia id intelligi debet de consilio, non ex præcepto, nam jure suo Episcopus potest dispensare cum talibus Clericis, juxta *c. Sanè 4. de Cleric. conjug. & c. 1. h. t. Gl. in cit. c. 2. V. In subdiaconatu h. t. & Alex. de Nævo ibid. in fine, Sanch. c. l. n. 20.*

VI. Assertio 2. Multò probabilius, ac verius est, solo jure Ecclesiastico, seu Constitutione Ecclesiæ per susceptionem Ordinis Sacri dirimi matrimonium subsequens, non jure naturali, vel Divino, ut docet *Sanch. l. 7. disp. 28. n. 11. & alij* apud ipsum. Idque probatur 1. quia Ecclesia Clericos initiatos Sacris Ordinibus reddit inhabiles ad matrimonium, sicut consanguineos in secundo, & ulterioribus gradibus, usque ad quartum, nam etsi congruum, & decens sit, ut Clerici in Sacris constituti castè vivant, non tamen ijs Jure Divino matrimonium est interdictum, cùm tale præceptum nullibi reperiatur: idque ex eo patet, quia per Ordinem Sacrum non fit totalis traditio hominis ipsi DEO, sed ad cultum DEI, & divinum Officium, cui non repugnat matrimonium jure Divino, nec jure naturali, cùm per se licitus sit usus matrimonij, & permissus Sacerdotibus Græcis, quando matrimonium est ante Ordines Sacros initum: at si Sacer Ordo repugnaret matrimonio, dirimeret matrimonium ratum præcedens, sicut professio solemnis, quod dici non potest, ut ex infrà dicendis patebit. Sed neque Jus Divinum, nec Apostolicum præceptum extat prohibens, ne ad Sacros Ordines assumantur, nisi illi, qui nullo antè matrimonio fuerint conjuncti, quia Paulus 1. *ad Tim. 3. & ad Tit. 1.* scribit, *Oportet Episcopum esse unius uxoris virum*, quamvis usus conjugij Sacerdotibus sit interdictus in *Epist. Clementis 2. Sanch. cit. l. 7. disp. 27. n. 5. & 6.* Deinde idem probatur, quia votum continentiæ perpetuæ annexum Ordini Sacro non est per se, ac ex naturâ suâ solemne, sicut votum professionis Religiosæ, sed peraccidens solùm, & extrinsecè, quoad effectum dirimendi matrimonium, quia solo statuto Ecclesiæ reddit personas inhabiles ad matrimonium, juxta *c. Un. de voto in 6.* Neque enim Sacro Ordine initiatus offert se ad castitatem servandam, per se, ac principaliter, sed ad Ministerium Sacrorum Ordinum, *Sanch. cit. disp. 27. n. 17.* Porro *in c. Unic. de voto in 6.* æquiparantur solemne votum Ordinis Sacri, & Professionis, quoad hoc, quòd utrumque matrimonium subsequens dissolvat, non autem quoad jus, quo id competit, sive est inductum: & quia solùm peraccidens, & extrinsecè votum Sacri Ordinis est solemne, ideo non habet ex se, ut dirimat matrimonium, sicut votum professionis, sed solùm ex constitutione Ecclesiæ, *Sanch. cit. disp. 28. n. ult.*

Digitized by Google

VII. Cæterùm quod dictum eſt per Ordinem Sacrum dirimi matrimonium poſtea ſubſequens, non autem priùs contractum, etiamſi carnis copulâ non ſit conſummatum, ſtatuitur in *c. Antiquæ unic. in Extrav. Ioann. XXII. De voto*, de quo dictum ſuprà *lib. 3. Tit. 32. §. 12. n. 60.* Sed quia ea Conſtitutio Extravagans poſita in Titulo XXXIV. *De voto*, propriè ad hunc Titulum pertinet, ideo illam hoc loco magis declarabimus, & quæ in illa continentur, proponemus.

Et inprimis quòd per ſuſceptionem Sacri Ordinis impediatur matrimonium contrahendum, ita ut validè contrahi non poſſit, probatur ex eo, quia eo ipſo, quòd quis Ordinem Sacrum ſuſcipit, etiamſi verbotenus id non exprimatur, cenſetur votum caſtitatis emiſiſſe, quia ex Conſtitutione Eccleſiæ illud eſt Sacris Ordinibus annexum, ideòque inhabilis redditur ad matrimonium contrahendum, *cit. Extrav. un. & c. Un. de voto, in 6.* Non tamen per ſuſceptionem Sacri Ordinis irritatur matrimonium præcedens, etiam non conſummatum, quia nec Jure Canonico, nec Jure Divino id reperitur ſtatutum, *cit. Extrav. unic. & ibi Gl. V. Contrahendum*: & ideo quamvis matrimonium per carnis copulam non conſummatum, per ingreſſum Religionis alterius conjugum diſſolvatur, non tamen diſſolvitur per Ordinem Sacrum à remanente in ſæculo ſuſceptum, quia ingreſſus in Religionem eſt mors ſpiritualis, quo ingrediens ſæculo moritur, & vivit DEO: qualis mors non eſt ſuſceptio Sacri Ordinis, neque etiam totalis traditio ſui, ut ſuprà dictum, *Hoſtiens. in ſumma Tit. de converſ. Conjug. §. Et Utrùm. Vivian. in cit. Extrav. Antiquæ de voto.*

VIII. 1. Statuitur in *cit. Extravag. Antiquæ*, ut nullus, durante matrimonio, etiam nondum conſummato, præſumat recipere aliquem de Sacris Ordinibus, niſi prout SS. Canonibus convenit (nempe de licentia uxoris Religionem ingredientis, vel etiam in ſæculo remanentis, & votum caſtitatis emittentis, ſi non ſit ſuſpecta de incontinentia, *Gl. hîc V. Noveris convenire* (alioquin diſſoluto etiam matrimonio, nec in illo miniſtrare, nec ad Superiores Ordines aſcendere poterit, niſi aliquam ex Religionibus approbatis ingrediatur, & ejus Regulam expteſsè, vel tacitè profiteatur, *Sanch. l. 7. diſ. 49. n. 2. & alij* apud ipſum. Ratio eſt, quia cùm talis ſit coniugatus, adeoque teneatur reddere debitum coniugale uxori, non poteſt licitè ſuſcipere Ordinem Sacrum, ob quem tenetur ſervare caſtitatem, *c. Lex continentiæ 10. diſ. 31.* Sed neque talis coniugatus ad beneficium, vel Officium Eccleſiaſticum etiam modicum promoveri poteſt, *cit. Extrav. un. & ibi Gl. V. Nec ad aliquod* Idque procedit, ſive diſſolvatur matrimonium per mortem, ſive per Ingreſſum in Religionem alterius coniugis, ante conſummationem, quia textus indiſtinctè, & generaliter loquitur, *Gl. hic V. Nec matrimonio ſoluto.*

IX. An autem Ordines minores recipere poſſit talis coniugatus, dubitatur? Affirmant nonnulli, quia his Ordinibus non eſt annexa continentia: ſed contrarium eſt probabilius, quia quamvis *cit. Extrav.* loquatur ſolùm de Sacris Ordinibus: tamen regulariter prohibetur coniugatus promoveri etiam ad Ordines minores, *c. fin. de temp. Ordin. in 6.* Nam quamvis Ordinibus minoribus non ſit annexa continentia, & ideo ex hac parte, non repugnet eos recipere poſt coniugium: repugnat tamen propter ſpecialem Juris prohibitionem, *Sanch. l. 7. diſ. 38. n. 10.* Nec argumentum à contrario ſenſu vim habet, quando inde alterius juris correctio reſultat, *Barbos. in cit. Extrav. unic. n. 5.*

X. Præterea ſiquis poſt matrimonium ratum, & non conſummatum, initiatus Ordinibus Sacris, unam ex Religionibus approbatis Canonicè ingrediatur, ejúsque Regulam expreſſè, vel tacitè profeſſus fuerit, hoc caſu, Epiſcopus Diœceſanus cum eo diſpenſare poterit (ſcilicet ut in eam ſuſcepto Ordine miniſtrare, & ad altiores Ordines aſcendere, & ad beneficium, & Officium Eccleſiaſticum promoveri poſſit) *cit. Extravag. unic. & ibi Gl. V. Diœceſanus, & V. Singulis præmiſſorum*, niſi aliud Canonicum impedimentum obſiſtat, nempe irregularitas, vel delictum, *Gl. hîc V. Quod obſiſtat.*

XI. 3. Additur in *cit. Extrav. un.* in fine, quòd talis coniugatus ſic ordinatus (ſcilicet, initiatus aliquo ex Sacris Ordinibus) inſtanter monendus eſt per Epiſcopum Diœceſanum, & inducendus, ut Religionem ingrediatur, ſi matrimonium nondum ſit conſummatum (quia per ingreſſum Religionis diſſolvitur matrimonium nondum conſummatum, *c. 2. De converſ. coniug.*) Ex quo ſequitur, quòd vir, absque expreſſa, & ſpontanea licentia uxoris, ad Sacros Ordines promotus, ſi matrimonium nondum eſt conſummatum, non tenetur Religionem ingredi, cùm Pontifex in dicta Extrav. tantùm hortetur ad ingrediendum, & non præcipiat, *Sanch. l. 7. diſ. 38. n. 18.* Quòd ſi renuerit ingredi ipſe, & ſponſa ejus inſtiterit, ut ingrediatur, per cenſuram Eccleſiaſticam, (ſuſpenſionis, excommunicationis, vel interdicti) compellendus eſt contractum matrimonium conſummare, nempe per copulam carnalem. Et ita patet ſic ordinatum poſſe renuere, *Sanch. cit. loc. n. 18.* quia non poteſt abſolutè cogi ad ingreſſum Religionis, voluntarium enim militem ſibi eligit DEUS, non coactum, *c. Non eſt, 10. cauſ. 15. q. 1. Gl. hîc V. Renuerit.*

XII. Prædictis addendum, nunquam permiſſum fuiſſe, non ſolùm in Eccleſia Latina, & Occidentali, ſed neque in Eccleſia Græca & Orientali Sacro Ordine initiatis matrimonium inire, nam in *c. Si quis 7. diſ. 32.* de Eccleſia Græca dicitur: *Si quis eorum, qui ad Clerum accedunt, voluerit nuptiali jure mulieri copulari, hoc ante Ordinem Subdiaconatûs facias.* Idémque habetur in *c. Erubeſcant 11. diſt. 28. Silveſt. in ſumm. V. Matrimonium 8. q. 12. Verſic. Sextum, Azor. p. 1. Inſtit. lib. 13. c. 13. q. 5. Sanch. l. 7. diſ. 28. n. 3.* Et de Eccleſia Latina conſtat ex *c. Presbyteris 8 diſ. 27. & c. Determinus 2. diſ. 28. Azor cit. libr. 13. c. 12. q. 3. Sanch. & l.* Porro hoc eſt diſcrimen inter Græcos, & Latinos in Sacris Ordinibus conſtitutos, quòd illis licuit, poſt matrimonium initum, Sacros Ordines ſuſcipere, & uti matrimonio antea contracto, quod Latinis eſt interdictum, ut conſtat ex *c. Cùm olim. 6. de Cleric. coniug. & dictum ſuprà lib. 3. Tit. 3. §. 2. n. 9.* Et Græcis quidem cor. ceſſus fuit uſus matrimonij, ante ſuſceptum Sacrum Ordinem initi, extra illud tempus, quo Miniſterio Altaris deſervire debent ex lege, vel ex conſuetudine, ut tradit *Azor cit. l. 13. c. 13. q. 1. Sanch. cit. diſ. 28. num. 5.*

§. II.

§. II.

An, & quo iure votum ſolemne caſtitatis per profeſſionem matrimonium poſtea initum dirimat, & an etiam votum ſimplex caſtitatis impediat matrimonium, idque dirimat?

XIII. Assertio 1. Votum ſolemne caſtitatis per profeſſionem in Religione approbata emiſſum dirimit, ſeu irritum reddit matrimonium ſubſequens, ſeu poſtea initum, prout definivit *Concil. Trident. ſeſſ. 24. de Sacram. matr. can. 9.* ubi dicitur: *Si quis dixerit, Clericos in Sacris Ordinibus conſtitutos, vel Regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos poſſe matrimonium contrahere, contractúmque validum eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſticâ, aut voto, anathema ſit.* Idque ſtatuitur etiam ex *c. Meminimus. 3. h. t.* Ubi Papa Alexander III. ita reſcribit: » ſi quis ſe Religioni devo- » vit, & habitu ſuſcepto, profeſſionem fecit, ſed » poſtea aliquam ſibi matrimonio copulavit, com- » pellendus eſt eam deſerere, & ad Monaſterium » redire: ſi verò nec habitum ſuſcepit (maximè, quia » ſolus habitus Monachum non facit, *Gl. hic V. Nec » habitum*) nec profeſſionem fecit, ſed ſolùm vo- » tum edidit ingrediendi Religionem, licèt poſtea » matrimonium contraxerit, non eſt cogendus ad » Religionem tranſire, & matrimonium reſcindere.

XIV. Ex quo patet, quòd votum ſolemne Religionis per profeſſionem expreſſam, vel tacitam emiſſum impedit, & dirimit matrimonium poſtea contractum: ſimplex verò votum (quale eſt votum tranſeundi ad Religionem, ut in caſu hujus cap.) impedit quidem matrimonium contrahendum, facítque, ut ſit illicitum, quia violatur votum contra illud *Pſal. 75. Vovete, & reddite Domino DEO veſtro.* Sed non irritum reddit matrimonium contractum, quia multa facta tenent, quæ fieri prohibentur, *c. Quemadmodum. 25. de iureiur.* Quare licèt vovens ſe ingreſſurum Religionem debeat compelli ad intrandum, *c. Porrectum. 13. de Regular.* ſi tamen, antequam ingrederetur, contraxit matrimonium, non debet cogi ad dimittendam uxorem, quia per vinculum matrimonij ſuperveniens, quod eſt fortius, tollitur prius votum ſimplex ingrediendi Religionem, *Abb. hic n. 2.* Ratio autem, cur votum ſolemne caſtitatis editum per profeſſionem Religionis reddat irritum matrimonium ſubſequens, eſt, quia cùm per tale votum Religioſus ſe, ſuúmque corpus DEO in Religione publicè, & ſolemniter offerat, & tradat, æquum fuit, ut Eccleſia tale impedimentum dirimens eidem profeſſioni adjiceret, ne Religioſi poſſent pro libitu ex ſtatu perfectiore, in quo ſe ſtabiliter DEO obligârunt, ad ſtatum imperfectiorem deſcendere, & ne ſcandala publica orirentur, ſi prior fides DEO data violaretur, *Sanch. l. 7. de matrim. diſ. 26. n. 1.* Aliud eſt de voto ſimplici, ut infrà dicetur.

XV. Assertio 2. Votum ſolemne caſtitatis editum in Religione, non jure Divino, & naturali, ſed ſolo jure Eccleſiaſtico matrimonium ſubſequens irritum reddit, ut ex probabiliore ſententia docet *Sanch. l. 7. diſ. 26. n. 4. in fine, Coning. diſ. 31. de Sacram. dub. 6. n. 67.* & alij. Ratio eſt, quia votum ſolemne caſtitatis non irritat matrimonium ſubſequens, quatenus votum eſt, alias omne votum etiam ſimplex irritaret, quod falſum eſt, ergo irritat tantùm, quatenus ſolemne eſt, atqui ſolemnitas voti eſt tantùm Jure Eccleſiaſtico inducta, *c. Un. de voto, in 6. Sanch. c. l.* ubi alias plures rationes adfert.

XVI. Præterea quòd votum ſolemne caſtitatis etiam per profeſſionem tacitam emiſſum impediat, ac dirimat matrimonium poſtea contractum, probatur ex *c. Inſinuante 7. & ult. h. t.* Nam cùm quidam » Curiales Regis Legionenſis eidem ſupplicâſſent, ut » J. Nobilis mulier cuidam viro, auctoritate regiâ, » matrimonio copularetur: ſed etſi tunc ipſa nubere » noller, ex conſilio quorundam, votum caſtitatis » emiſit in manibus cujusdam ex Fratribus S. Augu- » ſtini, eo tenore, ut in domo propria, cum omni » ſubſtantia ſua, ac bonis, remaneret: & ſic in habi- » tu ejusdem Ordinis poſtea per biennium perman- » ſit, aſſerens ſe non tam metu regio, quàm paren- » tum, invitam, ac coactam id feciſſe. Tandem con- » ſiderans, quòd invita votum emiſerit, depoſito ha- » bitu, matrimonium cum P. de parentum conſilio, » publicè contraxit ex quo quatuor filios, proce den- » te tempore, ſuſtulit. Conſultus Pontifex Innocen- » tius III. reſcripſit, cùm in emiſſione voti, quod » præceſſit, nulla, vel modica coactio intervenerit, » quam etiam pœnitentia, & permanentia ſequentis » temporis penitus profugavit: quin potiùs ſequens » conjunctio, ſeu copulatio iniqua fuit, & violenter » extorta: ideo mandat, ut ſi hæc ita ſint, prædictam » mulierem monent ad reaſſumendum habitum » Religionis illicitè dimiſſum, & ad ſervandum, » quod vovit, inducant, & ſi opus fuerit, per cenſu- » ram Eccleſiaſticam compellant. »

XVII. Pro declaratione hujus cap. notandum 1. non eſt petenda uxor à Principe, porrigendo ei ſupplicationem pro accipienda uxore, *c. Nullus. 6. cauſ. 36. q. 2.* quia matrimonia debent eſſe libera, *c. Cùm locum. 14. de ſponſal. & in hoc c.* narratur ſolùm factum, ſed non approbatur. Unde in *Concil. Trident. ſeſſ. 24. c. 9. de reform. matr.* prohibetur, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, ne Domini, & Magiſtratus cogant directè, vel indirectè, minis, & pœnis ſubditos ad certa matrimonia contrahenda cum certis perſonis, cùm maximè ne farium ſit matrimonij libertatem violare, *Fagn. hic n. 4.*

Notandum 2. Per metum provenientem ex Imperio Principis non irritatur votum, vel matrimonium, quia hîc coactio hujuſmodi dicitur modica, vel levis, levis autem metus non impedit libertatem conſenſûs, *c. Cùm dilectus. 6. de ijs quæ vi met. fiunt*, ſicut nec imperium parentum, ut patet etiam ex hoc *c. Gl. hic V. Metu Regio: niſi* Rex conſueviſſet tyrannicè tractare non obtemperantes ſuis præceptis, aut precibus, vel niſi acceſſerint minæ, vel parentum verbera, *Fagn. hîcn. 8. & 9.*

XVIII. Notandum 3. Votum ſolius continentiæ, ſeu caſtitatis, & ſic unius tantùm ex ſubſtantialibus, ſi emittatur in ordine ad certam regulam approbatam, & in manibus habentis poteſtatem incorporandi Religioni, ſive in illam admittendi, ſolemni-

zatur, seu fit solemne, & veram professionem inducit, adeo ut obliget ad omnia substantialia regulæ, ut notat *Gl. hic V. Quod in manibus*, *Abb. not. 2. & Alexand. de Nævo not. 5.* Ubi tamen ulteriùs distinguendum est cum Fagnano *hic n. 11. & aliquot seqq.* Interdum vovens castitatem assumit habitum certæ regulæ, animo profitendi, & servandi omnia substantialia; & tunc valet ingressus in Religionem, & votum fit solemne quoad omnia, etiam alia duo vota Religionis, dummodo vovens, post susceptum habitum Religionis, per annum in probatione steterit, post *Concil. Trident. sess. 25. c. 15. de Regular.* Interdum vovens castitatem intendit, & protestatur, se velle obligare se ad solam continentiam, non autem ad alia substantialia regulæ, videlicet ad paupertatem, & obedientiam, & tunc si intendit esse membrum Congregationis, seu Monasterij, non valet talis protestatio, & tenet ingressus. Sin autem non intendat esse de Congregatione, seu Collegio Monachorum, seu Regularium, sed seorsim habitare velit, tunc obligatur voto castitatis, sed bona retinet quoad proprietatem, quia hoc casu votum castitatis non est solemnizatum, seu solemne, nec alia vota, ita ut dirimat matrimonium postea contractum, quia ad hoc requiritur professio expressa, vel tacita, quæ necessariò includit tria vota substantialia Religionis, juxta *c. Un. de voto in 6.* Si verò dubitetur de mente volentis castitatem, an se voluerit obligare ad reliqua vota substantialia; tunc si votum castitatis emittat in claustro: & post assumptum habitum Religionis, censetur omnia emisisse, & solemnizatum est votum castitatis, etiam quoad reliqua, modò annus probationis præcesserit, juxta Decretum *Trident. c. 1.* Quòd si votum castitatis emittatur, extra Monasterium, seu Religionem, & habitu non suscepto, quamvis in ordine ad certam regulam habentem tria substantialia vota, talis obligatur tantùm ad votum continentiæ, quod non est solemne sed simplex, nec dirimit matrimonium postea contractum, *c. Consuluit. 4. h. t.* Denique si quis, post votum castitatis emissum, quoad certam regulam approbatam, etiam extra claustrum, ac in domo propria, habitum professionis assumat à potestatem habente, censetur professionem emittere, & obligatur ad omnia substantialia, juxta hanc Decretalem. *Fagnan. hic n. 15. & 16.*

XIX. Notandum 4. Professio fieri potest, etiam in manibus privati Religiosi alicujus Monasterij, dummodo is habuerit ad hoc speciale mandatum à Superiore, & Conventu, vel Abbas, & Conventus postea id ratum habuerit, ut patet ex hoc c, ibi: *In manibus cujusdam Fratris S. Augustini*, *Abb. ibid. not. 1. & Alex. de Nævo not. 3.*

Notandum 5. Per professionem tacitam dirimitur matrimonium postea contractum, etiamsi plures ex eo filij sint progeniti, ut patet ex hoc c, ibi: *de quo filios susceperit*, quia proles, & numerus liberorum non confirmat, nec validum reddit matrimonium aliàs nullum, licèt quandoque det causam justam dispensandi, *Petr. Ancharan. apud Fagn. hic num. 19.*

Notandum 6. Metus illatus, tempore emissionis voti, purgatur postea per patientiam, & perseverantiam in delatione habitûs regularis, quia præsumitur novus consensus, ut colligitur ex verbis illis, *penitus profugavit Alex. de Nævo hic num. 5.*

XX. Notandum 7. & ultimò, potest Religiosus licitè retinere bona sua, quoad usumfructum, vel usum, seu administrationem, cum licentia Superioris, & dependenter ab ejus voluntate, prout intelligit, & expendit *Gl. hic V. Ut in domo in. 2. expositione & Abb. n. 5.*; illa verba hujus cap. *emisit votum, eo adjecto tenore, ut in domo propria, cum omni substantia sua, remaneret.* Atque ita intelligi debet pactum illud retinendi res suas in propria domo, quod fecit mulier illa, de qua fit mentio in *c. fin. h. t.* nempe quòd sibi usum solum sibi reservârit, pro suis necessitatibus, cum licentia Superioris, & ad ejus nutum revocabilem, nam talis professio valet, nec conditio, seu pactum tale rejicitur. Secus est, si quis professetetur, sub ea conditione, vel pacto, ut sib liceret acquirere, vel retinere bona immobilia, tanquam propria, & independenter à facultate Superiotis, talis enim professio foret nulla, & irrita, quippe contra essentiam, & substantiam Religionis, & omnino repugnans voto paupertatis, *Sanch. l. 5. in præcepta Decalog. c. 5. n. 97. & l. 7. d. matrim. dis. 25. n. 21.* & alij apud *Barbos. in Collect. in cit c. fin. n. 2. h. t.*

Neque verò hîc dici potest, ideo valuisse professionem illius mulieris, quia in Ordinis habitu per biennium perseveravit, & ideo tacitè fuit professa, & voluit saltem tacitè abdicare bonorum proprietatem, ut nonnulli explicant hunc locum: sed communiter reprobatur, prout videre est apud Barbos. *in cit. c. ult. n. 3.* quia licèt susceptio habitûs Religionis, cum perseverantia in illa per biennium, merum illatum purgaverit, non tamen tacitus ille consensus prævalere potuit contra expressum de manendo in domo propria cùm omni sua substantia. Itaque ideo solùm valida fuit illa professio, quia mulier illa mansit extra claustrum, cum omni sua substantia, ex licentia Superioris, ita ut revocari ad claustrum potuerit ad nutum illius, ut dictum.

Atque hæc procedunt de jure antiquo, sed hodie Jure novissimo *Concilj Trident. sess. 24. c. 2. de reform.* statutum fuit, ne deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem, aut commendam, *Barb. incit. c. ult.* Quamvis *Navarr. in Comment. de Regular. in c. Non dicatis. 11. caus. 12. q. 1. n. 47.* arbitretur, Concilium ibi non prohibuisse administrationem peculij concessam Regularibus, cum facultate disponendi in usus licitos ad nutum Superiorum, quod tamen fusè refellit idem *Fagnan. in c. 2. de status Monach. n. 2. & plurib. seqq.*

XXI. Sed jam hîc oritur alia quæstio, an, & quando susceptio habitûs Regularis impediat matrimonium contrahendum? De hac re agitur in *c. Consuluit. 4. h. t.* Nam cùm quædam nobilis mulier, mutato habitu, de manu Præsbyteri velum accepisset, ita tamen ut nec renunciârit proprijs, nec intrârit claustrum, nec in manu alicujus Episcopi, vel Abbatis, aut Abbatissæ, vel super Altari professa sit, vel obedientiam promiserit, postea verò elapso anno, abjecto Religionis habitu, alicui nobili viro nupsit, seu matrimonium cum eo contraxit. Unde quæritum fuit, an matrimonium contractum teneat? Respondet Papa, quòd sicut simplex votum impedit matrimonium contrahendum, sed non dirimit

Digitized by Google

» dirimit jam contractum: ita habitus ſine pro-
» feſſione ſuſceptus impedit, ne matrimonium con-
» trahatur, ſed non diſſolvit jam contractum.

XXII. Pro explicatione hujus cap. notandum 1. ſuſceptio habitûs profeſſorum, ſine profeſſione, extra Monaſterium, non dirimit matrimonium poſtea contractum, ſed impedit contrahendum, quia ſuſceptio habitûs extra Congregationem continet in ſe votum ſimplex caſtitatis, & ideo impedit matrimonium contrahendum, ſed non dirimit contractum, *Alex. de Nævo hic n. 6. not. 3.* Nam etſi ſuſceptio habitûs profeſſorum in ætate legitima inducat tacitam profeſſionem, *c. pen. de Regular. & c. 1. in princ. eod. in 6.* Id tamen intelligendum eſt, dummodo hujusmodi habitus aſſumatur, intra clauſtrum, ſeu Congregationem, ſi enim ſuſcipiatur extra Monaſterium, vel Religionem etiam de manu ejus, qui poteſtatem habet incorporandi, ſeu admittendi ad Religionem, per talem ſuſceptionem habitûs non inducitur tacita profeſſio, nec votum ſolemnizatur, & conſequenter nec dirimitur matrimonium poſtea contractum, ut patet ex hoc cap. Nam ideo validum fuit matrimonium ab iſta muliere nobili contractum, quia aſſumpſit habitum, nulla facta profeſſione expreſſa, vel tacita; nec ejus votum fuit ſolemnizatum, quia velamen quidem profeſſionis, & ſic habitum profeſſatum aſſumpſit, ſed proprijs non renunciavit, nec clauſtrum intravit, nec profeſſa eſt in manu alicujus, aut ſuper Altare, nec obedientiam promiſit, ut dicitur in textu. Nam quòd habitus profeſſionis ſuſceptus, extra Monaſterium, non faciat, ſeu conſtituat Monachum, conſtat ex *c. Ut Clerici. 3. de Regular.* quod non corrigitur, ſed potiùs confirmatur per *cit. c. Conſuluit, h. t.* & tradit *Fagn. hic n. 5.* Neque in hoc c. requiritur, vel attenditur, an tradens habitum habeat, vel non habeat poteſtatem incorporandi Religioni, ſed hoc ſolùm ponderatur, an iſta mulier ſuſceperit ſolum habitum, ſine profeſſione; an verò etiam promiſerit aliquid ex ſubſtantialibus Religionis, ut obedientiam, vel aliud quid ad ſubſtantiam illius pertinens, *Alex. de Nævo hic n. 10.* Non obſtat *c. Vidua. 4. de Regular.* quia in illo c. mulier illa immiſcuit ſe actui, qui à ſolis profeſſis exerceri conſuevit, ideòque cenſebatur tacitè profiteri, quia concurrerunt ea, quæ ad tacitam profeſſionem requiruntur, de quo dictum ſuprà *l. 3. Decret. Tit. 31. n. 112. & 2. ſeqq.* At verò in hoc cap. mulier illa ſolùm ſuſcepit habitum profeſſorum extra Monaſterium, neque exercuit actum aliquem, per quem videri poſſet tacitè profeſſa. Non obſtat etiam *c. Porrectum. 13. de Regular.* ubi dicitur, quòd valet profeſſio facta ſine ſuſceptione habitûs Religionis: quia illud loquitur, quando intervenit expreſſa profeſſio. Nec denique obſtat *c. Sicut. 17. de Regular.* quia illud c. præter habitum requirit profeſſionem: & ſic illa jurà nil faciunt contra communem intellectum ſuprà allatum hujus cap. *Alex. de Nævo hic n. 10.*

XXIII. Notandum 2. Quando aſſumitur habitus profeſſorum, extra clauſtrum Monaſterii, cum promiſſione alicujus ex ſubſtantialibus regulæ, tunc votum ſolemnizatur, ſeu fit votum ſolemne, ita ut impediat, & dirimat matrimonium poſtea contractum: quando verò ſuſcipitur habitus profeſſorum, extra clauſtrum, ſed non promittitur aliquod ex ſubſtantialibus regulæ, hoc caſu, non inducitur tacita profeſſio, quantocunque tempore habitus defertur, nec dirimitur matrimonium poſtea contractum; ſed inducitur tantùm votum ſimplex, quod impedit matrimonium contrahendum, ut dicitur in hoc c. quia ex quo mulier, de quâ ſit ibi mentio, habitum profeſſorum ſuſcepit, quantum in ſe fuit, videtur voluiſſe vitam mutare, & obſervare continentiam, & ideo impeditur matrimonium contrahere. Et iſta eſt communis expoſitio, telle *Alex. de Nævo hic n. 13. in caſu 3. Fagn. hic n. 6.*

XXIV. Assertio 3. Votum ſimplex caſtitatis impedit quidem, ne matrimonium licitè iniri poſſit, non tamen dirimit poſtea initum, ſed tale matrimonium validum eſt, non obſtante voto ſimplici caſtitatis, prout ſumitur ex *c. Rurſus. 6. h.t.* Nam » cùm quidam votum caſtitatis (ſimplex) emiſiſſet, » poſtea juravit, ſe quandam in uxorem ducturum: » unde quæſtum fuit, utrum iſtorum eſſet ſervan- » dum, votum, an juramentum? Reſpondet Papa » Cæleſtinus III. quòd cùm ſimplex votum apud » DEVM non minùs obliget, quàm ſolemne, ob » id, quod temerè juravit, pœnitentiam agat: & vo- » tum, quod DEO fecit, ſtudeat obſervare. Si verò » poſtquam juravit, motu proprio, matrimonium » contraxit, illud tenet, ac valet, cùm votum ſim- » plex impediat matrimonium contrahendum, non » tamen dirimat jam contractû. Prout etiam habe- » tur in *c. Conſuluit. 4. eod.* & dictâ ſuprà. Ratioeſt, tum quia per votum ſimplex caſtitatis non fit traditio proprii corporis in alium, ſed ſolùm fit promiſſio de traditione facienda: cùm ergo dominium rei promiſſæ maneat penes voventem, ſi poſtea vovens per initum matrimonium corpus proprium tradat alteri, illicita quidem eſt talis traditio, quia contra fidem datam fit, eſt tamen valida, quippe facta à vero domino ſui corporis. Tum quia, qui votum ſimplex caſtitatis emittit, propriè non mutat ſtatum, nec magis ſe ſubjicit Eccleſiæ, quàm antea ſubjectus erat: & ſæpe ſine magna deliberatione, & privatim abſque teſtibus hujusmodi vota fiunt, ideo non expediebat, ut Eccleſia hujusmodi matrimonia, poſt votum ſimplex caſtitatis inita irritaret, licèt abſolutè potuiſſet, *Sanch. l. 7. de matrim. diſ. 11. n. 4.*

XXV. Ubi pro explicatione hujus *c.* notandum 1. quòd votû ſimplex, & ſolemne non differunt per ſe, & ex natura voti, vel Jure Divino ſpecificè, & eſſentialiter, ſed ſolùm ex Eccleſiæ Conſtitutione accidentaliter, & extrinſecè, ut conſtat ex *c. un. de voto in 6.* & docet *Sanch. l. 7. de matr. diſ. 25. in princ. & in præcepta Decal. libr. 5. c. 1. n. 7.* & dictum ſuprà *l. 3.* Et hoc eſt, quod in cit. cap. dicitur, *quòd votum ſimplex non minùs obligat quoad DEVM, quàm ſolemne:* quia ſcilicet ſecundùm ſe, & ſeclusâ Conſtitutione Eccleſiæ, æqualiter obligant: nam utrumque in perpetuum obligat, & utriúsque violatio eſt peccatum mortale, quamvis violans votum ſolemne graviùs peccet, *Gl. hic V. apud DEVM.* Sicut etiam eandem vim habent, quoad impediendum matrimonium contrahendum: ſed ex Conſtitutione Eccleſiæ votum ſolemne eſt fortius, quia non ſolùm impedit, ne licitè, ſed etiam ne validè contrahatur: ſed matrimonium poſtea contractum omnino dirimit,

Digitized by Google

mit. & invalidum reddit, *Abb. hic n. 6.* Simile eſt, cùm dicitur, quòd inter ſimplicem loquelam, & juramentum DEVS non facit differentiam, *c. Juramenti. 12. cauſ. 22. q. 5.* magis tamen peccat perjurus, & gravius punitur, quàm qui ſimpliciter mentitur, *Gl. fin. ibid.*

Notandum 2. Contractus etiam juratus contra votum præcedens initus non tenet, & ſic votum etiam ſimplex, (quale eſt caſtitatis ſervandæ, alio non interveniente) eſt fortius vinculum, quàm juramentum: imò non valet juramentum contra votum editum, ſed eſt temetarium, *Abb. hic num. 3.* & patet ex hoc *c.*

Notandum 3. Indubitatum dicitur, quod communis opinio DD. tenet, ut colligitur ex fine hujus cap. Ubi Papa dicit, nihil ambiguitatis illam quæſtionem continere, quòd votum ſimplex impediat matrimonium contrahendum, ſed non dirimat contractum, quia eſt communis opinio, quam Judex in judicando ſequi debet, *Alex. de Nævo hic n. 6.*

XXVI. Porro Gregorius XIII. in nova Conſtitutione, quæ incipit, *Aſcendente Domino*, edita anno 1584. in hoc Jus commune antiquum correxit, ac ſtatuit, ut in Religione Societatis Jeſu tria vota ſimplicia, poſt biennium probationis emiſſa (adeoque etiam votum ſimplex caſtitatis) irriteat matrimonium poſtea contractum, ita ut omnes ij, qui prædicta tria vota ſubſtantialia, tametſi ſimplicia emiſerunt, matrimonium contrahere nequeant, quin imò eos omnes ad contrahendum inhabiles facit, ac hujusmodi contractus nullos, & irritos eſſe declarat: quamvis hæc vota matrimonium antea contractum non dirimant, quia de hoc nulla ibi fit mentio, ac proinde illa quoad hoc manent ſub diſpoſitione Juris communis. Cauſa autem hujus novæ Conſtitutionis fuit, quia in his votis ſimplicibus omnino ceſſant rationes, ob quas votum caſtitatis ſimplex non irritat matrimonium in ſæcularibus, de quibus ſuprà *n. 24.* Nam hujuſmodi vota ſimplicia in Societate emittuntur cum magna deliberatione, nempe poſt biennium probationis: & per illa verè mutatur ſtatus ſæcularis in regularem, & voventes poſſunt cogi ad permanendum in Religione, & ſervanda vota, ac puniri tanquam Apoſtatæ, ſi à propoſito recedere velint, ipſique novâ obligatione, & novo ſtatu Eccleſiæ ſubijciuntur, prout deciditur in prædicta Conſtitutione Gregorii XIII. & rectè notavit *Sanch. cit. diſ. 11. num. 5.*

§. III.

An per votum ſimplex caſtitatis dirimantur præcedentia ſponſalia de futuro?

XXVII. De hac quæſtione agitur in *c. Veniens. 5. h.t.* Ubi habetur, quòd quædam mulier promiſit, ſe cuidam viro abſenti nupturam, ſed poſtea audiens plura de ſeveritate illius noluit ei copulari, ſeu matrimonio jungi: cùm verò timeret, ne cogeretur illi nubere, in manibus cujuſdam Eremitæ, votum continentiæ (ſimplex) emiſit: non tamen veſtem, ſeu habitum, vel locum mutavit: quo audito, vir cum alia matrimonium contraxit. Conſultus Papa reſcribit, rutius eſſe, ut prædicta mulier, poſt fidem datam, & ſimplex votum, matrimonium contrahat, quàm fornicationis reatum, ſeu peccatum incurrat: ideóque ſi in facto non ſit ulteriùs proceſſum, ipſi ob fidem mentitam, ſeu non ſervatam, & votum violatum, congrua ſatisfactio, ſeu pœnitentia imponatur, & licentia contrahendi matrimonium detur.

XXVIII. Jam ergo oritur quæſtio ſuprà propoſita, an in caſu hujus cap. per votū ſimplex caſtitatis editum à muliere, fuerint diſſoluta ſponſalia priora, per quæ hæc mulier promiſit, ſe nupturam viro cuidam abſenti? In qua re certum eſt 1. per votum ingrediendi Religionem priora ſponſalia diſſolvi, quia illud habet le reſpectu ſponſalium, ſicut votum ſolemne Religionis ſe habet reſpectu matrimonii rati: ſicuti ergo hoc diſſolvit matrimonium tatum, ita illud ſponſalia, *Sanch. libr. 1. de ſponſal. diſ. 46. n. 2.* 2. Certum eſt, per votum ſimplex caſtitatis perpetuæ præcedens ſponſalia illa irritari, quia continent promiſſionem rei illicitæ, *Sanch. c. l. num. 3.* Certum eſt 3. quando unus ex ſponſis caſtitatem vovit, alterum à ſponſalibus ſervandis liberum eſſe, quia vovens cenſetur eo ipſo ſponſalibus renunciaſſe: accedit, quòd res ſint notabiliter mutatæ, cùm enim vovens non poſſit petere debitum conjugale, grave onus foret alteri impoſitum, ſi ſemper cogeretur petere, maximè ſi eſſet fœmina, *Sanch. c. l. n. 5.*

XXIX. His ſuppoſitis, quando quæritur, utrùm poſt ſponſalia inita, poſſit licitè emitti votum ſimplex caſtitatis, & ſervari, ita ut per illud diſſolvantur ſponſalia priora, etiam ex parte voventis, duplex eſt ſententia. Prior aſſerit, ſponſalia de futuro diſſolvi per ſubſequens ſimplex votum perpetuæ continentiæ, editum animo permanendi in ſæculo, ita ut vovens non poſſit matrimonium antea promiſſum inire, quam tenet *Tanner, tom. 4. diſ. 8. q. 1. dub. 4. n. 54.* & alii apud ipſum. Qui eam extendunt etiam ad ſponſalia jurata, & eſt ſententia probabilis. Ratio eſt, quia ſimplex promiſſio ſponſalium videtur cedere ſimplici promiſſioni caſtitatis, utpote de meliore bono incompatibili cum matrimonio: & voti vinculum videtur fortius, quàm ſponſalium, inducit enim obligationem fidelitatis erga DEVM, ſponſalia verò ſolùm erga hominem: neque etiam promiſſum infringit, qui in melius id commutat, *c. Pervenit. 9. de Jurejur.* & quia votum hanc tacitam conditionem in ſe continet, *niſi ſtatum perfectiorem continentiæ elegero.* Idque etiam probari videtur ex *cit. c. Veniens. h. t.* Ubi mulier, ità ſponſalibus liberaretur, caſtitatem vovit, & rogatus Pontifex, an nubere poſſit, non obſtante voto, reſpondet, ob periculum fornicationis injungendam illi eſſe pœnitentiam de voto violato (id eſt, animo violandi votum, quia petebat ſibi dari licentiam nubendi, ut explicat *Gl. ibid. V. Voto*) quæ etiam data ei fuit: ergo votum caſtitatis prævalet ſponſalibus, aliàs volens ſervare fidem ſponſalium nubendo, non peccaret contra votum, quippe quo ſtante maneret obligatio ad nubendum. Et juxta hanc ſententiam, ſi quis poſt votum caſtitatis editum, contrahat cum alia matrimonium, violabit quidem votum, non tamen fidem priorum ſponſalium, quia ea jam omnino erant diſſoluta per votum, *Sanch. cit. diſ. 46. n. 8.*

XXX. Al-

Digitized by Google

XXX. Altera ſententia, quam tenet *Silveſt. V. Sponſalia. q. 7. Navarr. in Man. c. 22. n. 27. §. 10. Sanch, cit. diſ. 9. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 6.* & docent plures Canoniſtæ in *c. Veniens. 5. h. t.* aſſerit, per votũ etiam ſimplex caſtitatis editum poſt ſponſalia priùs contracta, illa non diſſolvi. Idque colligitur ex *cit. c. Veniens.* ubi mulieri, quæ poſt ſponſalia, ſeu promiſſum mattimonium, votum continentiæ edidit, & ſponſus ad alias nuptias tranſiit, pœnitentia imponitur, tum propter fidem deſponſationis violatam, & quia per ipſam ſtetit, ne promiſſum matrimonium contraheretur: tum propter votum, à quo cupiebat liberari, ut alteri nubere poſſet; ergo votum caſtitatis non diſſolvit ſponſalia præcedentia. Ratio eſt, quia DEVS non acceptat votum, ſeu promiſſionem rei priùs alteri promiſſæ, & in ejus præjudicium: ſicut ſi quis vovit, ſeu promiſit DEO dare equum, quem antea jam promiſerat, vel donaverat Titio, non valet tale votum, quatenus cedit in injuriam Titij. Ergo ſimiliter DEVS non acceptat votum ſponſi, quo promittit corpus ſuum DEO, quod jam promiſſum fuit alteri per ſponſalia. Deinde nullo jure probatur, ſponſalibus ineſſe hanc tacitam conditionem, niſi ſtatum continentiæ perfectiorem fuero amplexus. In *c. Pervenit. 3. de Iureiur.* eſt ſermo de voto, quod fit DEO, qui rem meliorem velle acceptare cenſetur: non autem de promiſſione homini facta, hanc enim non licet, propriâ auctoritate, in melius commutare, cum præjudicio alterius, *Sanch. c. l. n. 9. & Laym.* Neque etiam obſtat, quòd ſi duo vincula incompatibilia, & valida concurrunt, fortius prævalet, *c. Si inter. 31. de ſponſal.* Sed vinculum voti perpetuæ caſtitatis eſt incompoſſibile cum ſponſalibus de futuro, & eſt fortius, quia inducit obligationem fidelitatis reſpectu DEI, ſponſalia verò ſolùm reſpectu hominis. Reſp. majorem eſſe veram, quando utrumque vinculum eſt validum: at votum non eſt validum, quatenus cedit in præjudicium ſponſæ, *Sanch. c. l. n. 11.*

XXXI. Notandum hîc præterea 1. quia prior ſententia aſſerens per votum ſimplex continentiæ priora ſponſalia diſſolvi, ſaltem ob gravium DD. auctoritatem probabilis eſt, ideo poteſt quis à ſponſalibus, præſertim clàm initis, animo eligendi ſtatum perfectiorem continentiæ, tutâ conſcientiâ, reſilire: ſi verò palam ſponſalia, & publicè inita ſunt, vix poterit vovens, propriâ auctoritate, ſine infamia ſponſæ, & multorum querelis, à ſponſalibus, propriâ auctoritate, recedere. Et hinc in foro externo Judex Eccleſiaſticus ſponſum, qui aſſerit, ſe poſt ſponſalia, votum continentiæ edidiſſe, compellere ſolet, ut viam rutiorem eligat, nempe ut vel ſponſalia ſervet, & impleat, vel ut intra præfixum ei tempus, Religionem ingrediatur, vel ſaltem Ordinem ſacrum ſuſcipiat, *Laym. cit. c. 2. n. 7.*

Notandum 2. Is, qui poſt ſponſalia contracta, ſimplex votum continentiæ edidit, non tenetur Religionem ingredi, & profiteri, quia eam non vovit; continentiam autem, quam vovit, non obligatur tam difficili medio implere, unde ingredi quidem Religionem poteſt, ſi velit, vel debet ſponſalia implere, & perficere, contrahendo matrimonium, quia ſponſalia non ſunt diſſoluta, *Sanch. cit. diſ. 46. n. 12. Laym. cit. c. 2. n. 8.* ubi *n. 9.* addit, quòd qui votò continentiæ obſtrictus licitè, vel illicitè matrimonium contraxit, non poteſt petere debitum, donec diſpenſationem impetret.

Notandum 3. Cùm votum continentiæ editum, poſt ſponſalia de futuro, illa non diſſolvat, nec impediat, quin vovens poſſit matrimonium inire, juxtà probabiliorem ſententiam, eſt tamen tale votum validum, & obligat quoad ſe, & in ipſius voventis præjudicium, non autem in alterius, ſeu ſponſæ præjudicium, ita ut non potuerit ſe obligare vovens ad non ducendam illam, cui fidem dedit, ſive cum qua ſponſalia contraxit: tenetur tamen vovens, ſi ſponſa fidem datam remittat, vel ex juſta cauſa ſponſalia, aut matrimonium diſſolvatur, ſervare caſtitatem, & contracto matrimonio, non poteſt petere debitum, etſi poſſit reddere. Idque probatur ex *cit. c. Veniens. 5. h. t.* Ubi mulieri, quæ poſt ſponſalia, continentiam perpetuam vovit, cùm ſponſus ad alias nuptias tranſiiſſet, licentia conceditur alteri nubendi, injunctâ ei pœnitentiâ, ob animum, ſeu intentionem violandi votum, ergo votum fuit validum, *Sanch. cit. diſ. 46. n. 15.*

Porro in *cit. c. Veniens.* mulier non petijt licentiam nubendi illi, cui deſponſata fuit, & fidem dedit, is enim jam cum alia matrimonium inijt, ut ibidem dicitur, ſed petijt licentiam nubendi alteri, ad quod requirebatur diſpenſatio, valet enim hoc votum reſpectu aliorum, ut ſuprà dictum, *Sanch. c. l. n. 11.* Ex quo patet teſponſio ad argumentum allatum ex *cit. c. Veniens.* pro prima ſententia.

XXXII. Notandum 4. ex *cit. c. Veniens.* aliqui DD. colligunt, quòd etiam Epiſcopus poſſit diſpenſare in voto perpetuæ caſtitatis, quia hîc Epiſcopus abſolvit quandam fœminam à voto, quo promiſerat DEO perpetuam caſtitatem. Sed verius eſt, Epiſcopum jure ordinario id non poſſe, quia in hujuſmodi votis relaxatio eſt reſervata S. Pontifici, ut docet *Abb. hîc in fine. & Azor p. 1. libr. 11. c. 19. q. 11.* Itáque Epiſcopus hîc diſpenſavit, ex commiſſione Papæ, ut patet ex illis verbis in fine, *Et ei, cui vult, licentiam nubendi in Domino tribuere non poſſponas.* Quanquam probabile ſit, etiam Epiſcopum poſſe diſpenſare in voto caſtitatis perpetuæ, ob urgentem cauſam, ſeu gravem neceſſitatem, prout eſt probabile periculum incontinentiæ, ſeu fornicationis, præſertim ſi interveniat ſimul moralis impotentia, ſeu grave impedimentum adeundi Pontificem, a deoque ſit periculum in mora, *Sanch. l. 8. de matr. diſ. 9. n. 22.* & alii apud *Barboſ. in Collect. in cit. c. Veniens. n. 5.* Porro cauſæ, ob quas diſpenſatum fuit cum muliere, de qua ſit mentio in hoc c. ut poſſet nubere alteri, etant, tum quia votum emiſit, ex timore ſævitiæ viri, ne cogeretur illi nubere: tum propter majus periculum evitandum, quia erat juvenis, & ſuſpecta de incontinentia, *Alex. de Navo num. 9.*

TITVLVS VII.

DE EO, QUI DUXIT IN MATRIMONIUM, QUAM POLLUIT PER ADULTERIUM.

Hic Titulus latiùs patet, quàm ejus Rubrica, seu inscriptio contineat, agitur enim in illo de impedimento criminis, non tantùm adulterii, per quod dirimitur matrimonium subsequens, sed etiam de crimine homicidii, sive machinationis mortis alterius Conjugis, per quod similiter dirimitur matrimonium, ideóque de utroque hoc loco agemus.

§. I.

An, & quando adulterium dirimat matrimonium subsequens?

I.

ASSERTIO 1. Adulterium dirimit matrimonium subsequens, si vir, vivente legitimâ uxore, cum alia per verba de præsenti matrimonium contraxerit (scilicet de facto, vel potiùs contrahere attentaverit, cùm nemo simul duas uxores habere possit.) Vel saltem de matrimonio, post mortem conjugis prioris, contrahendo promissionem fecerit, tum enim non potest vir, post mortem prioris uxoris, secundam retinere, vel de novo cum eadem matrimonium contrahere, quia matrimonium cum secunda initum est ipso jure nullum, & irritum, prout constat ex *c. Relatum. 4. caus. 31. q. 1.* Ratio autem hujus impedimenti est, ne ob promissionem, & spem matrimonii fututi, captetur occasio occidendi priotem conjugem, *Sanch. l. 7. de matr. dis. 79. n. 1.* Sufficit autem, ut adultet cum adulteta ineat matrimonium clandestinum, nec enim potest inite validum, durante adhuc ptiore conjugio, *Sanch. c. l. n. 8.* & perinde est, sive adultetium præcedat, sive sequatur matrim onium cum adulteta initum, vel promissionem cum illa ineundi, in utroque enim casu incurritur hoc impedimentum dirimens matrimoninm, *c. ult. h. t.* quia in utroque præbetur ansa captandæ mortis conjugis, *Sanch. c. l. n. 3.*

II. ASSERTIO 2. Si quis vivente legitimâ suâ uxore, cum alia contrahat matrimonium, ignorante primam uxorem ipsius adhuc vivere: is mortuâ primâ uxore, si petat à secunda separari, non debet ab illa separari, quamvis secunda possit à viro, si velit, discedere, prout rescripsit Papa Alexander III. » in *c. Propositum. 1. h. t.* Nam cùm quidam uxorem habens aliam hujus rei ignaram sibi matrimonio copulâsset, & primâ mortuâ, à secundâ vel» let discedere (asserens, quòd uxore vivente, non licuit sibi eam ducere, ut habetur in integra lectione » hujus c.) Consultus Papa respondit: licèt in Canonibus habeatur expressum, (*c. 1. caus. 31. q. 1. c. Ex litterarum. 4. & seq. & c. ult. in fine. h. t.*) ut » nullus ducat in matrimonium, quam priùs polluit adulterio, & maximè illam, cui fidem dede» rat, uxore suâ vivente, vel quæ machinata est in » mortem illius: quia tamen prædicta mulier fuit » inscia, quòd ille aliam uxorem viventem habe» ret: neque etiam æquum est, ut ille vir, qui con» tra Canones egerat, de dolo suo commodum re» portet: ideo decernit idem Pontifex, ut nisi mu» lier illa divortium petat, non sint ab invicem se» parandi, scilicet de facto, nam de jure separari » non poterant, cùm matrimonium nunquam tenuerit, *Abb. hic in fine.*

III. Pro explicatione hujus cap. notandum 1. duo sunt casus, in quibus propter delictum adulterii prohibetur matrimonium initi inter adulterum, & adulteram. Primus est, quando adulter dat fidem adulteræ, seu promittit se illam ducturum in uxorem, mortuâ suâ legitimâ uxore, vel si de facto contrahit matrimonium cum illa, uxore legitimâ adhuc vivente, *c. Cùm haberet. 5. & c. ult. h. t.* de quo infrà. Secundus casus est, quando intervenit machinatio in mortem alterius Conjugis, qualis autem machinatio requitatur, dicetur infrà, *Alex. de Nævo hic n. 2.*

Notandum 2. Delictum adulterii non cadit in ignorantem, quia adulterium sine dolo malo non committitur, *l. pen. ff. ad leg. Jul. de adult.* ignorans autem caret dolo, idque procedit, etiamsi sit crassa, & supina ignotantia, quia ubi lex requirit dolum, etiam lata culpa non æquiparatur dolo, *Alex. de Nævo hic n. 3.* & ideo mulier illa in casu hujus cap. excusatur ab adulterio, quia non fuit in dolo, ignoravit enim, quòd vir ille uxorem adhuc viventem haberet. *Hostiens. hic V. Inficiam hujus rei.*

Notandum 3. post mortem primæ uxoris, matrimonium cum secunda initum non est validum, nisi novus consensus interveniat, quia prior consensus nullus fuit: novus autem consensus intervenire potest, vel expresè verbis: vel tacitè, & facto, quia eo ipso, quòd uterque certior factus est de morte prioris conjugis, præsumitur, si carnalis copula subsequatur, tacitè consentire. Quòd si mulier secunda non vult consentire, ad ipsius instantiam, fit divortium, quia cum illa non fuit matrimonium, cùm fuerit ducta, vivente primâ uxore. Si verò vir nolit consentire, per Ecclesiam compelli debet ad consentiendum, *Hostiens. hic in c. 1.* Porro vir, ratione

tione fidei promiſſæ ſecundæ mulieri, non poteſt ſeparationem petere: mulier verò non obligatur manere cum viro, quia ipſa decepta fuit, & ignara contraxit, putans illum non habere aliam uxorem: & matrimonium non poteſt claudicare, ut teneat ex parte unius contrahentis tantùm, *Vivian. in Ration. in cit. c.* Si tamen vir iſte contraheret matrimonium cum alia tertia, poſt mortem primæ uxoris, illud teneret, *Gl. fin. in cit. c. 1. h. t.*

Notandum 4. quamvis in pluribus Canonibus relatis *cauſ. 31. q. 1.* abſolutè, & ſine addito ſtatuatur, ut nullus ducat in matrimonium, quam priùs polluit adulterio, idémque prohibeatur in *c. 1. h. t.* ex aliis tamen Canonibus, *c. Siquis. 5. & 2. ſeqq. cit. cauſ. 31. q. 1.* & pluribus capitulis hujus Tit. conſtat, ſolum adulterium non ſufficere ad dirimendum ſubſequens matrimonium, ſed inſuper requiri, ut vir fidem dederit, ſeu promiſerit matrimonium adulteræ, vel actu cum illa contraxerit, vel ut adultera in mortem uxoris prioris machinata fuerit, ut ex infrà dicendis patebit.

IV. Sed quomodo intelligenda ſunt illa verba hujus cap. 1. ubi dicitur: ut nullus ducat in matrimonium, quam priùs polluerat adulterio, *maximè illam, cui fidem dederat, uxore ſua vivente* (vel ſi de facto eam duxit, *Gl. hic V. Fidem*) *vel quæ machinata eſt in mortem uxoris*, nam ſenſus eſſe videtur, quòd quis non poſſit ducere in uxorem illam, quam polluit per adulterium, etiamſi non dederit fidem adulteræ, neque hæc machinata fuerit in mortem uxoris illius, quia videtur innui, quòd etiam extra caſus hîc expreſſos prohibitum ſit matrimonium cum adultera, etſi præcipuè iſti prohibeantur, quod tamen falſum eſt, ut patet ex *c. Significâſti. 6. h. t. Alex. de Nævo in cit. c. 1. n. 6.* Unde Abb. & alii quidam DD. dictionem *maximè* exponunt pro *tantùm*, vel *dumtaxat*, id eſt, tantummodò his caſibus matrimonium eſſe interdictum inter adulterum, & adulteram, quando ſimul & contractus matrimonii, vel data fides contrahendi matrimonii inter eos intervenit, vel etiam machinatio in mortem uxoris. Verùm quia hæc expoſitio non congruit Canonibus ſuprà allegatis: ideo probabilior eſt interpretatio Gratiani in *c. Illud verò 3. §. Hîc ſubaudiendum eſt cauſ. 31. q. 1.*

Nam in *cit. Can. Illud*, ſtatutum fuit, ut ſi quis cum uxore alterius fuerit fornicatus, marito mortuo, is non poſſit matrimonialiter copulari cum ea, quam priùs polluit per adulterium: ubi ſubintelligendum eſt, niſi priùs peractâ pœnitentiâ, & ſi nihil in mortem viri is machinatus fuerit, vel ſi viverente viro, fidem adulteræ non dedit, ſe ducturum eam in conjugem, ſi viro ejus ſupervixerit. Quare in Canonibus ſuprà allatis non prohibetur præcisè, ne adulter contrahat matrimonium cum adultera, defuncto marito adulteræ, ſed ne contrahat, ante peractam ab eo pœnitentiam, ob adulterium à ſe commiſſum, prout interpretatur *Gratian. ibid.* & confirmatur ex *c. Si quis vivente. 5. cùd. cauſ. & q.* ubi habetur, quòd ſi quis, vivente marito, conjugem illius adulteravit, poſſit poſt peractam pœnitentiam, viduam ejus in conjugem ducere, quam viro vivente, per adulterium polluit: Et hanc interpretationem ſequitur etiam *Henric. Caniſ. in Commentar. in hunc Titulum num. 7.*

V. Assertio 3. Si quis contraxit per conſenſum de præſenti præſtitum cum una, quam tamen carnaliter non cognovit, adeoque matrimonium non conſummavit, ſed poſtea cum alia ſcienter contrahat (quia ſcientes primam uxorem vivere, de facto ſimul contrahunt matrimonium) eámque carnaliter cognoſcat: hoc caſu, ſi primum matrimonium non fuit validum, quia coactè contraxit, nec eam carnaliter cognovit, talis etiam mortuâ primâ uxore, non poteſt manere cum ſecunda, nec eam habere in uxorem. Si verò prius matrimonium fuit validum, licèt prima uxor ſit mortua, non poteſt habere ſecundam in uxorem, ſi ſcientes primam vivere matrimonium contraxerunt: ſecus, ſi ignoranter contraxit cum ſecunda, neſciens primam adhuc vivere, tunc enim aliam ducere poterit, prout ſumitur ex *c. Significavit. 2. h. t.* Ubi talis caſus proponitur: Quidam O. nomine Andegavenſis vi, ſeu metu cadente in virtum conſtantem coactus fuit mulierem A. accipere in uxorem: poſtea verò liberè aliam in uxorem duxit, ſed compulſus fuit ab Archiepiſcopo Eboracenſi jurare ſe non acceſſurum ad illam, quàm liberè duxit, donec lis inter ipſum, & dictam mulierem A. in Judicio Eccleſiaſtico fuerit terminata, prout habetur in integra lectione hujus cap. Causâ hâc delatâ ad Papam Alexandrum III. is reſcribit, & mandat, ut ſi conſtiterit, quòd dicto O. tanta vis fuerit illata, ut coactus, & non ſponte in primam conſenſerit, nec poſt præſtitum juramentum, ipſam A. carnaliter cognoverit, ad illam, quam poſtea ſponte accepit, revertendi libera faeultas ipſi tribuatur: alioquin ne ad ſecundam revertatur, ſub interminatione anathematis, ſeu excommunicationis illi injungetur, ita tamen ut aliam in uxorem ducendi licentia ipſi detur.

VI. Pro explicatione hujus cap. notandum 1. ut adulterium dirimat matrimonium ſubſequens, requiritur, ut matrimonium priùs contractum ſit validum, ſi enim eſſet revera invalidum, adulterium illud exiſtimatum, cum futuri matrimonii promiſſione, non dirimeret ſequens matrimonium contractum cum adultera, prout deciditur in *cit. c. 2. h. t.* ubi ſtatuitur, quòd matrimonium gravi metu injuſtè incuſſo contractum, adeoque ipſo jure irritum, etſi ſolùm ſit ratum, & carnali copulâ non conſummatum, non dirimat matrimonium poſtea initum cum adultera, modò prius matrimonium invalidum non fuerit poſtea expreſsè, vel tacitè ratificatum, *Sanch. l. 7. de matrim. diſ. 79. n. 30.* Ratio eſt, quia quando primum matrimonium non eſt verum, quia invalidum, tunc non committitur verum adulterium, ideoque per illud non debet impediri, aut dirimi ſecundum matrimonium validè contractum: non enim præſtat impedimentum, quod de jure non ſortitur effectum, *c. Illud. 8. de Iure patron.*

Notandum 2. per copulam carnalem ſubſequentem matrimonium gravi metu contractum, illud ratificatur, & validum redditur, quia per illam quaſi purgatur metus, dummodo ea copula ſit ſpontanea, & affectu maritali habita, non autem metu gravi extorta ad conſummandum matrimonium, *Sanch. libr. 4. de matr. diſ. 18. n. 15.*

Notandum 3. Matrimonium validum, etiam ante carnalem copulam, & nondum conſummatum,

inducit impedimentum dirimens perpetuum, ita ut non poſſit quis ducere, vel habere in uxorem illam, cum qua contraxit, & conſummavit matrimonium, vivente primâ uxore, etſi non cognitâ: & ſic ad conſtituendum hoc impedimentum non requiritur, ut primum matrimonium ſit carnali copulâ conſummatum, ſed ſufficit ſolus contractus matrimonii etiam absque carnali copula, modò is ſit validus, ut colligitur ex hoc cap. *Alex. de Nævo. ibid. n. 5.*

Notandum 4. Pet juramentum adjectum matrimonio gravi metu contracto, non efficitur hoc validum, ut probatur ex *cit. c. 2. h. t.* Ubi expreſsè habetur, eum qui poſt matrimonium metu contractum, & juramento firmatum, aliam duxit, debere permanere cum ſecunda, priúsque matrimonium fuiſſe invalidum, ergo per juramentum non redditur validum matrimonium: & ratio eſt, quia matrimonium gravi metu contractum eſt irritum, ob defectum liberi, & ſpontanei conſenſûs ſubſtantialiter requiſiti, *c. Cùm locum. 14. de ſponſal.* quem defectum juramentum non ſupplet, *Sanch. cit. libr. 4. diſ. 20. n. 12.* Quin imò tale juramentum adjectum matrimonio gravi metu extorto non obligat, nec relaxatione indiget, ut docet etiam *Sanch. cit. diſ. 20. n. 15.* quia Eccleſia, non tantùm irritat matrimonium metu initum, ſed etiam juramentum tali matrimonio appoſitum, ut colligitur ex *eâ, c. 2. h. t.* Ubi dicitur: Eum, qui poſt matrimonium metu contractum, & juratum cum una, aliam duxit, cum ſecunda validè contraxiſſe, & licitè poſſe cum illa permanere: alioquin ſi tale juramentum obligaret, additum fuiſſet, ut aliqua pœnitentia juranti inponeretur, ob violationem juramenti, ſicut factum fuit in *c. Sicut. 22. de ſponſal.* de quo plura videri poſſunt apud *Sanch. c. l. n. 15.*

VII. Assertio 4. Si quis, vivente primâ uxore, à qua ſe ob adulterium ejus ſeparavit, quoad torum, & quæ monialis facta eſt, contrahat cum ſecunda, quæ ſcivit, quòd vir ille aliam habeat uxorem, is mortuâ primâ uxore, ſeparari debet à ſecunda, ita tamen ut poſſit ducere in uxorem, non ſecundam, ſed aliam tertiam, prout ſtatuitur in *c. Ex litterarum. 4. h. t.* Nam cùm quidam uxorem ſuam deprehenſam in adulterio (& de eo convictam, *Gl. hic V. Deprehenſam.*) cum conſenſu Epiſcopi, dimiſiſſet, quæ poſtea aſſumpſit habitum Monachalem: ſed maritus ille, ante mortem uxoris ſuæ aliam duxit, ex qua plures ſuſcepit liberos, & tandem etiam legitima ejus uxor deceſſit. Conſultus ſuper hoc Papa Clemens III. reſpondit, virum illum ſeparandum eſſe à ſecunda fœmina, quam ſuperinduxit: poſſe tamen eundem virum, impoſitâ illi pœnitentiâ ob adulterium, aliam ducere in uxorem.

Hinc colligitur, etſi conjuges ſeparentur, quoad torum propter adulterium ab uno commiſſum, vinculum matrimonii nihilominus manet, etiamſi adultera ingreſſa ſit Monaſterium, quia matrimonium ſemel conſummatum non diſſolvitur, niſi morte naturali, *c. 1. & 2. cauſ. 32. q. 7.* Nam talis vir contrahendo cum ſecunda, vivente primâ, & illam carnaliter cognoſcendo, commiſit adulterium, & ideo in pœnam ſic contrahentes fiunt inhabiles, ut non poſſint contrahere matrimonium inter ſe, quamvis mortuâ legitimâ uxore, adulter cum alia poſſit matrimonium contrahere, & è converſo adultera cum alio, *Abb. hic n. 2. & 3. & Alex. de Nævo. n. 3. & 5.*

VIII. Porro quod dictum eſt, eum, qui vivente uxore legitimâ, cum ſecunda contrahit, & cum ea adulteratur, etiam primâ mortuâ, ab illa ſeparandum eſſe, id procedit, etiamſi longo tempore ei cohabitaverit, & filios ex ea ſuſcepetit, prout ſtatuitur in *c. Cùm haberet. 5. h. t.* Nam cùm quidam, Joannes nomine, habens legitimam uxorem cum altera Margarita nomine, adulterium perpetrâſſet, & ob hoc in jus vocatus adulteram abjurâſſet, poſtea juramento contempto, & vivente legitimâ uxore ſuâ, cum eadem matrimonium contrahere præſumpſit, eique diu cohibitavit, ac tandem mortuâ legitimâ uxore, per decennium adulteræ adhuc cohabitando, decem ex illa filios procreavit. Conſultus ſuper hoc Pontifex juſſit illos ſeparari, & injunctâ ipſis pœnitentiâ, perpetuam continentiam iisdem indici, quia tantotempore publicè, & ex certa ſcientia in adulterio, & perjurio perdurârunt. Nam Leo Papa ſtatuit (in *c. 1. cauſ. 31. q. 1.*) ut nullus ducat in matrimonium, quam adulterio polluit: ſed hîc plus proceſſum fuit, quàm ſi fides tantùm data fuiſſet adulteræ, ut defunctâ legitimâ uxore, eam duceret in uxorem, quia vivente etiam primâ legitimâ uxore, mœchus mœchæ adhæſit, & juramentum ſuum temerè violavit. Quale connubium, etſi juramentum non interceſſiſſet, tam Gregorius Papa (ut putat *Hoſtienſ. hic V. Gregorius.*) quàm Triburienſis Synodus deteſtatur, *c. Relatum. 4. & c. Si quis. 5. cauſ. 31. q. 1.* Cujus tamen quoad hoc decretum non reperitur poſitum in Corpore Decretorum, & tales præcipit publicæ pœnitentiæ ſubjici, ac perpetuò, ſine ulla ſpe conjugii, permanere. Neque juvat quidquam, quòd dicti Joannes & Margarita per decennium cohabitârunt, ac decem filios ſuſceperunt, quia multiplicitas prolis ſic ſuſceptæ eorum crimen exaggerat, & diuturnitas temporis peccatum non minuit, ſed auget. Additur in fine, Epiſcopum curare debere, ut uterque adulter liberis ſuis, quatenus eis ſuppetunt facultates, alimenta neceſſaria ſubminiſtret.

IX. Pro declaratione hujus cap. notandum 1. Judex Eccleſiaſticus poteſt compellere adulterum, ut abjuret adulteram, hoc eſt, eam à ſe dimittat, cum juramento, quòd eam deinceps recipere nolit. Quare Judex Eccleſiaſticus poteſt cognoſcere, & judicare de adulterio, non ſolùm cum agitur ad ſeparationem matrimonii quoad torum: ſed etiam ut reintegretur matrimonium, & deſiſtatur à peccato adulterii, *Abb. hic n. 2. & Alex. de Nævo. n. 1. & 2.*

Notandum 2. In caſu hujus cap. adulteris major pœna infligitur, ſcilicet perpetua continentia, quia plus eſt, hoc eſt, majus impedimentum eſt, de facto contrahere cum adultera matrimonium per verba de præſenti, eámque cognoſcere, quàm ſolùm fidem dare per verba de futuro de matrimonio contrahendo, poſt mortem uxoris, tunc enim datur adultero licentia aliam ducendi, præter adulteram, ut in *c. 2. & 4. h. t.* quia ergo hîc iſti plus peccaverunt,

Digitized by Google

runt, ideo etiam plus puniuntur, *Gl. hic V. Perpetua continentia, & V. Et quod hic plus. Hostiens. ibid. V. Perpetua continentia, & V. Plus proceſſum, Alex. de Nævo hic n. 3.*

Notandum 3. Diuturnitas temporis non minuit peccatum in foro animæ, & quoad DEUM, ſed potiùs auget, & fit gravius, etiamſi non ſit iteratum, quia non pœnitendo videtur contemniſſe Divinum judicium, & præceptum Eccleſiæ, *Abb. hic n. 4. & Alex. n. 9.*

Notandum 4. Liberis, non ſolùm legitimis, ſed etiam ſpuriis, ſive natis ex adulterio, vel alio jure damnato concubitu, præſtanda ſunt à parentibus alimenta neceſſaria, ſecundùm proprias facultates, ſaltem ex æquitate Juris Canonici, ut habetur in fine hujus c. *junct. Gl. fin.* quod in hoc correxit rigorem Juris Civilis in *Auth. Ex complexu. C. de inceſt. nupt.* quia Jus naturale dictat, hominem à parentibus procreatum educari, conſervari, & ali debere; ne pereat, quod jus commune eſt filiis legitimis, & illegitimis, *Covarr. in l. 4. Decret. p. 2. c. 8. §. 6. n. 1. & 2. Azor p. 1. libr. 5. c. 21. in princ.* Atque hac in re ſtandum eſt Juri Canonico, etiam in foro Civili, & in Terris Imperii, maximè ſi liberi aliunde non habeant, unde alantur, ut tradit *Azor c. l.* Idque ſervandum eſſe in utroque foro ſecundùm communem DD. ſententiam teſtatur etiam *Gail libr. 2. obſ. 88. n. 4.*

X. Assertio 5. Si quis vivente primâ uxore, ſecundam inſciam criminis adulterii duxerit in uxorem, mortuâ primâ, licitè manere poteſt cum ſecunda, ſi novus conſenſus interveniat, prout ſumitur ex c. *Veniens. 7. h. t.* Ubi talis caſus proponitur: Laicus G. in civitate Lemovicenſi, quandam ſibi matrimonialiter copulavit, à qua poſtea recedens Meſſanam venit: ubi cum alia muliere M. inſcia, quòd ipſe jam aliam haberet uxorem, matrimonium ſolemniter contraxit. Verùm pœnitentiâ ipſi injunctâ, juſſus eſt redire ad primam legitimam uxorem, quam cùm in patriam rediiſſet, invenit jam mortuam, ideóque revertſus Meſſanam, & prædictæ M. tanquam legitimæ uxori cohabitavit. Re delatâ ad Papam Innocentium III. is reſpondit: licèt vivente legitimâ uxore, ipſe G. non potuerit prædictam M. in uxorem ſibi copulare: eâ tamen defunctâ, quia ſolutus fuit à lege ipſius, in eandem potuit de novo matrimonialiter conſentire: dummodo priùs non præſtiterit fidem adulteræ, vel machinatus fuerit in mortem uxoris. Quare mandat Pontifex Capitulo Meſſano, ut ſi ita eſt, eidem G. licentiam concedat, ut ſupradictæ M. affectu conjugali adhæreat.

XI. Ratio deciſionis eſt, quia licèt vir fuerit in mala fide, ideóque ei pœnitentia injuncta fuit, & juſſus redire ad primam legitimam uxorem, mulier tamen ſecunda in bona fide fuit, nec commiſit adulterium, quia ignoravit virum habere aliam uxorem, *Gl. fin. hic*, & ideo etiam conceditur ei, ut poſt mortem primæ uxoris viri, cum eo licitè manere poſſit, & matrimonium de novo contrahere, quia primus conſenſus omnino nullus fuit, ac proinde de novo debet conſentire in ipſum: *Gl. hic in notat.* Quamvis non requiratur, ut per verba expreſſa conſentiat, ſed ſufficit conſenſus tacitus, & ipſo facto per carnis copulam, *Hoſtienſ. hic col. 3. V. de novo, & V. Adhærebat.* Quare tale matrimonium ſecundum, poſt novum conſenſum, ſaltem tacitum, valet ex nunc, ſi mulier voluerit in eum conſentire, quia ad id compelli non poteſt, quamvis vir poſſit, qui in culpa fuit, & dolo, *Gl. hic V. De novo.*

XII. Assertio 6. Si quis, vivente uxore ſuâ legitimâ, fidem dedit alteri de ea ducenda, poſt mortem uxoris, vel cum ea de facto contraxit matrimonium, ſi nec ante fidem datam, nec poſt, vel nec ante contractum matrimonium de facto, nec poſt, cognovit eandem, ſuperſtite ſuâ legitimâ uxore, non eſt tale matrimonium dirimendum, quod poſt mortem uxoris cum ea contraxit: quamvis utrique eorum pœnitentia ſit injungenda, eò quòd in hoc graviter deliquerint. Sed ſi priùs vel poſtea (id eſt, ante vel poſt fidem datam, vel contractum matrimonium) dum uxor ipſius vixit, eam cognovit, adeoque adulterio polluit, non debet tale matrimonium tolerari, prout ſtatuit Gregorius IX. in c. *Si quis. 8. & ult. h. t.*

XIII. Pro declaratione hujus cap. notandum 1. Solus contractus matrimonii, vel ſola datio fidei, ſeu promiſſio de eo contrahendo cum ſecunda, vivente primâ, non inducit impedimentum dirimens matrimonium, nec impedit, quominùs quis, poſt mortem uxoris matrimonium cum illa, cui fidem dedit, vel cum qua tantùm de facto contraxit, contrahere poſſit, niſi proceſſum fuerit ad carnalem copulam. Nam ad hoc impedimentum inducendum duo conjunctim ſunt neceſſaria, adulterium ſcilicet, ſive carnalis copula, & matrimonium de facto contractum, vel data fides, ſeu promiſſio facta de eo contrahendo, aliàs ſi unum deſit, matrimonium non dirimitur, *Hoſtienſ. hic col. 2. V. Cæterùm.* Et ſic intelligenda ſunt omnia Jura illa, quæ ſtatuunt, ut nullus ducat in uxorem eam, cui dedit fidem, ſeu promiſit ſe illam ducturum, poſt mortem uxoris, vel cum qua de facto contraxit matrimonium, *Gl. in cit. c. fin. V. Cognovit eandem. h. t. Alex. de Nævo. ibid. n. 1. & 6.* Ubi addit, rationem hujus eſſe poſſe, quia quando matrimonium non eſt conſummatum, non ſic inducitur quis ad machinandum mortem alterius, ſicut ſi machinatio facta ſit in mortem ſecundæ. Porro ex adulterio conſurgit hoc impedimentum, ſive adulterium à conjuge admiſſum præcedat dationem fidei, vel matrimonium de facto initum, ſive ſequatur, quia in utroque caſu præbetur anſa captandæ mortis, *Alex. de Nævo hic n. 4. Sanch. l. 7. de matrim. diſ. 79. n. 3.*

Notandum 2. Fidem dare alicui de matrimonio contrahendo, vel de facto contrahere cum illa, primâ uxore vivente, grave peccatum eſt, quia talis promiſſio, vel contractus matrimonii inducit votum captandæ mortis alterius, ideo ſicut promiſſio beneficii vacaturi non valet, *c. 2. de conceſſ. præb.* ita nec promiſſio futuri matrimonii carnalis, *Alex. de Nævo hic n. 3.* & hinc in *cit. c. ult. h. t.* præcipitur, ut talibus pœnitentia ſit injungenda, eò quòd graviter in hoc deliquerint.

§. II.

Quanam conditiones requirantur, ut adulterium dirimat matrimonium inter adulteros?

XIV. Plures conditiones requiruntur à DD. prout videre est apud *Sanch. l. 7. de matrim. tota dis. 79. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 10.* & alios. Prima est, ut adulterium concurrat cum promissione matrimonii futuri, vel cum matrimonio de facto inito, vivente legitimâ conjuge, ut jam suprà dictum, ita ut non sufficiat matrimonium, nec promissio illius, sine adulterio, neque adulterium sine alterutro illorum, ut constat ex *c. ult. h. t.* Ubi hæc duo simul exignntur. Altera conditio est, ut matrimonium de præsenti attentatum, vel fides de eo data sit, & adulterium commissum sit, durante adhuc eodem legitimo conjugio, quia apertè requiritur in *c. ult. h. t.* ut utrumque hoc fiat, superstite legitimâ uxore. Unde si matrimonium initum, vel fides data sit sub priore conjugio: adulterium verò commissum sub alteto conjugio posteriore, poterit adulter, mortuâ secundâ uxore, ducere adulteram, cui sub priore conjugio matrimonium promiserat, quia per posterius matrimonium adulter recessit à fide data, ac proinde solùm adest adulterium, & spes matrimonii ineundi extincta fuit per posterius matrimonium, quia si adulter secundò contrahat matrimonium cum alia, eo ipso recedit à promissione priùs facta, quòd mortuâ primâ uxore velit ducere adulteram, *Sanch. cit. dis. 79. n. 5. Laym. cit. c. 10. n. 4.* Quòd si è converso adulterium commissum sit sub priore conjugio, fides verò data, vel matrimonium initum sub posteriore, neque tunc hoc impedimentum incurritur, eò quòd Canones exigere videntur simul adulterium, & promissionem, vel matrimonium, vivente eodem conjuge, ut eidem matrimonio injuria irrogetur, præbitâ occasione ejusdem conjugis occidendi, *Sanch. c. l. num. 6.*

Tertia conditio est, ut uterque adulterans sciat alterum conjugatum esse, nam altero istud ignorante, non habet locum impedimentum hoc, quia non est formaliter commissum adulterium ex parte utriusque, ut constat ex *c. 1.* ibi: *quia mulier erat inscia, quòd ille aliam haberet uxorem viventem, & c. pen. h. t. Sanch. cit. dis. 79. n. 31. Laym. c. l.*

Quarta conditio est, ut promissio matrimonii non sit ficta, sed seria, cùm alioquin non censeatur promissio, secundùm probabilem sententiam; quamvis aliqui non minùs probabiliter putent, etiam ex ficta promissione oriri hoc impedimentum, eò quòd etiam per talem promissionem detur occasio infidiandi vitæ alterius conjugis, ut matrimonium possit perfici, quod Ecclesia præcipuè intendit vitare, statuendo hoc impedimentum, *Sanch. cit. dis. n. 10.*

XV. Quinta conditio est, ut promissio ab una parte facta, sit ab altera parte acceptata: alioquin non habebit rationem pacti, seu promissionis, quæ exigit duorum in idem consensum, sed erit mera pollicitatio, *Sanch. c. l. n. 22.* An autem requiratur etiam mutua, seu reciproca promissio, non consentiunt DD. Probabile est requiri, quia cùm ad hoc impedimentum requirant Jura, ut matrimonium de facto contrahatur cum altera, vivente conjuge, vel saltem fides detur de eo contrahendo, ista autem fides est desponsatio de futuro, adeoque mutua promissio, *Silvest. V. Matrimonium. 8. q. 9. dicto 4.* quamvis contrarium teneat *Sanch. c. l. n. 20.* & alii: quia in *c. Significásti. 6. h. t.* indicatur sufficere, si vir, vivente uxore, fidem dederit alteri de matrimonio contrahendo. Verùm ibi sermo est de data fide sponsaliorum, quæ mutuam promissionem important, *Laym. c. l. §. Quinta conditio.*

Sexta conditio esse videtur, ut promissio sit pura, & absoluta, vel saltem ut ante mortem conjugis fuerit purificata, quia promissio conditionalis, quamdiu adhuc suspensa est, & pendet à futuro eventu, non habet rationem veræ promissionis, ut probabiliter docet *Coning dis. 31. de Sacram. dub. 5. n. 59.* Contrarium tamen tenet *Sanch. cit. dis. 79. n. 11.* nempe etiam ex promissione conditionali otiri hoc impedimentum, si conditio non deficiat, ante commissum adulterium, quia tunc etiam concipitur spes futuri matrimonii, adeoque datur ansa machinandi mortem conjugis. Si verò conditio deficerer, ante patratum adulterium, tunc deficeret etiam promissio sub conditione facta, nam solum adulterium superveniens non posset inducere hoc impedimentum, *Sanch. c. l.* Verùm cùm conditio, sub qua promissio facta est, sit contingens, ita ut æquè evenire possit, & non possit, non poterit ex ea tam certa spes ineundi matrimonii concipi, ut præbeatur occasio machinandi mortem conjugis, ob quod statutum est hoc impedimentum criminis. Deinde verba legis pœnalis strictè sunt interpretanda, salvâ proprietate verborum, nec debent extendi, etiamsi similis ratio subesset. Cùm ergo hæc verba: *Si fides de matrimonio contrahendo data sit*, servatâ verborũ proprietate, rectè intelligi possint de fide, seu promissione pura & absoluta, non debent ob similitudinem rationis extendi ad promissionem conditionalem, *Laym. cit. c. 10. n. 4. §. Sexta conditio.*

Septima conditio est, ut copula carnalis sit perfecta, cum immissione seminis intra vas; Jura enim requirunt adulterium, quod de vero, & consummato accipi debet, cùm versemur in materia pœnali, *Sanch. cit. dis. 79. n. 44.*

Octava est, ut prius matrimonium fuerit validum, aliàs non committeretur verum adulterium, quamvis non sit consummatum, & dissolutum quoad torum per divortium, *Sanch. c. l.* & dictum suprà *num. 6.*

§. III.

An, & quando crimen homicidii, seu machinationis mortis alterius Coniugis dirimat matrimonium subsequens?

Alterum crimen dirimens matrimonium subsequens est homicidium, seu machinatio facta in mortem unius Conjugis, cum proposito contrahendi postea matrimonium cum altero Conjuge superstite, *c. Si quis. 5. caus. 32. q. 1. & c. 1. de convers. Conjug.* de quo etiam agitur in hoc Tit.

XVI. Asser-

XVI. ASSERTIO 1. Si quis matrimonium de facto cum aliqua contraxit, vivente primâ uxore, eámque cognovit, non potest is, post mortem uxoris primæ, illam ducere in uxorem, si ista adultera machinata fuit in mortem primæ uxoris, vel si vir fidem adulteræ dedit, quòd primâ defunctâ, illam ducturus sit, prout statuitur in *c. Super hoc. 3. h. t.* » Nam cùm quæsitum fuisset, an liceat alicui contrahere cum ea matrimonium, quam (facti consciam, *Hostiens. hic*) vivente uxore suâ, de facto sibi copulavit matrimonio (& illam cognovit, aliàs non esset adultera, *Hostiens. hic.*) Respondet Papa Alexander III. si adultera in mortem uxoris aliquid est machinata, sive fidem illi dedit, quòd post mortem uxoris eam ducturus sit, sive non, (quæ tamen verba desunt in omnibus exemplaribus manuscriptis, ut notat *Gl. margin. hic*) non potest illam habere in uxorem, secundùm Canones, in perpetuum.

XVII. Pro explicatione hujus cap. notandum 1. solum adulterium commissum cum muliere non inducit perpetuum impedimentum, quominùs quis, mortuâ legitimâ conjuge, possit adulteram in uxorem ducere, ut pater ex hoc cap. Nam hæc mulier præsumitur fuisse carnaliter cognita ab isto viro, & tamen hic non prohibetur matrimonium contrahere cum adultera, nisi illa fuerit machinata in mortem prioris conjugis, vel vir ei fidem dederit de illâ ducenda, *Abb. n. 2.* ubi *n. 3.* addit, quòd quando intervenit adulterium, sufficit sola machinatio in mortem alterius conjugis ad dirimendum matrimonium subsequens, de quo mox plura.

Notandum 2. Prohibitio hujus cap. est perpetua, quia per illam non tantùm impeditur matrimonium contrahendum, sed etiam dirimitur jam contractum, *Abb. hic n. 4. Alex. de Nævo n. 2.*

XVIII. ASSERTIO 2. Similiter si quis vivente legitimâ uxore, habeat copulam cum altera, mortuâ uxore, potest illam ducere, & matrimonium cum illa initum tenet, nisi eâ vivente, fidem illi dederit, vel alter eorum mortem uxoris defunctæ fuerit machinatus, prout statuitur in *c. Significâsti. 6. h. t.* Nam » cùm P. Civis Spoletanus quandam mulierem legitimè in uxorem duxisset, eâ relictâ, cuidam meretrici adhæsit (& quia monitus eandem dimittere noluit, fuit excommunicatus, ut habetur in integra lectione hujus c.) Verùm cùm uxor ipsius » mortua esset, meretricem, cui adhæserat, sibi per » verba de præsenti desponsavit. Consultus Pontifex Innocentius III. respondit, nisi alter eorum in » mortem defunctæ uxoris fuerit machinatus: vel » eâ vivente, meretrici fidem dederit de matrimonio cum ea contrahendo, (vel nisi de facto eam in uxorem duxerit, *Gl. hic V. Fidem dederit*) tale matrimonium legitimum esse censendum: & excommunicato absolutionem (si petierit) juxta formam Ecclesiæ, esse impendendam.

XIX. Hinc colligitur 1. quòd solum adulterium non reddit matrimonium postea initum invalidum, ne quidem inter personas contractum, à quibus illud commissum fuit, nisi cum adulterio concurrat machinatio in mortem alterius conjugis, sive adulter, sive adultera, seu alter conjux machinatus fuerit in mortem suæ uxoris, tunc enim matrimonium erit invalidum; nec requiritur ad hoc impedimentum inducendum, ut interveniat promissio futuri matrimonii, ut expressè etiam decidit in *c. Super hoc. 3. h. t. Sanch. cit. dis. 78. n. 2.*

Colligitur 2. Conjugatus persistens in adulterio potest excommunicari, nisi ad uxorem redeat, ut patet ex hoc c. in quo Civis ille Spoletanus fuit excommunicatus, quia adhærebat meretrici. Item excommunicatus potest contrahere matrimonium, illúdque tenet, ut probatur ex *cit. c. Significâsti. 6. h. t.* Nam tempore contractûs matrimonii, prædictus civis erat excommunicatus: quia durante priore matrimonio adhæsit meretrici, relictâ legitimâ uxore, eâque mortuâ duxit meretricem, ante obtentam absolutionem ab excommunicatione: & tamen Pontifex respondet, validum fuisse matrimonium, nisi cum adulterio concurrerit machinatio in mortem alterius conjugis, vel promissio matrimonii contrahendi cum adultera. Non ergo obstat excommunicatio valori matrimonii, quamvis peccet excommunicatus matrimonium iniens; at nullus est textus Juris Canonici illud irritans: peccat tamen mortaliter, si excommunicatus ineat matrimonium, ante absolutionem ab illa obtentam, quia excommunicatio hæc privat perceptione Sacramentorum sub gravi peccato, *Sanch. l. 7. de matrim. dis. 9. n. 2. & 3.*

XX. Cæterùm circa ea, quæ dicta sunt, quædam præterea notanda, & addenda. 1. ad impedimentum hoc dirimens contrahendum non requiritur physica cooperatio in mortem alterius conjugis, sed sufficit moralis. Quare satis est contrahere volentes matrimonium, mandato, vel consilio ad mortem alterius conjugis per alios cooperatos esse, modò sic ab aliis permoti mortem intulerint: secus si proprio motu, sine respectu ad eorum consilium, vel mandatum, occidissent, tunc enim eorum machinatio fuisset inefficax, nec verè causa mortis, *Coning cit. dis. 31. dub. 5. n. 50. Sanch. cit. dis. 78. n. 5.* & constat ex *c. 1. de conversi. conjug.* ubi uxor fidelis non occidit virum, sed infidelis vir machinatione, & insidiis uxoris illum occidit, & tamen statuitur, illud esse impedimentum dirimens. Et in *c. 1. & c. Significâsti. 6. h. t.* solùm attenditur machinatio in mortem alterius conjugis, quæ non exigit propriis manibus mortem inferri alteri conjugi, sed qualicunque cooperatione.

XXI. Addendum 2. Sola ratihabitio necis alteri conjugi illatæ non sufficit ad inducendum hoc impedimentum. Quare si quis cædem conjugis suo nomine factam postea ratam habeat, impedimentum hoc non incurritur, *Sanch. cit. dis. 78. n. 6. Coning cit. dub. 5. n. 50.* quia etsi aliàs ratihabitio retrotrahatur ad tempus mandati, ejúsque comparetur eriam in delictis; attamen æquiparatur solùm in iis rebus, quæ à nostra voluntate pendent, ut ratæ sint; postquam autem mors illata est, non potest intervenire machinatio ad mortem, adeoque non potest retrotrahi illa ratihabitio: neque eriam ratihabitio comparatur mandato, nisi quando id jure expressum est, ut in habente ratam percussionem Clerici: nullo autem jure expressum est, hoc impedimentum incurri, etiam solâ ratihabitione. Cùm ergo edictum de matrimonio non contrahendo sit prohibitorium, ut quicunque non prohibetur, per consequentiam admittatur,

Digitized by Google

tatur, *c. Cùm apud. 23. de ſponſal.* ad eum caſum extendi non debet, *Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 10. n. 1.*

XXII. Addendum 3. Hoc impedimentum incurritur, non tantùm ſi in uxoris, ſed etiam ſi in mariti cædem conſpiratio, ſeu machinatio facta ſit, ut ſi uxor virum interficiat ad contrahendum matrimonium cum adultero, non enim poteſt inter eos matrimonium conſiſtere, etſi occiſio viri in praxi non ſit tam frequens, ſicut uxoricidium: nam licèt in *c. 1. & c. Super hoc. 3. & c. Significaſti. 6. h. t.* ſolùm expreſsè ſit ſermo de uxoricidio, textus tamen in *c. Si quis. 5. cauſ. 31. q. 1. & in c. 1. de converſ. conjug.* expreſsè loquuntur etiam de viricidio, ſive de uxore, quæ operâ cujusdam infidelis ſuum virum interfecit. Nihil ergo refert, ad hoc impedimentum dirimens incurrendum, ſive vir uxorem, ſive uxor vitum occidat, modò mors alteri conjugi infetatur non aliâ intentione, quàm contrahendi aliud matrimonium cum adultero, vel adultera, quia par eſt quoad hoc utriúsque conjugis ratio, & conditio, *Sanch. cit. diſ. 78. n. 8.* & alii apud ipſum.

XXIII. Addendum 4. Si uterque eorum, qui poſt mortem conjugis, contrahere inter ſe matrimonium deſiderant, in cædem illius cooperentur, tunc aliud non requiritur ad impedimentum hoc incurrendum, niſi ut cædes, ſeu mors reipsâ ſequatur, ut colligitur ex *c. 1. h. t.* Si verò alter tantùm machinatus ſit in mortem conjugis, v. g. maritus uxorem occidat, ignorante, vel contradicente muliere, cum qua matrimonium contrahere deſiderat, tunc hoc impedimentum matrimonium dirimens inret eos non incurritur, niſi etiam adulterium intet venerit, ut colligitur ex *c. 1. & c. Super eo. 3. h. t. Sanch. cit. diſ. 78. n. 9. Coning cit. dub. 5. n. 53. Laym. cit. c. 10. num. 2.*

XXIV. Poſtremò illud adhuc quærirur, quænam præterea conditiones ſint neceſſariæ, ut incurratur hoc impedimentum. Reſp. plures requiri. Prima eſt, ut machinatio illa ſit efficax, & cædes reipsâ ſit ſecuta, *cit. c. Si quis. 5.* ibi: *occidiſſe noluerit, cauſ. 31. q. 1. Sanch. c. l. n. 7.* Et quamvis quædam Jura hoc non exprimant, tamen ita intelligenda ſunt, quia leges pœnales de crimine perfecto, & conſummato intelligi debent, niſi aliud conſter, *Coning c. l. n. 50.* & verba cum effectu accipienda ſunt, *c. Relatum. 4. de Cleric. non reſid.* Unde neque mandatum, vel conſilium de occidendo altero conjuge, dirimit matrimonium, niſi mors inde reipsâ ſequatur, ut ſuprà dictum.

XXV. Secundò requiritur, ut machinatio mortis alterius conjugis facta ſit, animo ineundi matrimonium cum conjuge ſuperſtite, quia leges ſtatuentes hanc pœnam intendunt impedire, ne aliqui propriam, vel alienam conjugem occidant, ex deſiderio alieni matrimonii: hic autem finis ceſſat in iis, qui ex alia cauſa conjugem occidunt, ut communiter docent plures Theologi, & Jurisperiti apud *Sanch. c. l. n. 13.* quamvis in foro externo, quando quis alterius conjugem interfecit, & cum conjuge ſuperſtite inire vult matrimonium, præſumatur id factum eſſe ex inteptione futuri matrimonii, niſi vehementiſſimæ conjecturæ contrarium ſuadeant, *Sanch. c. l. num. 19.*

XXVI. Tertiò requiritur, ut ſi unus tantùm machinetur mortem conjugis, matrimonium utrique contracturo ſit notum, ſive ut fœmina etiam ſciat virum, cum quo fornicata eſt, eſſe conjugatum, alioquin ſi vir conjugatus cum fœmina ſoluta ignara ipſum eſſe conjugatum, fornicetur, & propriam uxorem occidat, ut illam in matrimonium ducat, nullum inter illos erit impedimentũ dirimens, quia adulterium illud à fœmina fuit ignoratum. Idque procedit, etiamſi fœmina illa eſſet conjugata, adulterium enim cum illa commiſſum, quando ſolus adulter machinatur mortem propriæ uxoris, non dirimeret matrimonium initum cum adultera illa, poſt diſſolutionem utriúsq; conjugii, quia licèt illa commirreret adulterium contra fidem proptio viro debitam, non tamen reſpectu conjugis occiſi, quia neſciebat illum eſſe conjugatum, *Sanch. cit. diſ. 78. num. 12.*

XXVII. Quartò requiritur ad contrahendum hoc impedimentum, ut matrimonium prius cum uxore occiſa initum fuerit verum, & legitimum, non tantùm bonâ fide exiſtimatum: alioquin occiſio illius conjugis etiam cum adulterio commiſſo cum alia conjuge, non erit impedimentum dirimens, nec obſtabit, quominùs matrimonium inret adulteros contrahi poſſit? Canones enim impedimentum hoc ſtatuentes requirunt conjugis occiſionem, & adulterium, quæ à parte rei non ſunt, ſi matrimonium reipsâ ſit invalidum, etſi puretur eſſe validum. Satis tamen eſt, ut prius matrimonium ſit verum, & legitimum, quamvis non ſit conſummatum, nec impedit, ſi divortium factum ſit, quia in utroque caſu adhuc verum eſt matrimonium, *Sanch. cit. diſ. 78. n. 20.*

XXVIII. Sed contra hoc impedimentum objiciunt Lutherus, & Philippus Melanchton exemplum Davidis, qui Berſabeam uxorem Uriæ, eo occiſo, in uxorem duxit, ut habetur 2. *Reg. c. 11.* Sed reſpondetur, hoc impedimentum matrimonii, tempore Veteris Teſtamenti, non extitiſſe, ſed poſtea primùm ab Eccleſia in Novo Teſtamento eſſe introductum, juſtiſſima ex cauſa, quia atrociſſimum factum eſt, inſidias parare, & dare anſam inſidiandi vitæ alterius conjugis, cùm conjuges arctiſſimo vinculo amoris, & amicitiæ inter ſe conjuncti eſſe debeant, *Sanch. cit. diſ. 78. n. 1.* Accedit, quòd multa alia in veteri lege permittebantur, quæ nunc per novam legem Evangelicam ſunt abrogata, ut libellus repudij, polygamia, item quòd quis potuerit uxorem fratris ſui ſine liberis decedentis, ducere, *Deut. c. 25.* & alia ſimilia, ut notat *Henric. Caniſ. hìc n. 12.* Cùm ergo duplex hoc impedimentum criminis Jure ſolùm Eccleſiaſtico ſit introductum, ſequitur inter infideles illud non habere locum, non enim repugnat juri naturali hujusmodi matrimonium, *Sanch. cit. diſ. 78. n. 22.* Neque etiam prædictum impedimentum adulteros, vel conſpirantes in cædem conjugis ſimpliciter reddit inhabiles ad quodvis aliud matrimonium ineundum cum aliis, ſed ſolùm ne inter ſe illud contrahant, quia textus Juris hoc impedimentum ſtatuentes ſolùm irritant matrimonium inter machinantes mortem, & adulteros, *Sanch. c. l. n. 21. & cit. diſ. 79. n. 41.*

Porro eſt & aliud crimen dirimens matrimonium Jure novo Eccleſiaſtico introductum, videlicet crimen raptûs, quod tunc committitur, quando ali-

qua

Digitized by Google

qua fœmina, sive ea soluta sit, sive conjugata, aut vidua, ab uno loco in alium violenter abducitur, causâ libidinis exercendæ, vel matrimonii contrahendi. Verùm de hoc crimine non agitur in hoc Tit. Sed infrà *libr. 5. Decret. Tit. 17. de Raptorib.* ubi etiam nos de illo agemus.

TITVLVS VIII.

DE CONJUGIO LEPROSORUM.

Inter impedimenta matrimonii numeratur etiam lepra, de qua hoc Tit. agitur, & tractatur, an, & qua ratione impediat sponsalia, vel matrimonium, sive contrahendum, sive contractum.

§. I.

An per lepram supervenientem præcedentia sponsalia de futuro dissolvantur, vel etiam matrimonium præcedens?

I.

ASSERTIO 1. Per lepram supervenientem dissolvuntur sponsalia de futuro priùs contracta, ut constat ex *6. Litteras. 3. & ult. h. t.* Ubi consultus Ponti» fex Urbanus III. utrùm si post sponsalia de fu» turo, legitimè contracta inter aliquas personas, » ante celebratas nuptias, unus ex sponsis in lepram » incidat, alter eorum sit compellendus ad contra» hendum matrimonium? Respondet Papa, eum » ad id cogi non debere, cùm inter eos nondum sit » matrimonium consummatum, id est, contractum, » scilicet per verba de præsenti. Dissolvuntur autem priora sponsalia de futuro per supervenientem lepram, non quidem ipso jure, sed si alter sponsus, qui immunis est à lepra, id petat, quia si nolit dissolvi sponsalia, sed alicui promittat matrimonium, quam scit esse leprosam, talia sponsalia obligabunt ad contrahendum matrimonium, nam hæc dissolutio sponsalium est introducta, non in favorem leprosi, sed ejus, qui sanus est; quod autem ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus odium retorquendum, *Reg. Jur. 61. in 6. Canif. hic* n. 2.

II. Id verò extenditur ad quemvis alium morbum contagiosum supervenientem uni ex sponsis, post sponsalia de futuro inita, ut est morbus gallicus, paralysis, epilepsia, vel alia infirmitas incurabilis, nam generaliter ob quamvis notabilem mutationem supervenientem post sponsalia, ea dissolvuntur, *Sanch. l. 1. de sponsal. dis. 57. n. 2.* quia per sponsalia de futuro nondum est contractum indissolubile vinculum matrimonii, sed solùm est promissio facta de matrimonio contrahendo, *c. 2. de sponsal.* & patet ex suprà dictis Tit. 1. hoc Libro.

III. ASSERTIO 2. Per lepram supervenientem non dissolvitur matrimonium præcedens, ac proinde conjux leprosus non potest, nec debet propter lepram separari à sano, ut constat ex *c. Pervenit.* » *1. h. t.* Nam cùm relatum fuisset Alexandro III. » quòd in Provincia Cantuariensi ex generali con» suetudine leprosi à communione hominum sepa» rentur, ita ut nec uxores viros, nec viri uxores » sequantur, respondet Pontifex, quoniam vir, & u» xor una caro sunt, non debent alter, sine altero, » diutiùs esse, & mandat, ut uxores viros, & viri u» xores lepræ morbo laborantes sequantur, sibique » invicem conjugali affectione inserviant, & ut ad » hæc Archiepiscopus, vel Episcopus solicitè eos in» ducat. Si verò ad hoc induci non possint, eis in» jungat, ut uterque altero vivente, continentiam » servet. Quod mandatum, si non servent, excom» municentur. »

IV. Ubi notandum 1. leprosi, ex generali consuetudine, licitè separantur, & excluduntur à consortio, & cohabitatione cæterorum hominum, ne sani ab illis inficiantur, quæ consuetudo approbata est Jure Canonico in *c. 2. de Eccles. ædif.* quia leprosi cum aliis habitare non debent, *Gl. hic V. De consuetudine, & Abb. n. 2.*

Notandum 2. Per lepram supervenientem non dissolvitur matrimonium antea contractum, nec ob id separati possunt conjuges, imò ob nullam aliam etiam infirmitatem, quantumvis gravem, conjugia solvi possunt, *c. Hi, qui. 25. caus. 32. q. 7.* neque uxor est dimittenda etiam quoad torum, *c. 2. h. t. in princ.* Sed neq; matrimonium dissolvitur propter lepram, vel aliam infirmitatem, etsi nondum sit carnis copulâ consummatum, quia vinculum matrimonii solo consensu contractum est indissolubile, nuptias enim non concubitus, sed consensus facit, *l. 30. ff. de R. I.* Nec obstat, quòd in *c. 3. h. t. in fine*, videatur innui, matrimonium propter lepram dissolvi, si nondum fuerit consummatum: nam ibi verbum *consummatum* latè accipiendum est, pro consensu per verba de præsenti, per quem matrimonium dicitur consummari, quoad sui essentiam, *Abb. ibid. n. 3. in fine.* Multò minùs autem dissolvi potest matrimonium, propter lepram, postquam consummatum fuit, quia cùm tunc una caro facti sint conjuges, nõ debet unus esse sine altero, ut dicitur in *c. 1. §. Quoniam. h. t.* Cùm autem additur, quòd non debet unus conjux diutiùs esse sine altero, id arbitrio boni viri, seu Judicis relinquitur, quamdiu maritus ab uxore abesse possit, *Gl. hic V. Diutiùs. & Abb. n. 7.*

Notandum 3. Maritus, & uxor, non obstante leprâ, debent maritali affectione se invicem tractare, ut dicitur in in *cit. c. 1.* & mutua obsequia conjugalia sibi exhibere. Si verò ad hoc induci non possint, debet uterque, altero vivente, continentiam servare. Quòd si mandatum hoc servare contempserint (& adulterium commiserint) excommunicandi sunt,

Hoſtienſ. hic V. Contemplerint. Ubi verbum *mandatum* referri debet, vel ad continentiam ſervandam, de qua immediatè antè, vel ad cohabitationem, non ad continentiam; quia ea conſuli poteſt, non præcipi, ergo ad cohabitationem, de qua paulò antè, *Sanch. l. 9. de matrim. diſ. 24. n. 26.* ita ut ſi cohabitate contemplerint, excommunicentur.

Notandum 4. Uxor tenetur ſequi virum, & è converſo, vir uxorem, ut præcipitur *in cit. c. 1. h. t.* eſt tamen quoad hoc differentia inter virum, & uxorem, quia vir tenetur uxorem ſequi, ſi ea ex juſta cauſa diſcedat, aliàs poteſt vir ipſam poteſtate maritali prohibere, ne recedat. At verò uxor ſemper tenetur ſequi virum, ex quacunque cauſa, *c. Unaquæque. 3. cauſ. 13. q. 2.* niſi vir illam trahere vellet ad infidelitatem, *c. 2. de divort.* vel niſi vir efficiatur vagabundus, *Gl. hic V. Sequantur.* & in *c. Si quis. 4. V. Eum ſequi. cauſ. 34. q. 2.* quod tamen limitandum eſt, niſi tempore contracti matrimonii, ipſa ſciviſſet, virum vagabundum eſſe, quia tunc cenſeretur ejus mores approbâſſe, & ſic teneretur eum ſequi, *Gl. in cit. c. Si quis. V. Eum ſequi. Alex. de Nævo in eit. c. 1. n. 7. h. t.*

§. II.

Alia nonnulla quæſtiones circa conjugia leproſorum proponuntur, & reſolvuntur.

V. Quæritur 1. An propter lepram, vel aliam infirmitatem conjux à conjuge ſeparandus ſit, ſaltem quoad torum, & cohabitationem. 2. An leproſi poſſint contrahere matrimonium. 3. An conjuges leproſi teneantur ſibi invicem reddere debitum conjugale? Ad has tres quæſtiones reſpondetur *in c. » Quoniam. 2. h. t.* Ad primam dicitur, cùm nemi» ni liceat (exceptâ cauſâ fornicationis) uxorem » dimittere, conſtat, quòd ſi mulier leprâ percuſſa » ſit, ſive aliâ gravi infirmitate detineatur, propte» rea non ſit ſeparanda, vel dimittenda.

VI. Ubi notandum, propter lepram, vel aliam gravem infirmitatem unus conjux alterum dimittere non poteſt, nec ab eo ſeparari debet, ne quidem quoad torum, & cohabitationem, ut dicitur hîc & in *c. 1. eod.* exceptâ cauſâ fornicationis, ſeu adulterii, *Matth. 5. v. 32. & c. 19. v. 9.* Ubi cùm Chriſtus ſolam cauſam fornicationis exceperit, non videtur, quòd maritus poſſit in aliis caſibus dimittere uxorem, vel ab ea ſeparari, & è converſo, uxor dimittere virum, quia exceptio firmat regulam in contrarium, ſive in caſibus non exceptis, *c. Dominus. 6. cauſ. 32. q. 7.* Verùm non ob ſolam cauſam fornicationis, ſed propter alias etiam cauſas, ſeparationem inter conjuges, quoad torum, & cohabitationem, ad certum, vel incertum tempus, fieri poſſe, decernit Concilium Tridentinum *Seſſ. 24. de reform. matrim. can. 8.* Quare tripliciter reſpondere ſolent DD. ad teſtimonium Chriſti dicentis, non licere dimittere uxorem, niſi ob fornicationem. Prima expoſitio eſt, exceptionem, ſeu dictionem exceptivam non firmare regulam in contrarium, quoad caſus alibi exceptos in Jure, ut declarat *Everhard. in locis argumentorum legalibus, loco 9. ab exceptione ad regulam n. 5.* unde ex cit. teſtimonio Chriſti non convincitur, nullam aliam eſſe cauſam divortii, præter fornicationem, ſed nullam aliam cauſam eſſe, præter illas, quæ in aliis Juris Canonici locis Jus Divinum explicantibus continentur, *Sanch. libr. 10. de divortio diſ. 15. n. 2.* quas enumerat *ibid. n. 1.* Secunda reſponſio eſt, ſolam fornicationem carnalem eſſe cauſam perpetuæ dimiſſionis, & abſolati divortii: de qua Chriſtus loquebatur, non enim eſt verum divortium, niſi quod fit animo conſtituendi perpetuam diſſenſionem, ſeu ſeparationem, ut dicitur in *l. 3. ff. de divort.* At propter alia crimina non eſt licita ſeparatio, niſi quamdiu ea durant. Sic enim ſi divortium inſtituatur, v. g. propter ſævitiam mariti, vel quia uxorem allicit, vel inducere vult ad peccandum, ceſſante ſævitiâ, vel periculo perverſionis, ceſſat etiam ſeparatio, ſeu divortium, & matrimonium inſtauratur.

VII. Tertiò & melior expoſitio eſt, quam tradit *Bellarm. l. 1. c. 14. §. Dicendum eſt*, dupliciter poſſe intelligi dimitti, ſeu ſeparari conjugem à conjuge: priore modo, quatenus conjux eſt, id eſt, ita ut cauſa dimiſſionis, ſeu ſeparationis ſit deſumpta ex ipſa natura conjugii, tanquam ex propria, & peculiari ratione matrimonii: & ſic ſola fornicatio carnalis eſt cauſa divortii, de qua locutus eſt Chriſtus, quia ſola fornicatio carnalis, ſive adulterium repugnat fideî conjugali, & ſubſtantiæ ipſius matrimonii. Poſteriore modo intelligi poteſt fieri divortium, quia conjunctio coniugalis cedit in perniciem, & detrimentum perſonæ conjugis: ſicut etiam poſſet contingere inter alias perſonas, quæ ſimul habitant. Et hoc modo poteſt etiam ob plures alias cauſas, Jure Divino, & naturali id permittente, divortium inter conjuges inſtitui, ob incolumitatem corporis, vel animæ eorum, & unus ab altero ſeparari, v. g. propter hæreſin, vel aliud periculum. Vera igitur ratio, cur ob fornicationem, ſeu adulterium permittatur inſtitui perpetuum divortium inter coniuges, eſt, quia in fornicatione, ſeu adulterio cauſa divortii oritur ex ipſa natura coniugii, eò quòd per fornicationem, ſeu adulterium violatur fides promiſſa data, quæ cùm debeat eſſe perpetua, meritò propter eam violatam conceditur divortium, ſeu ſeparatio perpetua. At verò propter alias cauſas, quæ ex natura ipſius coniugii non oriuntur, adeoque non ſunt perpetuæ, ſed etiam inter alias perſonas, quæ ſimul cohabitant, non tamen ſunt coniuges, locum habere poſſunt, ut eſt diſcordia, lepra, vel alius morbus contagioſus, vel periculum ſeditionis &c. conceditur divortium, ſive ſeparatio ad conſervandam ſalutem mentis, & corporis ipſorum conjugum, non in perpetuum, ſed ad tempus tantùm, dum illæ cauſæ durant. *Sanch. cit. diſ. 15. n. 2.* Quare ob ſolam fornicationem admittitur divortium, ſeu ſeparatio perpetua inter coniuges, de qua locutus eſt Chriſtus; ob alias verò plures cauſas admittit Eccleſia divortium ad tempus certum, vel incertum, de qua loquitur Concilium Tridentinum *c. l.*

VIII. Ad ſecundum quæſitum reſpondetur in *cit. c. 2. h. t.* Leproſi, ſi continere nolunt, & aliquam invenerint, quæ ipſis nubere velit, liberum » eſt eis, ad matrimonium tranſire. Ratio eſt, quia » matrimonium non eſt eis prohibitum, cùm edictum de matrimonio non contrahendo ſit prohibi-

Digitized by Google

hibitorium, ita ut omnes, qui non prohibentur, matrimonium contrahere possint, c. *Cùm apud.* 23. *de sponsal. Gl. hìc V. Liberum.*

IX. Ad tertium quæritum respondetur in *eod. c.* » *in fine.* Quòd si virum, vel uxorem leprosam fieri » contingat, & infirmus à sano debitum conjugale » exigat, juxta generale præceptum Apostoli, quod » exigitur, solvendum est, cùm nulla in hoc casu ex- » ceptio inveniatur.

Notandum 1. Ex præcepto Apostoli 1. ad *Corinth. 7. V. 3. Uxori vir debitum reddat, & similiter uxor viro*: tenetur etiam coniux leprosi ei reddere debitum carnale, quia præceptum hoc est generale, ideoque generaliter intelligendum, *Gl. hìc V. Generali præcepto*, cùm neque Christus, neque Apostolus, neque Pontifex hìc ullam exceptionem addiderit de leprosis, sicut Christus excepit causam fornicationis. Id verò limitatur, nisi debiti redditio cedat conjugi sano reddenti in notabile damnum, ut si iudicio Medicorum, propter morbum lepræ immineat conjugi sano grave infectionis periculum, tunc enim potest coniux immunis à lepra separare se à coniuge leproso, quoad torum, eique debitum denegare, ut docet *Sanch. l. 9. de debito conjugali dis. 24. num. 17.* & alij Theologi communiter. Ratio est, quia nullus censetur se per matrimonii contractum obligare velle ad reddendum debitum, nisi salvâ individui incolumitate, quia ordo charitatis, quæ à se ipso incipit, postulat priùs propriæ indemnitati consuli, quàm alterius, *Sanch. c. l. n.* 2. Idémque dicendum, si alter coniux morbo gallico laboret, vel alio contagioso, non enim tenetur coniux sanus debitum ei reddere, cùm periculo notabilis infectionis, quia est eadem ratio, ac de lepra, *Sanch. c. l. n.* 18.

Notandum 2. Si lepra matrimonium præcessit, neque alter conjux illam ignoravit, tunc tenetur sanus leproso debitum conjugale reddere, quia per contractum matrimonij antea se ad hoc obligavit, adeoque sibi tale periculum infectionis imputare debet, neque excusatur à reddendo debito, *Sanch. cit. dis. 24. n.* 21.

Notandum 3. Excusatur tamen etiam conjux sanus, quando periculum infectionis cessat, à debito reddendo, propter nimium horrorem ortum ex accessu ad coniugem leprâ, vel alio morbo horrorem causante infectum, quia nemo potest ad impossibile obligari, *Reg. Iur. 6. in 6. Sanch. cit. dis. n.* 21.

X. Sed jam ulteriùs quæritur, utrùm conjux sanus teneatur etiam cum leproso assiduè cohabitare? Resp. si ex assidua cohabitatione sequitur probabile periculum notabilis infectionis, non tenetur cohabitare, ut ex dictis patet, aliàs verò tenetur, quia per contractum matrimonij obligantur Conjuges ad reddendum debitum, & cohabitandum, à qua obligatione eximuntur propter periculum gravis contagionis ortæ ex morbo alterius conjugis, ergo quando periculum hoc non subest, manet obligatio ad cohabitandum, *Sanch. cit. dis. 24. n.* 29. Ex quo infert, quòd nunquam conjux sanus cohabitare teneatur conjugi leproso, lacendo in eodem lecto, quia ex eo semper sequitur periculum infectionis: an autem saltem cohabitare debeat in eadem domo, id iudicio Medicorum relinquendum est, utrùm ex ea cohabitatione periculum gravis infectionis, spectatis circumstantijs, sequatur, an non?

TITVLVS IX.

DE CONJVGIO SERVORVM.

§. I.

An servus possit licitè, & validè contrahere matrimonium, invito, vel ignorante domino, & qua ratione error statûs, seu conditionis servilis dirimat matrimonium, & quo iure?

I. ALiud impedimentum matrimonij est error servilis conditionis, de quo agitur in hoc Tit. An, & quatenus illud impediat? Est autem hìc sermo non de servis adscriptitijs, qui glebæ, seu prædio colendo perpetuò sunt addicti, ita ut inde recedere non possint, & insuper omnes redditus prædiorum, demptis tantùm expensis, & necessario victu, dominis suis reddere debent, & quamvis ad certas operas, seu servitia dominis prædiorum præstanda teneantur, sunt tamen verè liberi, adeoque validè, & licitè matrimonium contrahere possunt, etiam sine consensu Domini, & nati ab adscriptitijs hujusmodi appellantur Originarij, ut docet *Abb. in c. 2. de Iudæis.* Verùm in hoc tit. agitur de mancipijs, seu servis propriè dictis, qui non sunt liberi, & quos dominus vendere potest, *Sanch. libr. 7. dis. 19. num.* 1.

II. ASSERTIO 1. Servus etiam invito, & contradicente domino licitè matrimonium contrahere potest, illúdque tenet, quamvis nihilominus debita, & consueta servitia domino exhiberi debeant, ut constat ex *c. Dignum. 1. h.t.* Ubi Pontifex Hadrianus super hac re consultus rescribit: Sicut juxta » Apostolum (ad Galatas. 3.) in Christo JESU, » neque liber, neque servus à Sacramentis Ecclesiæ » est removendus: ita nec inter servos (nec etiam » inter liberum, & ancillam, si scienter contrahere » voluerint, *Gl. hìc V. Inter servos,*) debent matri- » monia

Digitized by Google

» monia prohiberi, quæ ſi dominis contradicentibus, » & invitis contracta fuerint, nullâ ratione ſunt pro- » pterea diſſolvenda: debita tamen, & conſueta ſer- » vitia debent nihilominus proprijs dominis exhi- » beri. Ratio hujus Conſtitutionis eſt, quia matrimo- » nium jure naturæ, & divino conceſſum eſt homini in » remedium concupiſcentiæ, ut vitarentur fornicatio- » nes, & alia flagitia carnis, & ob bonum publicum ad » propagationem naturæ humanæ, hoc autem jus non » poteſt à dominis ſervis auferri, quia jus hominis ad » contrahendum matrimonium eſt jus potiùs ipſius » naturæ humanæ ad ſuam propagationem, & conſer- » vationem, quàm jus privatum cujuslibet individui, » ergo non poteſt ſervis auferri à dominis: unde dicitur » in hoc cap. nullatenus inter ſervos prohibenda eſſe » matrimonia, ne ſine conſenſu domini ineantur, quin » imò graviter peccant domini contra juſtitiam, impe- » diendo poſitivè ſervos, ne matrimonium ineant, quia » faciunt contra jus illis conceſſum à natura, cùm enim » ſervi ſint in hoc ſui juris, nec domino ſubdantur, in- » juſtè dominus interdiceret eis, ne ſuo jure utantur, *Sanch. l. 7. de matr. diſ. 21. n. 3. & 5. ubi n. 6.* addit, non poſſe dominum, tutâ conſcientiâ, punire ſer- » vum, quòd matrimonium, eo invito, inierit, cùm » uſus ſit jure ſuo, & nihil deliquerit. Neque verò et- » iam per Jus civile potuit abrogari jus naturale, & Di- » vinum, quo matrimonium eſt inſtitutum in officium » naturæ, ad ſobolis procreationem, & ad mutuam » viri, & fœminæ ſocietatem, *Azor. p. 2. Inſtit. l. 2. c. 38. q. 4.*

III. Ubi præterea notandum. Servus Criſtianus, qui ſcilicet baptizatus eſt, poteſt omnia Sacramenta ſuſcipere, quæ ſuſcipientis causâ conferuntur, ut eſt Baptiſmus, Euchariſtia, Pœnitentia, & alia Sacra- menta, etiam matrimonium, quia cùm Edictum de matrimonio non contrahendo ſit prohibitorium, nul- lus ab eo excludi debet. Ratio redditur in textu, quia in Chriſto, id eſt, in fide Chriſti ſuſcipienda apud DEUM, nulla eſt differentia generis, conditionis, aut ſexûs, ſed omnes, ſive Judæi, ſive Græci, ſive maſculi, ſive fœminæ, unum ſunt Corpus Myſticum, ſcilicet Eccleſiæ, cujus Caput eſt Chriſtus, prout hunc locum explicat *Menoch. in c. 3. ad Gal. Verſ. 28.* & ideo nullus Chriſtianus excludi debet à Sacramentis Ec- cleſiæ, quæ ſunt omnibus Chriſtianis communia: non tamen ſervi eximuntur à poteſtate dominica, ſed ad debita, & conſueta ſervitia præſtanda dominis com- pelli debent, *Gl. hic V. A Sacramentis*: excepto ta- men Ordine, quia nullus ſervus debet ordinari, ſine domini conſenſu *c. Conſuluit. 5. de ſerv. non ordin.* & alibi dicitur. Verùm de ſervis, qui nondum bapti- zati ſunt, nihil poteſt diſponere Eccleſia, vel Jus Ca- nonicum, & ideo illi ſubſunt diſpoſitioni Juris Civilis, ſecundùm quod ſervis interdictum eſt matrimo- nium, *l. 3. C. De inceſt. nupt. & Inſtit. de nupt. in princ.* quia pro mortuis civiliter habentur: hoc tamen per Jus Canonicum quoad ſervos Chriſtianos, eſt cor- rectum, quod in hac re prævalet, & ſervandum eſt, quia leges Civiles nihil poſſunt diſponere circa ma- trimonium, *Alex. de Nevo hic n. 7. Azor c. 1.*

IV. Assertio 2. Error conditionis ſervi- lis, quando ſcilicet homo liber contrahit matrimo- nium cum ancilla, quam ignorat eſſe ancillam, vel libera cum ſervo, quem neſcit eſſe ſervum, reddit irritum matrimonium, prout colligitur ex *c. Pro- poſuit. 2. h. t.* Nam cùm quidam vir mulieri M. » cum qua diu cohabitavit, notam ſervilis conditio- » nis obieciſſet, aſſerens illam eſſe ancillam, quam li- » beram eſſe putabat, quando eam in uxorem duxit: » ideo re delatâ ad Papam Alexandrum. III. is man- » davit, ut ſi conſtiterit, quòd idem vir prædictam » mulierem, poſtquam audivit illam eſſe ancillam, » carnaliter cognovit, ipſum, monitione præmiſſâ, » compellat, ut eam, ſicut uxorem maritali affectio- » ne tractet; ſi verò aliter fuerit, & ſententia divortij » proferatur, mulieri pecuniam reſtituat, quam illa » pro dote viro conceſſit. »

Ratio autem, cur hoc impedimentum ſervilis conditionis, ſive ſervitutis dirimens matrimonium ſit inductum, eſt, quia is error valde repugnat bonis matrimonij: & inprimis quidem adverſatur bono Sacramenti, & individuæ ſocietati, & cohabitationi conjugum, quia ſervus debet ſervire domino, ideò- que habitare in domo ipſius, qui poteſt illum mittere ad partes remotas, ibique vendere: deinde adverſa- tur bono fidei conjugalis, quia non poteſt pro libito reddere debitum conjugi, ſed nonnili quando ei va- caverit, & poſtquam ſatisfecit obſequijs, ad quæ do- mino eſt obſtrictus: denique adverſatur etiam bono prolis, quia non poterit eam commodè alere, nam omnia, quæ laboribus, ſeu lucris acquirit, domino acquirit, nec poterit etiam prolem bene educare, & ideo meritò Eccleſia irritavit talia matrimonia, *Sanch. libr. 7. de matr. diſ. 19. n. 2.* ubi n. 3. id extend- it, quòd etiamſi libertas, non ſit perpetua, ſed ad cer- tum ſolùm tempus v. g. ad biennium conceſſa, ita ut eo elapſo, ſervus in priſtinam ſervitutem redigan- tur: matrimonium tamen cum ignorantia ſervitutis contractum ſit nullum, quia talis revera manet ſer- vilis conditionis, & quidquid interim agit, id agit ut ſervus, nec poteſt liberè tradere poteſtatem ſui cor- poris alteri, nec ad Ordines promoveri.

V. Porro pro explicatione *cit. c. 2.* Notandum 1. ſi quæratur, an & quando, ratione conditionis ſer- vilis, vitietur matrimonium, tum diſtinguendum eſt. Vel enim contrahit quis matrimonium cum ancilla, ignorans illam eſſe talem, ſed putans eſſe liberam; & tunc matrimonium non tenet, *c. 2. hic & ibi Gl. V. Liberam*: idque propter errorem, qui conſenſum ex- cludit, *l. Si per errorem. 15. ff. de jurisdict.* ubi dicitur *Cùm non conſentiant, qui errant, quid enim tam contra- rium eſt conſenſui, quàm error, qui imperitiam detegit?* niſi ſequatur ratihabitio expreſſa per novum conſen- ſum matrimonialem ejus, qui ignorabat alterius ſer- vitutem; vel ſaltem ratihabitio tacita, quia catnaliter ſervam poſtea cognovit, tunc enim matrimonium, quod antea nullum erat, reconvalescit, *cit. c. 2. & 4. h. t. Caniſ. in cit. c. 2. n. 3.* Vel quia ſciens alterum eſſe ſervum, vel ancillam, cum eodem, vel eadem contrahit matrimonium, & tunc illud tenet, juxta *cit. c. 2. h. t.* quia Jus Canonicum irritat ſolùm matri- monium, ſi liber contrahat cum ancilla, vel libera cum ſervo, & liber ignoret alterum eſſe ſervum, ut conſtat ex *c. 2. & 4. h. t.* Ratio autem, ob quam hoc ſtatuit Eccleſia, ea eſt, ut refarciat gravem injuriam illatam libero ignoranti conditionem ſervilem alterius, & ob magnam contractûs inæqualitatem, quæ ratio non habet locum, quando liber ſcit alterum eſſe ſervum, cum

Digitized by Google

cum quo contrahit, tunc enim ceſſat error, & contrahens non decipitur, & remittit jus ſuum, *c. Si quis, 2. & c. ſeq. & c. Si famina 5. cauſ. 29. q. 2.*

Notandum 2. Etſi error ſervitutis, ſi quis contrahat matrimonium cum ancilla, quam ignorat eſſe ſervam, vitiet matrimonium, ut dictum: non tamen error circa qualitatem perſonæ, ut ſi quis contrahat cum ea, quam per errorem exiſtimavit eſſe nobilem, vel virginem, vel divitem, vel bonam, cùm non eſſet, dirimit, vel irritum reddit matrimonium, *cauſ. 29. q. 1. toto*, ubi dicitur: Error fortunæ, & qualitatis conjugij conſenſum non excludit: error verò perſonæ (quando quis putatur eſſe Virgilius, & ipſe eſt Plato) vel conditionis (quando putatur eſſe liber, qui eſt ſervus) conjugij conſenſum non admittit, *Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 3. §. 7. n. 1.* in fine, & dictum ſuprà *Tit. 1. hoc libro. ſec. 6. §. 3. n. 160. & ſeq.* Ratio diverſitatis eſt, quia error conditionis ſervilis contingit circa ea, quæ ſunt de eſſentia matrimonij, & ad illius ſubſtantiam pertinent, nempe circa ipſam mutuam, & liberam corporum traditionem, ſervus enim, vel ancilla non habet poteſtatem corporis ſui, cùm ſit ſubjectus, vel ſubjecta poteſtati domini ſui, & ideo non poteſt libruni uſum corporis ſui alteri tradere; quod non eſt in errore aliarum qualitatum, cujuſmodi ſunt, quòd ſit nobilis, dives, virgo &c. Nam etſi ſervitus per ſe ſubſtantiæ matrimonij non repugnet, obſtat tamen ejus cauſæ, nempe libertati conſenſûs, *Covarr. c. l.*

Notandum 3. Matrimonium, quod liber contraxit cum ancilla, ignorans illam eſſe ſervam, ſit validum, ſi poſt ſcientiam ſervitutis, carnalem copulam cum illa habeat, ut conſtat ex hoc c. Verùm quia hodie poſt Concilium Trident. *Seſſ. 24. de ref. matrim. c. 1.* non ſufficit ad matrimonium contrahendum præſumptus conſenſus, qualis habetur per ſubſequentem copulam, niſi poſt ſublatum impedimentum, novus conſenſus, coram Parocho, ac teſtibus, interveniat, ideo quoad hanc partem, nunc non habet locum diſpoſitio hujus cap. in locis, ubi Concilium Trident. eſt promulgatum, & receptum, ac proinde vir, qui liberè contraxit matrimonium cum ancilla, ignorans illam eſſe ancillam, etiamſi poſtquam hoc ſcivit, eandem carnaliter cognoſcat, non poteſt compelli, ut eam tanquam uxorem maritali affectione tractet, *Barboſ. in cit. c. 2. n. 5.* & alij apud ipſum.

Notandum 4. Judex Eccleſiaſticus poteſt judicare inter laicos, ſuper dote reſtituenda, quia dos eſt acceſſorium matrimonii, de qua judicare eſt Eccleſiæ, *Abb. hic n. 4. & Alex. de Nevo n. 5.* Porro dos reſtituenda eſt ancillæ, vel pecunia pro dote, ſeu loco dotis data, ſi matrimonium diſſolvatur per ſententiam divortij, *Gl. fin. hic*, quia ubi non eſt matrimonium, non eſt propriè dos, *Hoſtienſ. hic in fine.*

VI. ASSERATIO 3. Non omnis error ſervilis conditionis reddit matrimonium invalidum, ſed quando talis eſt error, ut fiat deterior conditio errantis: ſecus, ſi conſtituatur in digniore, vel pari conditione. Quando igitur per conditionem ſervilem redditur deterior conditio errantis, ut quia credidit, mulierem, cum qua contrahit matrimonium, eſſe liberam, cùm eſſet ancilla, tunc error vitiat matrimonium, & irritum erit, juxta *c. 2. h. t.* Quidam verò eſt error conditionis melioris, ut cùm liber contrahit matrimonium cum libera, quam putavit eſſe ancillam, nam talis error quidem, quia unam pro alia putat: non tamen ob hujusmodi errorem matrimonium redditur nullum, quia etſi ſciviſſet illam eſſe liberam, verìſimiliùs cum illa contraxiſſet, cùm per hoc conditio errantis ſit melior, nec reſpectu ſuæ conditionis, poſſit dici deceptus, cùm liber duxerit liberam. Similiter ſi ſervus contrahat matrimonium cum ancilla, quam putabat eſſe liberam, valet matrimonium, nam conditio ſervi contrahentis non fit deterior, cùm contraxerit cum æquali ſuæ conditionis, nec reſpectu ſuæ conditionis fuit deceptus, *Sanch. cit. diſ. 19. n. 23.* & alii apud ipſum.

VII. Sed jam ulteriùs quæritur, utrùm error conditionis ſervilis ditimat matrimonium jure naturali, an verò ſolùm Jure Eccleſiaſtico? Duplex eſt ſententia. Prima eſt, quamvis ſervitus non præſtet naturale impedimentum matrimonio ineundo, ſicut naturalis impotentia ad copulam conjugalem, adeoque validum ſit mattimonium ſervorum inter ſe, & matrimonium liberi cum ancilla, vel liberæ cum ſervo, ſi non ignoretur ſervilis conditio, ſed cognita ſit, ut ſuprà dictum: Attamen error ſervitutis ita obſtat matrimonio, ut jure naturali illud reddat irritum, quam ſententiam tenet *Silveſt. V. Matrimonium. 6. q. 1.* & alii apud *Sanch. cit. diſ. 19. n. 15.* quia hoc impedimentum non videtur à SS. Canonibus de novo introductum eſſe, ſed ſolùm approbatum, quod antea ſemper receptum erat, ac proinde veriſimile eſt, per errorem ſervilis conditionis matrimonium jure gentium irritum eſſe, cui ſententiæ videtur etiam favere *Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 2. n. 3.* & eſt ſententia probabilis.

VIII. Verùm contraria ſententia, quòd error ſervilis conditionis, ſolo Jure Eccleſiaſtico, quamvis antiquiſſimo, irritat matrimonium, eſt communiter magis recepta inter DD. apud *Sanch. cit. diſ. 19. n. 16.* Ratio eſt, quia non videtur irritum jure naturæ, cùm non ſit contra ſubſtantiam matrimonii, nam ſervitus non tollit, vel impedit abſolutè, & ſimpliciter libetum uſum matrimonii, ſed ſolùm pro eo tempore, quo dominus juſtè, & rationabiliter ſervum occupat in ſuis ſervitiis, & miniſteriis, quod non advertatur ſubſtantiæ matrimonii, prout hoc à natura inſtitutum eſt, quia adhuc habet ſervus abſolutam poteſtatem tradendi ſuum corpus alteri, & eſt obligatus ad reddendum debitum, ſi legitimum impedimentum non obſtet. Idque confirmatur 1. quia Eccleſia matrimonium à libero ſciente contractum cum ſervo, vel ſerva, non irritat, ſed ſolùm cùm contrahitur ignoranter, & per errorem, ut patet ex *c. 2. & 4. h. t.* Si autem ſervitus jure naturali dirimeret matrimonium, æquè dirimeret, non ſolùm, ſi ignorantet, ſed etiam ſi ſcienter contraheretur, quia non magis repugnaret matrimonio ſervitus ignorata, quàm cognita: ſed hæc non repugnat, ergo nec illa? quia matrimonium ſecundùm ſe ſolùm exigit traditionem ſui corporis ad uſum generationis, qui ſpectato cujusque ſtatu commodè haberi poteſt. Confirmatur 2. quia quamvis qui interveniente errore ſervitutis, contrahit matrimonium, aliquo modo, & ſecundùm quid involuntariè contrahat, in quantum ſi conditionem

ſervitutis præſciret, non contraheret; ſimpliciter tamen, & abſolutè talis contractus eſt voluntarius, quia ſimpliciter in hanc determinatam perſonam conſentit, adeoque eſt verus, & validus contractus, ſpectato ſolo jure naturæ. *Sanch. t. l. n. 16.* Quamvis igitur juri naturali valde ſit conforme, ut talis error matrimonium dirimat, non eſt tamen hoc jure irritum.

IX. Hinc ſequitur, ſecundùm poſteriorem ſententiam, matrimonium intet infideles initum, cum errore ſervituris, eſſe validum, niſi per legem ſpecialem illorum irritetur, quia leges Eccleſiaſticæ non poſſunt tale matrimonium irritare, quibus infideles non ſubjiciuntur: at verò ſecundùm priorem ſententiam, quæ etiam probabilis eſt, non valebit tale matrimonium, quia jure naturæ eſt irritum, cui etiam infideles ſubjiciuntur, *Sanch. c. l. n. 17.*

X. Prædictis addendum, ſi dominus proprium ſervum, vel ancillam tradat in matrimonium perſonæ liberæ ignaræ ſervitutis, nec eam detegat, vel ſciens eos contrahere, cum tali errore, ſtudio taceat, eo ipſo talis perſona ſervituti ſubjecta libertatem conſequitur, ſive maſculus ſit, ſive fœmina, ut conſtat ex *Auth. Ad hoc. C. de Lat. libert.* quia hoc ipſo talis ſervus, vel ſerva manu mittitur à domino, & ſit liber, vel libera, favore matrimonii, & illud conſiſtit, *Sanch. l. 7. de matr. diſ. 20. n. 1. & 5. & n. 14.* de quo plura videri poſſunt apud eundem.

XI. Assertio 4. Quia error ſervilis conditionis dirimit matrimonium contractum, ideo ſi liber contraxit cum ancilla, quam ignoravit eſſe ancillam, & poſtquam id ſcivit, in illam, nec expreſsè, nec tacitè conſenſit, ſeparandum eſt matrimonium, & talis cum alia contrahere poterit, prout » ſtatuitur in *c. Ad noſtram. 4. & ult. h. t.* Nam cùm » quidam miles contraxiſſet matrimonium cum » quadam muliere, poſtea oppoſuit illi, coram Le» gato Sedis Apoſtolicæ, quòd eſſet ancilla, ideò» que Legatus eos propter errorem conditionis ſer» vilis ab invicem ſeparavit. Relatum hoc fuit ad » Papam Innocentium III. qui mandavit, ut ſi conſtiterit, quòd miles ignoranter contraxerit cum » ancilla, & poſtquam illius conditionem reſcivit, » nec facto (carnaliter illam cognoſcendo, *Gl. hic V. eod.*) nec verbo, in eandem conſenſerit, & pro» pterea per Legatum fuerit ab ejus conſortio ſepa» ratus, liberam illi cum alia contrahendi, Auctoritate Apoſtolicâ, facultatem concedat.

XII. Ubi notandum 1. rectè in caſu hujus c. Cardinalis Legatus ſeparavit hoc matrimonium, quia illud fuit irritum, ob defectum legitimi conſenſûs, ex parte viri, errantis enim nullus eſt conſenſus. Quòd ſi liber matrimonium ignoranter contraxit cum ancilla, ſed nihilominus eam vult pro uxore habere, illa cogenda eſt ab Eccleſia ſtare matrimonio, ſi nondum alteri legitimè nupſit, *Navarr. in man. Prælat. c. 22. n. 33. Fagn. hic n. 7.*

Notandum 2. Ad ratificationem actûs nulli neceſſariò requiritur, ut ratificans ſciat illum eſſe nullum, non enim poteſt haberi ratum, quod ignoratur, *l. Mater. 19. ff. de in offic. teſtam. junct. Gl. margin. lit. A.* Ubi ait, renunciare nemo videtur juri, quod ignorat, & colligitur ex hoc cap. ibi: *Poſtquam intellexit conditionem illius, h. t.* quod procedit, ſi nullitas cognita verisimiliter retraxiſſet ratum habentem ab actu getendo, eò quòd alioquin fierot deterior conditio errantis, aliàs ſecus. Sicut ſubreptio non inducitur, ſi taceantur ea, quæ etſi Princeps cognoviſſet, eum non retraxiſſent à gratia concedenda, *Fagn. hic n. 12. & 2. ſeqq.*

XIII. Notandum 3. Matrimonium ab initio nullum, ob errorem conditionis ſervilis, poſtquam conſtat de illius nullitate, ratificatur per ſupervenientem conſenſum verbis expreſſum, vel facto, id eſt, per copulam ſubſequentem, nam ipſo facto conſentit, qui contraxit matrimonium cum aliqua, etſi invalidè, ſi poſtea illam carnaliter cognoſcat, quamvis nullum verbum proferat, *Gl. hic V. Nec facto.* Requiritur tamen, ut tractatus de matrimonio, vel ſponſalia de futuro præceſſerint, alioquin ex ſola carnali copula non probatur conjugalis conſenſus, eſt enim ſignum æquivocum, cùm poſſit fieri affectu maritali, vel fornicario, quamvis Eccleſia tunc præſumat affectu maritali factam eſſe copulam, ad excludendum delictum, *Hoſtienſ. hic V. Conſenſerit, & Ioann. Andr. n. 7. Covarr. in 4. Decret. p. 1. c. 4 §. 1. n. 1.* Verùm hæc procedunt de Jure antiquo Decretalium, non autem hodie, poſt Concilium Trident. habet locum, quod irritavit matrimonia præſumpta, & clandeſtina *Seſſ. 24. c. 1. de reform. matr.* ac proinde hodie per copulam carnalem ſubſecutam non confirmatur matrimonium ab initio nullum, ut aliàs dictum.

Notandum 4. Si conjux liber petat diſſolvi matrimonium, ob conditionem ſervilem alterius conjugis à ſe ignoratam, quia duxit ancillam, quam putavit eſſe liberam, tunc onus probandi illam ignorantiam non incumbit conjugi alleganti ignorantiam ſervitutis, ſed conjugi ſervilis conditionis incumbit onus probandi ſcientiam ſuæ conditionis in altero, ſive quòd alter ſciverit ſe eſſe ſervum, vel ſervam, ignorantia enim liberi præſumitur, dum contrarium non probatur, & ſic probatur ignorantia, eo ipſo, quòd non probatur ſcientia, quia in alieno facto non præſumitur ſcientia, ſed ignorantia juxta *Reg. Jur. 47. in 6. præſumitur ignorantia, ubi ſcientia non probatur, Hoſtienſ. in c. ult. hic n. 3. Ioann. Andr. n. 7. Abb. n. 6. Alex. de Nevon. 5, Sanch. l. 7. de matr. cit. diſp. 19. n. 8.* quod tamen limitandum eſt, niſi conditio ſervilis alterius, tempore contracti matrimonii, eſſet communiter nota in eo loco, quia præſumitur quivis ſcire ea, quæ aliis ibi communiter innotuerunt, *Abb. c. l. & Sanch.*

§. II.

An, & quando proles, quoad libertatem, & ſervitutem, ſequitur conditionem, non matris, ſed patris?

XIV. De hoc agitur in *c. Litèr. 3. h. t.* Ubi talis caſus proponitur: quædam mulier contraxit » matrimonium cum aliquo, de quo dicebatur, » quòd eſſet ſervus cujusdam Monaſterii, à quo » mulier petebat ſeparari, eò quòd ignorabat eum » eſſe ſervum Monaſterii, tempore contracti ma» trimonii.

Digitized by Google

» timonii. Sed vir replicabat, quòd ſecundùm » legem, ſeu conſuetudinem Provinciæ, conditio» nem patris ſequi debeat, qui tempore mortis pro » libero ſe gerebat, & jam elapſo decennio, nec ſuo, » nec patris nomine, ſtatûs controverſiam unquam » paſſus fuerit. Conſultus Papa Urbanus III. re» ſpondet, ratione temporis, & favore libertatis, » pro parte viri, ſecurius judicandum eſſe, & ſic mu» lier remanebit cum viro, cum quo, tanquam libe» ro matrimonium contraxit.

XV. Pro explicatione hujus cap. notandum 1. quamvis de Jure communi partus ſequatur conditionem matris, quoad libertatem, & ſervitutem, ita ut ſi mater ſit libera, vel ſerva, partus quoque cenſendus ſit liber, vel ſervus, licèt pater ſit liber, *c. fin. de ſerv. non ordin. & Inſtit. de Jure perſon. §. Servi autem.* Veruntamen valet ſtatutum, vel conſuetudo legitimè præſcripta, ut proles ſequatur conditionem, non matris, ſed patris, ita ut ſi ſolus pater liber ſit, vel ſervus, etiam liberi ſint liberæ conditionis, vel ſervilis, non attentâ conditione matris, an hæc libera ſit, vel ſerva, ut conſtat ex hoc *c. Abbas hîc n. 2.* Ubi ait, hanc conſuetudinem in multis locis vigere, quia cùm res hæc deſcendat ex Jure humano, poteſt ei derogare conſuetudo, *c. fin. de conſuet. Sanch. libr. 7. de matr. diſ. 24. n. 9.*

Notandum 2. Valet matrimonium liberi initum cum ancilla, ignorantâ conditione ſervili illius, ſi elapſum ſit decennium, ex quo ancilla illa eſt in poſſeſſione libertatis, ut colligitur ex hoc cap. quamvis non requiratur decennium, ſed ſufficiat quinquennium, ut tradit *Gl. hîc V. Decennio*, per *l. 1. & l. Si pater. 7. C. Ne de ſtatu defunct.* Nam quod hîc dicitur de decennio, ad factum pertinet, quia de facto decennium excurrerat poſt mortem defuncti, non quòd quinquennium non ſufficeret, *Gl. hîc V. Decennio.* Quòd ſi ante matrimonium initum cum ancilla, illa jam legitimè præſcripſiſſet libertatem, matrimonium eſſet legitimum, idque veriſſimum eſſe ait *Sanch. l. 7. diſ. 19. n. 6.* quòd eſſet matrimonium liberi cum libertâ, id eſt, cum ea, quæ ancilla fuit, jam tamen libertate gaudet, tale enim matrimonium valet, quia cùm non ſit initum cum errore conditionis ſervilis præſentis, is error non obſtat valori matrimonii, *Sanch. cit. diſ. 19. n. 10.*

Notandum 3. Favore libertatis in dubio judicandum eſt pro libertate, quia ejus favor eſt maximus, *c. fin. de re judic.* Cùm ergo in caſu hujus cap. vir iſte per decennium ſe pro libero geſſerit, nemine quidquam contra illum opponente, meritò liber judicatus fuit. Quòd ſi pater ipſius geſſit ſe pro libero, tempore mortis, & quinquennium poſtea elapſum ſit, intra quod nec ex perſona patris, nec ex propria ipſius filii, ipſi nota fuit quæſtio ſtatûs, cenſendus eſt liber, quia intra illud tempus præſcriptum fuit contra ſervitutem, idque in favorem defuncti, & præcipuè libertatis ſtatutum eſt, *Abb. hîc in fine*, multa enim ſtatuta ſunt favore libertatis contra juris rigorem, ut notat *Gl. fin. hîc.*

TITVLVS X.

DE NATIS EX LIBERO VENTRE.

Quia error ſervilis conditionis vitiat matrimonium, ut patet ex dictis Titulo præcedente, indeque ſæpe fit, ut dubitetur, utrùm natus ex libero ventre, ſeu matre cenſendus ſit ſervus, an liber, ideo hic Titulus ſubjungitur, in quo de hoc agitur.

I.

COntinet iſte Titulus *unic. cap.* quod incipit *Indecens*, in quo deciditur quòd natus ex libera matre, vel liberta ſit liber, ubi talis caſus proponitur: Cùm » quædam Eccleſia manumiſiſſet an» cillam ſuam, quæ poſtea liberos ſuſceperat, Ec» cleſia illa volebat eos revocare in ſervitutem: ſed » ancilla conqueſta de hoc apud Papam, oſtendit illi » inſtrumentum manumiſſionis ſuæ. Quia verò » indecens eſt, ut filii progeniti ex libera, vel liber» ta ad ſervitium Eccleſiæ retrahantur, ideo præci» pit Pontifex Gregorius I. ut ſi ex parte Eccleſiæ, » nulla producantur documenta, per quæ inſtru» mentum manumiſſionis ab Eccleſia conceſſæ re» fellatur, Epiſcopus loci Eccleſiam illam à mole» ſtatione mulieris, ſine aliqua retractatione, com» peſcat: durum enim eſt, ut ſi alii pro mercede (id » eſt, pro remuneratione, *Hoſtienſ. hîc*) tribuunt libertates, ea ab Eccleſia, à qua tueri, ſeu defendi » debent, revocentur.

II. Notandum 1. Filii, ſeu liberi legitimè nati quoad familiam, nobilitatem, & dignitatem, ſeu honores, ſequuntur conditionem patris, non matris, *l. Cùm legitimæ. 19.* & ibi *Gl. ff. de ſtatu homin.* Ratio eſt, quia proles eſſe recipit à patre, tanquam à cauſa efficiente principali, & nobiliori principio ſuæ ſubſtantiæ, & ideo quoad ea, quæ ad eſſe, & familiam pertinent, & quæ ei annexa ſunt, ſequitur patrem, *Sanch. l. 7. de matrim. diſ. 24. n. 1.* Ubi addit, quòd vetè nobilis ſit, qui ex utroque parente nobili deſcendit. Verùm quoad ſtatum libertatis, vel ſervitutis liberi conditionem matris ſequuntur, ita ut natus ex ancilla ſit ſervus, etſi pater liber ſit, vel liber, ſi mater ſit libera, etſi pater ſit ſervus, quia partus ancillæ matris conditionem ſequitur, non ſtatum patris, *l. Partum. 7. C. de rei vindic. Abb. hîc n. 3. Sanch. cit. diſ. 24. n. 8.* Sufficit autem, ſi mater,

Digitized by Google

mater, tempore conceptionis, aut nativitatis, vel medio tempore fuerit libera, ut proles libertate gaudeat, *Inſtit. de Ingen. in princ.* Ut ſi ancilla prægnans manumittatur, ſed ante partum in ſervitutem redigatur, proles nata erit libera, quia mater libera fuit, medio illo tempore, quo ſcilicet prægnans erat, §. *Ex his Inſtit. de Ingen.* quia calamitas matris non debet nocere proli in utero exiſtenti, ut ibidem dicitur. Unde ad hoc ut proles libera ſit, ſufficit matrem breviſſimo tempore inter conceptionem & nativitatem fuiſſe liberam, *Sanch. c. l. n.* 10. Quòd ſi tamen mater jure belli capta ſit, fœtus quoque fit mancipium, etſi mater libera fuerit, tempore conceptionis, non quidem vi natalium, ſed quia unà cum matre captus fuit in bello juſto, & ſic beneficio matris captæ ſervatus fuit in vita, *Sanch. c. l. n.* 14. Sed & filii ex legitimo matrimonio progeniti ſequuntur quoad libertatem, & ſervitutem conditionem matris, *l. Et ſervorum.* 5. §. *Ingenui, l. Cùm legitimæ.* 19. *ff. De ſtatu hom. & Sanch. c. l. num.* 7.

III. Notandum 2. Filii libertæ, hoc eſt, progeniti ex ancilla, quæ ex ſervitute manumiſſa eſt, & liberti, ſive libertini appellantur, ſunt liberi, etſi pater ſervus fuerit, nec poſſunt à domino in ſervitutem revocari, prout ſumitur ex hoc cap. Ubi dicitur: indecens eſſe, ut filii nati ex libertâ in ſervitutem Eccleſiæ retrahantur, *Abb. hic n. 4. & Alem. de Nævo n. 4.* durum eſt enim, quòd Eccleſia libertatem revocet, quam debet defendere, neque debet quis impugnare eum, quem debet defendere, *Gl. hic in notat. & V. Aquaturi.* Nam ſi alii domini defendunt libertatem ſuam, multò magis hoc facere debet Eccleſia, adeoque non debet à ſe ipſa manumiſſos, & libertate donatos revocare in ſervitutem, *Hoſtienſ. hic V. Ab Eccleſia*: Quamvis propter ingratitudinem libertus retrahi poſſit in ſervitutem, *c. Liberti. 61. cauſ. 12. q. 2. Abb. hic in fine.*

TITULUS XI.

DE COGNATIONE SPIRITUALI.

Triplex eſt cognatio, ſpiritualis, legalis, & naturalis, ſive carnalis, de quibus hoc, & aliquot ſequentibus Titulis agitur, & quidem primo loco de cognatione ſpirituali, tanquam de digniore. Extat hic Titulus etiam in Sexto.

§. I.

Quid ſit cognatio ſpiritualis, unde oriatur, & inter quas perſonas contrahatur?

I.

ASSERTIO 1. Cognatio ſpiritualis eſt propinquitas quædam perſonarum, quæ ex ſtatuto Eccleſiæ oritur ex adminiſtratione, ſeu collatione, & ſuſceptione quorundam Sacramentorum, nempe Baptiſmi, & Confirmationis, prout definitur communiter à Doctoribus apud *Sanch. l. 7. de matr. diſ. §4. n. 1. Tann. tom. 4. diſ. 8. de matr. q. 4. dub. 4. n. 64. Laym. l. 5. Theol. Mor. tract. 10. p. 4. c. 8. in princ.* & alios. Sicut enim per carnalem generationem homo naſcitur, & acquirit eſſe naturale, poſtea verò corporaliter roboratur: ita per Baptiſmum homo regeneratur ſpiritualiter, & per Confirmationem confortatur ſpiritualiter: cùm ergo baptizanti, aut confirmanti, & Patrinis magna reverentia debeatur, tanquam parentibus ſpiritualibus, ideo Eccleſia ſtatuit, ut hæc cognatio ſpiritualis, non minùs, quàm carnalis, eſſet impedimentum dirimens matrimonium, *Sanch. cit. diſ. §4. n. 2.*

II. Hinc infertur 1. quòd cognatio ſpiritualis non habeat ortum ex Jure naturali, quia hæc Sacramenta nullum habent in jure naturali fundamentum, ſed ex ſola Chriſti inſtitutione acceptunti neque etiam ex jure Divino poſitivo orta eſt hæc cognatio, quia nullus in S. Scriptura locus invenitur, in quo de ea fiat mentio, quamvis in illa fundamentum aliquod habeat, quia 1. *Petri* 1. appellatur Baptiſmus regeneratio per Chriſtum facta. Itaque ex ſolo jure Eccleſiaſtico, ſeu inſtitutione Eccleſiæ hæc cognatio introducta eſt, *Sanch. cit. loc. num.* 2.

Infertur 2. Ex aliis Sacramentis, præter Baptiſmum, & Confirmationem, non oritur cognatio ſpiritualis, ut expreſsè decidit ur in *c. Quamvis. 3. & ult. h. t. in 6. in fine*: ubi dicitur: Ex datione verò » aliorum Sacramentorum cognatio ſpiritualis ne» quaquam oritur, quæ matrimonium impediat, » vel diſſolvat: imò neque ex Sacramento Pœni» tentiæ inter Confeſſarium, & filiam confeſſionis » oritur aliqua cognatio. Rationem autem dat D. Thom. apud *Sanch. c. l. n. 6.* Quia reliqua Sacramenta conferunt ſupernaturalem gratiam, non per modum regenerationis ſpiritualis, ſed per modum refectionis ſpiritualis, ut Euchariſtia, vel ſanationis, ſeu reconciliationis, ut Pœnitentia. Quamvis talis Confeſſio Sacramentalis ſit ſpeciale ſacrilegium, ſi aſſumatur ur medium ad peccatum luxuriæ perpetrandum, *Tanner. tract. 4. diſ. 3. q. 4. dub. 4. n. 64.* & alii.

Infertur 3. Hoc impedimentum ſpiritualis cognationis eſt perpetuum, ita ut etiam poſt mortem perſonæ, quâ mediante, contracta eſt cognatio, duret, ſicut etiam fit in aliis impedimentis dirimentibus, *Sanch. c. l. n. 8.*

III. ASSERTIO 2. Cognationis ſpiritualis, quæ impediebat, & dirimebat matrimonium, Jure anti-

Digitized by Google

antiquo Decretallum, triplex erat ſpecies, videlicet Paternitas, Compaternitas, & fraternitas. Paternitas erat inter baptizantem, vel confirmantem ex una, & inter baptizatum, & confirmatum ex altera parte: ſimiliter inter patrinum baptizari, & confirmati ex una, & baptizatum, vel confirmatum ex altera parte. Altera ſpecies erat compaternitas: quæ eſt inter baptizantem, vel confirmantem, vel patrinos ex una parte; & inter parentes baptizati, vel confirmati ex altera parte: atque ita parentes baptizati, vel confirmati erant compatres baptizantis, vel confirmantis, & patrinorum: & duplex hæc cognatio transfundebatur à viro in uxorem, ita ut ſi vir conjugatus aliquam perſonam baptizaret, vel confirmaret, vel patrinus illius eſſet, uxor ejus ſimilem cognationem comparternitatis cum eisdem perſonis, videlicet baptizato, vel confirmato, & parentibus eorum contraheret, eò quòd uxor una caro cum marito ſuo reputetur. Tertia ſpecies erat fraternitas: videlicet inter filios carnales baptizantis, vel confirmantis, vel patrinorum ex una parte: & ipſum baptizatum, vel confirmatum, ex altera parte: itaque baptizatus, vel confirmatus erat confrater filiorum baptizantis, vel confirmantis, & filiorum ipſius patrini, vel mattinæ, *Sanch. cit. diſ. 54. n. 9. Laym. cit. c. 8. n. 1.* quæ omnia ex Juribus infrà allegandis probabuntur, & declarabuntur.

§. II.

Quanam circa cognationem ſpiritualem, ſive paternitatis, ſive compaternitatis, ſive fraternitatis, Jure antiquo Decretalium ſtatuta ſint, & inter quas perſonas ea impediat matrimonium contrahendum, vel dirimat iam contractum?

IV. De his agitur in pluribus Capitulis hujus Tituli, quæ hoc loco explicabimus. Et inprimis » in *c. Virum. 1. h. t.* conſultus fuit Papa Alexander III. utrùm filii (ſcilicet duorum compatrum) » aut filiæ, ante, vel poſt compaternitatem geniti » poſſint matrimonio jungi, cùm Canones, ſecundùm conſuetudines diverſorum locorum, repe- » riantur contrarii. Nam primus Canon (qui » habetur in *c. Poſt ſuſceptum. 3. cauſ. 30. q. 3.*) pro- » hibet, ne nati poſt compaternitatem matrimonio » conjungantur: alter verò Canon (qui eſt poſte- » riùs editus, juxta *Gl. hic V. Poſterius*, & eſt Urbani II. & habetur in *c. Super quibus. 4. cād. cauſ. & q.*) » videtur corrigere primum (quia poſteriora Jura » corrigunt priora, *Hoſtienſ. hic V. Corrigere.*) per » quem ſtatuitur, ut ſive ante, ſive poſt compater- » nitatem, geniti ſunt, ſimul poſſint conjungi, excepta illâ perſonâ tantùm, per quam ad compaternitatem venitur, ſive per quam compatres ſunt » effecti. Unde concludit Papa Alexander III. in » hoc *c.* obſervandum videri, quòd poſteriot Canon (in *cit. c. Super quibus*, qui tamen priore loco, » ordine ſcripturæ, eſt poſitus in Decreto Gratiani) ſtatuit, niſi conſuetudo Eccleſiæ, quæ ſcandalum generet, aliter ſe habeat, ſive aliud obſerver. »

V. Notandum 1. Filii duorum compatrum, per quorum neutrum eſt deventum ad compaternitatem, poſſunt matrimonium inire, quia iſti filii non reperiuntur prohibiti, nam licèt priùs erant prohibiti ſimul contrahere, per *c. Poſt ſuſceptum. 5. cit. cauſ. 30. q. 3.* ille tamen Canon fuit poſtea revocatus per alium Canonem poſteriorem, nempe per *c. Super quibus. cād. cauſ. & q.* & ſic ſervandum eſt jus poſterius corrigens, & non prius jus correctum, *Vivian. in Ration. in c. 1. hic*, niſi conſuetudo Eccleſiæ, quæ ſcandalum generet, aliter ſe habeat: hoc eſt, niſi conſuetudo juſta, & legitimè præſcripta, ex cujus transgreſſione meritò ſcandalum oriri poſſit, aliter ſe habeat, prout hunc textum explicat *Sanch. libr. 7. de matr. diſ. 4. n. 11.*

Notandum 2. Perſona illa, per quam eſt deventum ad compaternitatem, videlicet perſona baptizata, vel ſuſcepta ex baptismo, non poteſt contrahere matrimonium Jure antiquo cum aliquo ex filiis baptizantis, vel patrini levantis ex baptismo, ſive ſint geniti ante compaternitatem, ſive poſt illam, quia iſti ad invicem fiunt fratres ſpirituales. Aliud eſt de baptizante, vel ſuſcipiente ex Baptismo, nam baptizans laicus, vel ſuſcipiens ex baptismo poteſt contrahere matrimonium cum ſorore baptizati, vel levati ex baptismo, *Abb. hic n. 4. & Alex. de Nævo n. 4.* Item pater poteſt contrahere matrimonium cum filia ſpirituali filii ſui, quia cognatio ſpiritualis à patre deſcendit in filium, ſed non à filio ad patrem aſcendit, ideo filius non poteſt ducere filiam ſpiritualem patris: poteſt tamen ducere pater filiam ſpiritualem filii: ut notatur in *c. fin. cauſ. 30. q. 3. & in c. 1. h. t. in 6. Abb. hic n. 4.*

VI. Secundò in *c. Si vir. 2. h. t.* cùm quæſitum fuiſſet ex Papa, an ſi duo conjuges vir, vel » mulier ſcienter, vel ignoranter filium ſuum de ſa- » cro fonte ſuſceperint, propterea ſeparari debeant? » Reſpondet idem Alexander III. quòd quamvis » generaliter ſtatutum ſit, (*in c. 1. & 2. cauſ. 30. q. 1.*) quòd debeant ſeparati: aliter tamen etiam » ſtatutum repetitur (in *c. Dictum. 4. & c. Ad limina. 7. cād. cauſ. & q.*) Unde videtur, quòd ſive ex » ignorantia, ſive ex malitia, id fecerint, non ſunt » ab invicem ſeparandi, nec alter alteri conjugii debitum negare debet, niſi ad continentiam ſervandam poſſint induci, quia ſi ex ignorantia id fecerint, (probabili, aliàs non excuſaret à peccato, *Gl. » hic V. tod.*) illos ea excuſat: ſi ex malitia, eis ſua » fraus, vel dolus non debet patrocinari. »

VII. Pro explicatione hujus cap. notandum 1. patentes carnales non debent proprios filios baptizare, nec in Baptismo, vel Confirmatione, tanquam patrini, ſuſcipere, quia alius debet eſſe pater carnalis, alius pater ſpiritualis: inſtante tamen neceſſitate, licitè poſſunt baptizare filios, nec inter eos oritur impedimentum cognationis ſpiritualis, ſeu paternitatis, ut conſtat ex *c. Ad limina. 7. cauſ. 30. q. 1. Abb. hic n. 2. Alex. de Nævo n. 2.*

Notandum 2. Si conjux, extra neceſſitatem, baptizat, vel tanquam patrinus ſuſcipit in Baptiſmo, vel Confirmatione, communem filium, vel ſolius alterius conjugis, non ſunt ab invicem ſeparandi, quia matrimonium non diſſolvitur, ſive ignoranter, ſive ſcienter hoc fecerint: nam ſi ſcienter, tunc non poteſt quidem unus conjux alteri debitum negare, ſed tenetur reddere petenti, ipſe tamen privatur poteſtate illud exigendi, ut juxta probabiliorem expoſitionem ſumitur ex *cit. c. 2. h. t.* & tradit *Gl. in c. Noſſe. 3. V. Non fraudentur. cit. cauſ. 30. q. 1. Hoſtienſ. hic V. Patrocinari, Abb. n. 5. Alex. de Nævo n. 8. Sanch. l. 9. de matr. diſ. 26. n. 7.* Nam in hoc cap. dicitur: quòd hoc conjugium ſuſtinetur, *ne fraus ſua doloſo patrocinetur*, ſi debitum reddere non tenetetur, & illud petere poſſet, tunc enim illi potiùs obeſt ſua fraus, ergo Papa eum poteſtate petendi debitum privare voluit, aliàs ratio allata nihil probaret: unde *Sanch. c. l.* addit, hanc ſententiam in rigore nullo textu Juris efficaciter probari poſſe, atque hanc ſententiam ipſum ſequi, quia eſt communis Jurisperitorum, & ferè etiam Theologorum Neotericorum, & antiquorum. Idque extendit idem *Sanch. c. l. n. 8.* quòd quando conjux, non ſolùm ex certa ſcientia, ſed etiam ex malitia, & in fraudem matrimonii baptizat, vel ſuſcipit ex baptismo communem filium, vel alterius conjugis tantùm, tenetur reddere debitum, etſi non poſſit petere, ex ratione ſubjuncta in *cit. c. 2. quia fraus ſua non debet illi patrocinari*, cùm ergo impedimentum hoc, & privatio petendi debitum ſtatuatur in pœnam delicti admiſſi à conjuge ſcienter, multò magis privabitur poteſtate petendi debitum ille conjux, qui ex malitia hoc facit, adeoque majoris delicti eſt reus. Porro quamvis Pontifex in hoc c. videatur eodem modo loqui de eo, qui ſcienter, vel ignoranter baptizat filium, vel ſuſcipit ex baptismo: revera autem aſſignat diverſas rationes, quia quando loquitur de ignorante, ait eum excuſari ob ignorantiam: cùm verò loquitur de ſciente, dicit fraudem ei non debere patrocinari. Ex quo colligitur, illum privari jure petendi debitum, at teneri reddere, ſic enim efficitur, ut fraus ſua ei non patrocinetur. *Sanch. c. l. n. 12.* Ex quo patet, quòd detur medium inter ſcientiam, & ignorantiam, ſcilicet ſcientia, non malitioſa, ut ſi pater inſtante neceſſitate baptizaret filium in articulo mortis conſtitutum, *Alex. de Nævo hic n. 7.* ſcientia verò malitioſa eſt dolus, de quo in fine hujus cap.

VIII. Notandum 3. Quod dictum eſt, quando pater carnalis, inſtante neceſſitate, proprium filium baptizaret in Sacramento Baptiſmi, vel Confirmationis, non oriri inter eos aliquod impedimentum cognationis ſpiritualis, id intelligendum eſt de legitimis conjugibus, juxta *c. Ad limina. 7. cit. cauſ. 30. q. 1.* Nam cùm in caſu neceſſitatis extremæ, pater ex juſtitia teneatur proprium filium baptizare, iniquum foret, ſi ob eam cauſam privaretur jure exigendi debitum à legitima uxore, ac proinde contrahitur quidem etiam eo caſu, inter tales conjuges aliqua cognatio ſpiritualis, ſed non talis, quæ ullum præjudicium afferat matrimonio jam ritè contracto. Aliud eſt in concubina, ut ſi Petrus laicus baptizavit filium Annæ, ac deinde copulam carnalem fornicariam cum illa habuit, Anna verò filium poſtea ex Petro ſuſceptum, in extrema neceſſitate, baptizatum tenuit: nam Petrus pater in utroque hoc caſu, ſuſcipiendo proprium filium, ſpiritualem cognationem cum Anna concubina contraxit, quæ impedit matrimonium contrahendum, & dirimit poſtea contractum, quia Petrus nullum jus habet debitum, ſeu carnis copulam à concubina petendi, ut recte tradit *Fagnanus in cit. c. 2. num. 5.* & aliquot *ſeqq. h. t.* Idque procedit, non ſolùm de Jure communi, ſed etiam poſt Concilium Trident. *Seſſ. 24. c. 2. de reform. matr.* juxta quod contrahitur cognatio ſpiritualis inter baptizantem, & baptizatum, & hujus patrem, & matrem, per quam impeditur matrimonium contrahendum, & dirimitur contractum. Et habet hoc locum etiam in laico, qui baptizavit in extremo mortis articulo, ut docet *Hoſtienſ. in Summa §. Et an aliquis. n. 8. h. t. Silveſt. V. Matrimonium. 8. q. 7. dicto. 7. Covarr. in 4. Decret. c. 6. §. 4. n. 4.*

Notandum 4. Ad contrahendam cognationem ſpiritualem requiritur ſcientia, & intentio illam contrahendi, prout ſumitur ex hoc cap. Unde ſi quis per errorem levavit ex baptismo filium Petri, exiſtimans eſſe Filium Pauli, revera non contrahit cum filio Pauli cognationem, nec efficitur pater ſpiritualis illius, ſaltem ad dirimendum matrimonium pòſt contractum, quia revera non intendit exercere actionem veri patrini erga illum, quem levavit, *Abb. hic n. 4. & Alex. de Nævo n. 6. Sanch. l. 7. de matr. diſ. 58. n. 7.*

IX. Tertiò in *c. Super eo. 3. h. t.* Statuitur, ut ſi filii duorum compatrum tales ſint, per quorum alterum, vel utrumque parentes ad compaternitatem pervenerunt, conjungi non poſſint, & ſi conjuncti fuerint, ſeparati debent, (quia contra Canones conjuncti ſunt: quod autem contra leges ſit, diſſolvi debet, *c. Vides. 10. diſt. 10.*) ſi verò per neutrum illorum filiorum compaternitas contracta fuit, tunc conſuetudo Eccleſiæ Metropolitanæ, vel aliarum vicinarum Eccleſiarum ſervari debet, ita ut ſi ſecundùm hanc, conjugium non teneat inter tales, etiam Epiſcopus in ſua Eccleſia illud non approbet, nec permittat: ſi verò ſecundùm conſuetudinem, talia matrimonia permittantur, Epiſcopus in ſua Eccleſia diſſimulare poterit, ita ut nec contradicere, nec aſſentiri videatur, quia ſicut grave eſt antiquam conſuetudinem vicinarum Eccleſiarum contemnere: ita gravius videtur, ſi propter eam hujusmodi conjugiis Epiſcopus præſtet aſſenſum, cùm poſſet hoc in exemplum aſſumi, nempe ab aliis, qui talia conjugia non contrahunt, adeoque illam conſuetudinem non obſervant, *Gl. fin. hic.*

X. Verùm deciſioni hujus cap. obſtare videtur *c. Quod ſuper his. 5. in fine de conſang. & affin.* Ubi decidit ur: quòd in gradibus prohibitis non poſſit contrahi matrimonium, etiamſi hoc obſervet conſuetudo. At verò in *cit. c. Super eo. h. t.* deciditur; quòd ubi viget conſuetudo impediens, ac dirimens matrimonia contracta inter filios duorum compatrum, per quorum neutrum contracta eſt compaternitas, quæ jure communi licitè, & validè contrahuntur, propter conſuetudinem loci ſint ſervanda. Sed reſpondetur, per conſuetudinem non poſſe induci impe-

Digitized by Google

impedimentum dirimens matrimonium, niſi fuerit per S. Pontificem approbata; & de hoc loquitur *cit. c. Super eo. h. t. Fagn. ibid. n. 3.* Quòd ut meliùs intelligatur, notandum, etſi conſuetudo poſſit impedire matrimonium contrahendum, & prohibere; ne contrahatur: non tamen poteſt dirimere perpetuò matrimonium poſtea contractum, *c. 1. de ſponſal. & matrim.* Quare cum in *cit. c. Super eo*, ſtatuitur, quòd licèt filii duorum compatrum, per quorum neutrum contracta eſt compaternitas, licitè inter ſe contrahant matrimonium; ſi tamen ſubſit conſuetudo impediens, ac dirimens tale matrimonium; ſervanda ſit loci conſuetudo, id intelligi debet, ſi talis conſuetudo per S. Pontificem fuerit approbata, prout expreſsè illam approbavit Alexander III. in *cit. c. Super eo*, ne ſcilicet matrimonium contrahatur, & ut contractum ſeparetur, tunc enim per talem conſuetudinem inducitur impedimentum, non tantùm prohibens matrimonium contrahendum, ſed etiam dirimens contractum, quia approbatio Papæ habet vim Conſtitutionis Apoſtolicæ, ſeu Canonicæ; ſicut ergo per hanc poteſt induci impedimentum dirimens matrimonium; ita etiam per conſuetudinem approbatam à Papa: quòd ſi conſuetudo non ſit approbata à Papa, nec reprobata, tunc ad evitandum ſcandalum, impedit quidem, ſed non dirimit matrimonium, *Silveſt. V. Matrimonium. 2. n. 3. q. 3. Fagn. in c. 1. n. 8. & 9. h. t.* Alii verò cenſent, tunc demum valere conſuetudinem, ac dirimere matrimonium, ſi cum illa concurrat Jus vetus, & inſuper etiam ſcandalum, juxta *c. 1. h. t.* Contrarium tamen tenet *Sanch. l. 7. diſ. 4. n. 11.* videlicet conſuetudinem habere vim inducendi novum impedimentum dirimens matrimonium, licèt à Papa non ſit ſpecialiter approbata, nec cum illa concurrat jus vetus, nec ſcandalum generetur: ſed communis ſententia DD. eſt tenenda.

XI. Nec obſtat text. in *c. ult. de conſuet.* Ubi generaliter dicitur, longævam conſuetudinem derogate juri poſitivo, ſi ſit rationabilis, & legitimè præſcripta: nam conſuetudo, quæ reddit fideles inhabiles ad contrahendum matrimonium ſine conſenſu, & approbatione Pontificis, non eſt rationabilis, quia à jure ſpecialiter reprobatur in *c. 1. de ſponſal. & matrim.* Ubi quidam Gallus, qui uxorem dimiſerat, & aliam duxerat, exiſtimans primum matrimonium eſſe nullum, eò quòd in eo contrahendo non ſervârat legem, id eſt, conſuetudinem pattiæ, cogitur redire ad primam uxorem, & pœnitentiam agere, tanquam transgreſſor legis Evangelicæ, ut ex illo cap. deducunt *Hoſtienſ. ibid. V. Superinduxit, & Abb. n. 3.* Deinde cùm conſuetudo ſit Juris poſitivi, non poteſt dirimere matrimonium, quippe quod ortum habet à Jure Divino, ideòque tanquam irrationabilis non valet, *Fagn. in cit. c. 1. n. 13. & 14.* Sed neque talis conſuetudo poteſt dici legitimè præſcripta, quia cùm ſit contra Jus Divinum, nullo unquam tempore poteſt præſcribi, ideò quæ etiam nulla conſuetudo vim legis obtinere poteſt contra legem Divinam, ſed potiùs talis conſuetudo cenſenda eſt corruptela, *c. Quod ſuper his. 5. in fine de conſanguin. & affin. Fagn. c. l. n. 16.*

XII. Quartò in *c. Tua nos. 7. h. t.* Conſultus Papa Innocentius III. an natus ante compaternitatem filiam (ſpiritualem) compatris ſui (per quam compaternitas eſt contracta) vel commatris ſibi poſſit matrimonialiter copulare, & ſi contraxerint, an debeant ſeparari: & an conſcii talis matrimonii teneantur illud accuſare. Reſpondet, quòd hujusmodi perſonæ non poſſint contrahere inter ſe matrimonium, & ſi contraxerint, debeant ab invicem ſeparari: & qui contractum ſciverint, debent illud Eccleſiæ nuntiare.

XIII. Notandum 1. Inter baptizatum, & filios levantis è baptismo, etiam antea genitos, contrahitur cognatio ſpiritualis, quæ non tantùm impedit, ſed etiam dirimit matrimonium de Jure antiquo, *Abb. hic n. 2.* Ratio eſt, quia ſpiritualis cognatio tranſit à patre in filium, ita ut inter filium ſuſceptum è baptismo, & filios ſuſcipientis, dicatur eſſe ſpiritualis fraternitas: ſicut ergo inter fratres carnales, & eorum ſorores non poteſt eſſe matrimonium: ita nec inter fratres, & ſorores ſpirituales. *Vivian. in Ration. hic.*

Notandum 2. Quilibet è populo tenetur ad manifeſtandum, & denuntiandum impedimentum exiſtens inter contrahere volentes matrimonium, nam quivis, quantum poteſt, tenetur impedire peccatum futurum, ne committatur, *c. Si peccaverit. 19. cauſ. 2. q. 1.*

XIV. Porro hodie poſt *Concil. Trid. Seſſ. 24. c. 1. de ref. matr.* antequam matrimonium contrahatur, publicè denuntiari debent iſ, inter quos matrimonium eſt contrahendum, ut ſi quis ſciat aliquod impedimentum inter eos eſſe, illud proferat: & ita qui novit aliquod impedimentum eſſe inter volentes contrahere, tenetur illud ſub peccato lethali denunciare, & detegere, etſi occultum ſit, & probare illud non poſſit, ut docet *Sanch. l. 3. de matr. diſ. 13. n. 2.* quia quivis tenetur, ſaltem Superiore præcipiente, detegere peccatum inferens tertio grave damnum, neque ſit hæc denuntiatio ad puniendum crimen admiſſum, ſed ad vitandum peccatum, ut diligenter inquiratur de impedimento. Niſi ramen impedimentum ortum habeat ex peccato occulto, tunc enim debet præcedere admonitio ſecreta, antequam denuntiatio fiat: vel niſi impedimenti conſcius probabiliter timeat grave ſcandalum ſecuturum ex denuntiatione impedimenti: vel niſi impedimentum cognoverit ſub ſecreto, ad quod ſervandum jus naturæ obligat, *Sanch. c. l. n. 3. 4. & 5.* Vel ſit adeo occultum, ut ipſe ſolus id noverit, præſertim ſi ortum ſit ex infamia aut peccato, ut plures docent apud *Barboſ. in Collect. in c. 4. n. 2. h. t.* de quo plura *Sanch. cit. loc.*

XV. Quintò in *c. Martinus. 4.* talis caſus proponitur: Martinus duxit in uxorem Bertham, & Lotharius Tebergam, qui Martini, & Berthæ filium ex ſacro fonte ſuſcepit: poſtea verò L. & B. mortui ſunt, & M. cum dicta T. matrimonium contraxit. Conſultus Pontifex Clemens III. reſpondet: Cùm vir, & mulier per concubitum (carnali copulâ conſummatum) efficiantur una caro, liquidum eſſe, quòd Teberga non poſſit matrimonialiter copulari Martino, qui compater ejus fuit, (ſcilicet Lotharii, qui Martini filium de baptismo ſuſcepit) cum quo (Lothario) Teberga una caro extitit.

XVI. Ubi notandum, ſi poſt matrimonium carnali copulâ conſummatum, alter conjugum ſuſcipiat filium alterius de ſacro fonte, ut in caſu hujus cap. Lotharius filium Martini, tunc ambo conjuges efficiuntur compatres parentibus baptizati: & ita ſi vir ſuſcipiat filium alterius de ſacro fonte, uxor fit, mediante viro, commater parentibus baptizati, & levati, & mater ſpiritualis ipſius, & è converſo, *c. Sciſcitatur. 1. c. Si quis. 3. cauſ. 30. q. 4. Gl. hic V. Cum quo.* Ratio eſt, quia cùm per connubium, ſeu copulam carnalem vit, & mulier fiant una caro, ideo cognatio ſpiritualis, quæ eſt in marito, eſt etiam in uxore, cum qua vir una caro eſt. Unde ſicut carnalis cognatio dirimit matrimonium inter maritum, & uxorem; ita etiam cognatio ſpiritualis, *Vivian. in Ration. hic.* Si verò paternitas præceſſit matrimonium, ſive carnalem copulam, ut in caſu hujus cap. Si Lotharius, vel alius ſuſcepit filium Martini, & Berthæ de ſacro fonte, & poſtea contraxit matrimonium cum Teberga, & eam cognovit: vel licèt contraxerit, nondum tamen carnaliter eam cognovit, quamvis illam poſtea cognoſcat: tum uxor non efficitur commater parentibus illius baptizati, & ſuſcepti ex baptismo, quia vir nondum erat effectus una caro cum eadem, *Gl. hic V. Cum quo Verſ. Si verò.* Atque hinc colligitur, quòd cognatio ſpiritualis contracta per maritum extenditur ad uxorem priùs carnaliter cognitam, non autem ſi non erat cognita, *Abb. hic n. 6.*

XVII. Sextò in *c. Veniens. 6. h. t.* habetur, quòd quidam C. nomine, matrimonium contraxit cum muliere H. quæ priùs ſuſceperat de ſacro fonte filium dicti C. viri ſui, unde quæſitum fuit, an ab eo debeat ſeparari? Reſpondet Papa Innocentius III. ſi conſtiterit, mulierem H. dicti viri ſui filium de ſacro fonte, ſeu baptismo levâſſe (idem eſt de Confirmatione, *Gl. hic V. De ſacro fonte.*) antequam eum ſibi deſponsâſſet, divortium inter eos (appellatione poſtpoſitâ) inſtituatur. Ratio eſt, quia inter patrem baptizati, & levantem, ſeu ſuſcipientem de baptismo filium hujus patris à muliere illa contracta eſt cognatio ſpiritualis, quæ impedit, ac dirimit matrimonium inter eos poſtea contractum, ut habetur in Summa hujus cap. Atque hoc procedit, ſi prædicta mulier filium viri ſui C. levavit de Baptismo, ante matrimonium cum eo contractum: ſi enim poſt contractum matrimonium de præſenti eum levâſſet, non propterea dirimeretur matrimonium antè contractum, *c. 2. h. t. & c. Ad limina. 7. cauſ. 30. q. 1. Gl. fin. hic & Hoſtienſ. V. Antequam.* Atque hoc impedimentum cognationis ſpiritualis inter compatres, nempe patrem ſpiritualem, & carnalem, etiamnum hodie durat, & innovatum eſt per Concilium Trident. *Seſſ. 24. c. 2. de reform. matrim.* de quo infrà.

XVIII. Septimò in *c. Ex litteris. 8. & ult. h. t.* refertur, cùm mulier M. coram Officiali Cantuarienſi Alanum peteret in virum, ſeu maritum, & ſe ab eo affidatam, & carnaliter cognitam per teſtes idoneos probâſſet: publicatis eorum atteſtationibus, Alanus excepit, quòd eam habere non poſſet in uxorem, eò quòd pater illius mulieris, qui Sacerdos extitit, ipſum baptizâſſet: ſed hâc exceptione rejectâ, Officialis tulit ſententiam definitivam pro matrimonio contra ipſum Alanum, à qua idem ad Sedem Apoſtolicam appellavit. Unde Pontifex Gregorius IX. mandavit, ut ſi ita eſt, prædictus Alanus ab impetitione mulieris abſolvatur, eidémque perpetuum ſilentium imponatur.

XIX. Notandum 1. Si quis etiam laicus in extrema neceſſitate baptizet aliquem contrahit cognationem ſpiritualem dirimentem ſubſequens matrimonium cum baptizato, ejusdémque parentibus, ut docet *Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 6. §. 4. n. 4. & Sanch. l. 7. de matr. diſ. 62. n. 10.* Nec obſtat, quòd in hoc cap. ponderetur, baptizantem fuiſſe Sacerdotem, ut cognatio ſpiritualis contrahatur, ergo laicus in neceſſitate baptizans non ſolemniter non contrahit cognationem ſpiritualem. Nam hic narratur ſolùm factum, nec vis ponitur in ſacerdotio. Miniſtri baptizantis ad contrahendam cognationem ſpiritualem, *Sanch. c. l. n. 10.*

Notandum 2. Filius, vel filia ſpiritualis Sacerdotis baptizantis non poteſt matrimonio copulati filio, vel filiæ carnali ipſius Sacerdotis, ut patet ex hoc cap. & tradit *Gl. ibid. in notatis.* Nam pater mulieris M. erat Sacerdos, qui baptizavit Alanum, & ita hic fuit ſpiritualis filius ipſius Sacerdotis, ergo etiam filia carnalis illius, ſcilicet mulier M. effecta eſt ſoror ſpiritualis ipſius Alani, ac proinde hic non poterat illam ducere in uxorem, quia pater carnalis mulieris M. qui fuit Sacerdos, baptizavit Alanum, & erat pater ſpiritualis ejusdem, adeoq; inter ipſam mulierem M. & Alanum baptizatum à patre ipſius, intercedebat cognatio ſpiritualis fraternitatis, quæ de jure antiquo impediebat, ac dirimebat matrimonium inter baptizantem, & filium, vel filiam baptizantis contrahendum, *Gl. hic V. Baptizavit, & Abb. n. 2.*

Notandum 3. Prædicta cognatio ſpiritualis inter baptizatum, & filios baptizantis impediens, ac dirimens matrimonium inter eos contrahendum, extenditur etiam ad filios ſpurios, ac illegitimos baptizantis: nam iſta mulier, ut communiter DD. intelligunt, erat filia ſpuria Sacerdotis, qui baptizavit Alanum, & tamen inter eam, & ipſum Alanum fuit orta cognatio ſpiritualis, quæ appellatur fraternitas, erant enim frater, & ſoror ſpirituales, ut ſuprà dictum: quamvis etiam poſſet intelligi hoc cap. de filia legitima nata ante Sacerdotium, ſed communiter intelligitur de filia illegitima genita poſt Sacerdotium, *Abb. hic n. 3. & Alex. de Nævo n. 4.*

XX. Octavò denique in *c. Nedum. 1. h. t. in 6.* reſcribit Pontifex Bonifacius VIII. non ſolùm inter baptizatum, & illum, qui eum ſuſcepit de baptismo: ac inter eundem baptizatum, & ſuſcipientis filios, & uxorem, ante ſuſceptionem carnaliter cognitam ab eodem: imò etiam inter ſuſcipientem (ſupple, & uxorem ejus priùs carnaliter cognitam) patrémque baptizati, & matrem, cognationem ſpiritualem in baptismo de jure contrahi, quæ & matrimonium contrahendum impedit, ac dirimit pòſt contractum. Quæ eadem procedunt in baptizante: nempe ut ſi baptizans, & baptizatus, vel baptizatus, & filii baptizantis; vel baptizatus, & uxor baptizan-

tis

tis priùs cognita: vel baptizans, & parentes baptizatimatrimonium inter ſe contraxerint, illud non teneat, *Gl. hic V. Nedum.*

» Additur in fine hujus cap. Ex Confirmatione » quoque, ſeu frontis Chriſmatione ſpiritualis co» gnatio, matrimonia contrahenda ſimiliter impe» diens, & poſtea contracta dirimens, eisdem mo» dis contrahitur, ſcilicet inter confirmatum, & ſuſcipientem in Confirmatione: & inter confirma» tum, & filios ſuſcipientis, ſeu tenentis: & inter confirmatum, & uxorem ſuſcipientis priùs cogni» tam. Item inter ipſum confirmantem, & confir» matum: & inter confirmatum, & filios confirman» tis, & ejus uxorem priùs cognitam, ac denique in» ter ipſum confirmantem, & parentes confirmati, *Gl. hic V. Eiſdem modis.* Contrahitur autem cognatio ſpiritualis ex Sacramento Confirmationis, ſicut ex Baptismo, quia hic aſſimilatur nativitati corporali hominis in utero. Confirmatio verò nativitati carnali hominis ex utero, ut ex S. Thom. notat *Vivian. in Ration. hic.*

XXI. Illud hìc notandum, ut ſpiritualis cognatio contrahatur inter baptizatum, & uxorem ſuſcipientis è baptiſmo, requiritur, ut ante ſuſceptionem ſit carnaliter cognita à vito: ſecus ſi poſt ſuſceptionem fiat uxor, vel ſi priùs erat uxor, poſt ſuſceptionem, & non ante ſit cognita carnaliter, tunc enim non contrahitur ſpiritualis cognatio, *Gl. hic V. Cognitam.* Nam quia matrimonium nondum conſummatum poteſt diſſolvi per ingreſſum Religionis, aut diſpenſationem S. Pontificis, ideo non videtur ſpiritualis cognatio contrahi ante matrimonium conſummatum.

§. III.

An per Catechiſmum præcedentem Baptiſmum, contrahatur cognatio ſpiritualis impediens, ac dirimens matrimonium?

XXII. De hoc agitur inptimis in *c. Contracto. 5. h. t.* Ubi talis caſus proponitur. Quidam Petrus » nomine, contraxit matrimonium cum muliere » Agatha nomine, cujus conſanguinei contra ma» trimonium objecerunt ipſi, quòd non poterat eſ» ſe uxor Petri, quia in primo ſacrati ſalis pabulo, » filium quendam concubinæ ipſius Petri tenuit. » Ad quod Papa Clemens III. reſpondet, etſi hæc » vera eſſe conſtaret, non ideo matrimonium con» tractum diſſolvi debere, cùm hæc res vix præſta» ret impedimentum matrimonio contrahendo: » ideòque mandat dicto Petro, auctoritate ſuâ, in» jungi, ut ipſam Agatham, ſicut uxorem maritali » affectione tractet, & debitum carnale ab ea libe» rè exigat, & perſolvat: ſive ante matrimonium » contractum cum Petro, ſive poſtea filium concu» binæ ipſius Petri tenuerit. Si tamen in fraudem, » cauſâ matrimonii ſeparandi hoc fecit, pœniten» tia ei imponenda eſt, matrimonio in ſua firmitate » durante.

XXIII. Præterea in *c. Per Catechiſmum. 2. h. t. in 6.* Reſcribit Pontifex Bonifacius VIII. quòd per Catechiſmum, (qui præcedere debet Baptiſ» mum, Sacramentorum reliquorum fundamen» tum, & januam) ſpiritualis cognatio contrahitur, » quæ impedit matrimonium contrahendum, (ut » evidenter colligitur ex Decretali Clementis III. » in *cit. c. Contracto ſuprà. eod.*) dicendo enim, quòd » talis tes vix matrimonio contrahendo impedi» mentum afferret, velle videtur, quòd afferat, nam » quod uix fit, fieri tamen dubium non eſt. Verum» tamen per illam cognationem matrimonium » poſtea contractum non ſeparatur. »

XXIV. Pro declaratione horum duorum capitulorum, notandum 1. per pabulum ſactari ſalis in priore *cap. Contracto. h. t.* intelligitur Catechiſmus, ſive inſtructio Catechumenorum ad fidem ante Baptiſmum, quâ durante, ſal benedictus ori baptizandi imponebatur, per quem ſignificatur cœleſtis ſapientia, ſeu doctrina Chriſtiana, *c. Sal cœleſtis. 65. diſ. 4. de conſecr. & notat Gl. Margin. in cit. c. Contracto, lit. A.*

Notandum 2. Is, qui tenet puerum in Catechiſmo, contrahit cognationem ſpiritualem imperfectam, quæ impedit quidem matrimonium contrahendum, ſed non dirimit poſtea contractum, ut expreſsè dicitur in utroque *c. cit. Sanch. l. 7. de matrim. diſ. 10. n. 2.* quia Catechismus eſt quædam futuri baptismi profeſſio, ejúsque initium, & quædam imperfecta regeneratio per fidem, quam profiterur patrinus, loco parvuli, ideóque etiam quædam imperfecta cognatio ſpiritualis ex eo oritur, ſicut ex ſponſalibus de futuro. Ut autem hanc cognationem patrinus contrahat, debet durante toto Catechismo, infantem tenere, & inſuper ad fidei interrogata reſpondere, dum Sacerdos interrogat, an credat? *Sanch. c. l. n. 3. & 4.* Contrahitur autem hæc cognatio, non ſolùm ſi Catechismus, ſive inſtructio fidei præcedat baptismum, ſed etiam ſi inſtruatur puer, poſtquam jam eſt baptizatus, quia Catechismus, ſuapte naturâ, præcedit baptismum, & eſt quoddam initium regenerationis ſpiritualis, & diſpoſitio ad illam, quamvis petaccidens ob occurrentem neceſſitatem, aliquando poſt baptismum fiat. Nec obſtat, quòd in *cit. c. 2. h. t.* dicitur: quòd Catechismus præcedit baptismum, nam id dicitur, quia frequentiùs, & communiter, ac ſervato recto ordine, præcedit, *Sanch. c. l. n. 7.* Neque verò Catechismus ex eo eſt impedimentum dirimens matrimonium poſtea contractum, quia in *c. Si quis. 3. cauſ. 30. q. 4.* & in *c. In Catechiſmo. 100. diſ. 4. de conſecr.* hæc tria Baptismus, Confirmatio, & Catechismus æquiparantur: nam ſicut conſanguinitas non oritur, niſi ex generatione naturali: ita nec filiatio, ſeu cognatio ſpiritualis canſatur, niſi per generationem ſpiritualem: ſed hæc non ſit, niſi per Sacramentum Baptismi, per quem homo in utero Eccleſiæ quaſi concipitur, & formatur: vel per Sacramentum Confirmationis, per quam homo extra uterum Eccleſiæ poſitus, in fide roboratur, ut publicè Chriſtianam vitam profiteatur, & defendat. At verò Catechismus nullo modo eſt Sacramentum, & ideo per illum, propriè, ac ſtrictè loquendo, nulla contrahitur ſpiritualis cognatio, quæ matrimonium dirimat: neque etiam in ſuprà allegatis juribus æquiparantur illa tria; Baptismus, Confirmatio, &

Digitized by Google

Catechismus, in ſignificatione univoca, & propria, quaſi ex Catechismo oriatur Canonicum impedimentum matrimonii ejusdem rationis, & efficaciæ ad ditimendum illud jam contractum, ſicut oritur ex Baptismo, & Confirmatione, ut rectè notavit Beja apud *Barbof. in Collect. in cit. c. Contracto. 5. h. t.* contra *Gl. ibid. V. Vix contrahendo in fine.*

Notandum 3. Illud vix fieri dicitur, quod fieri poteſt, licèt cum difficultate, ut colligitur ex *cit. c. 5.* ibi: *vix contrahendo, h.t.* & clariùs ex *c. 2.* ibi: *quod vix fit, fieri tamen dubium non eſt: eodem in 6.* aliquando tamen dictio *vix* ſignificat impoſſibilitatem, ſed in ſignificatione impropria, *Abb. in cit. c. 5. num. 3. & Alex. num. 4.*

Notandum 4. Quamvis Catechismus impediat matrimonium contrahendum, non tamen contraveniens prohibetur, exigere, & reddere debitum conjugale, ut conſtat ex *cit. c. 5.* ibi: *& carnale debitum ab ea licenter exigat, & perſolvat*: ubi in fine etiam pœnitentia imponitur ob ſolam intentionem delinquendi, poſito quòd delictum non habuerit effectum, *Alex. de Nevo c. l. n. 8. & 9.*

XXV. An autem hoc impedimentum Catechismi hodie ſit ſublatum per Concilium Tridentinum *Seſſ. 24. c. 2. de reform.* dubitatur? Et quidem certum eſt hoc impedimentum ibi eſſe reſtrictum ad primum gradum cognationis, ſicut ibi reſtringitur cognatio orta ex Baptismo ad primum gradum, ergo multò magis erit reſtricta cognatio orta ex Catechismo, qui eſt initium aliquod Baptismi, ac diſpoſitio ad illum, adeoque per illum metienda eſt, & non ultra eundem primum gradum extendenda, *Sanch. cit. l. 7. diſ. 10. n. 6.* Quin imò etiam verius eſt, prædictum impedimentum ortum ex Catechismo jam omnino ſublatum eſſe, ut colligitur ex *Concil. Trid. cit. c. 2.* ex illis verbis in fine: *Omnibus inter alias perſonas hujus ſpiritualis cognationis impedimentis omnino ſublatis.* Cùm ergo Concilium Trident. omnino ſuſtulerit cognationem ortam ex Baptiſmo, præterquam inter tenentes in ipſo Baptismo, cenſeri debet etiam eſſe ſublata cognatio tenentium in ſolo Catechismo, quæ primam originem trahit ab illo, etſi de Catechismo ibi non fiat expreſſa mentio, *Sanch. cit. diſ. 10. n. 12.* & alii apud ipſum.

§. IV.

An plures poſſint intervenire patrini, ſeu ſuſceptores in Baptismo, & Confirmatione, de Jure antiquo, & an inter omnes, ſi plures ſint patrini, contrahatur ſpiritualis cognatio?

XXVI. De hoc agitur in *c. Quamvis. 3. & ult. h. t. in 6.* Ubi Pontifex Bonifacius VIII. ita reſcribit: Quamvis non plures, quàm unus vir, vel una mulier, ſuſcipere debeat de Baptismo infantem juxta SS. Canones, ſi tamen plures ſuſceperint, ſpiritualis cognatio inde contrahitur, (ſcilicet cum omnibus, *Gl. hic V. Contrahitur.*) & impediens matrimonia contrahenda, & etiam diſſolvens pòſt contracta. Idémque dicendum de Confirmatione. (ſcilicet ut plures tenere non debeant confirmandum, ſi tamen teneant, omnes ſint compatres, vel compatrini.) Additur in fine: Ex datione verò aliorum Sacramentorum (præter Baptismum, & Confirmationem) cognatio ſpiritualis non oritur, quæ matrimonium impediat, aut diſſolvat, de quo jam dictum ſuprà, *§. 1. num. 2. h. t.*

XXVII. Hinc colligitur 1. De Jure antiquo prohibitum erat, ut plures Patrini in Baptismo, vel Confirmatione adhiberentur, ſed unus ſolus, ſive vir, ſive fœmina, ut conſtat ex *c. Non plures. 101. diſ. 4. de conſecr. & ex hoc cap. Sanch. l. 7. diſ. 57. n. 1.* Nec poteſt Epiſcopus diſpenſare, ut plures Patrini adhibeantur, quia nec poteſt Epiſcopus diſpenſare in Jure communi Canonico, vel Decreto Concilii generalis, niſi talis facultas reperiatur ipſi ſpecialiter eſſe conceſſa, *Sanch. c. l. n. 2. & 7.*

Colligitur 2. Secundùm Jus antiquum Canoniſcum, ſi plures unum baptizatum, vel confirmatum ſimul ſuſcipiant, vel teneant, omnes contrahunt cognationem ſpiritualem impedientem, ac dirimentem matrimonium, quamvis hujus legis transgreſſores ſint, ut expreſsè habetur in *cit. c. ult. h. t. in 6. Sanch. c. l. n. 3.* Nam quamvis aliàs actus contra legem factus regulariter non valeat, *l. Non dubium. 5. C. De legibus*, in hoc tamen caſu lex non tollit actum, ſed imponit pœnam Parocho admittenti plures, quàm unum, vel duos Patrinos, & valor actûs non pertinet ad favorem Parochi, ſed ſuſcepti ex Baptismo, & ſic actus valet, *Vgolin. de Offic. Epiſc. c. 25. §. 1. n. 5.*

XXVIII. Verùm Concilium Tridentinum *Seſſ. 24. de reform. matrimon. c. 2.* Antiquum Jus nonnihil immutavit, & ſtatuit, ut unus tantùm, ſive vir, ſive mulier (hoc eſt, mas, ſi puer baptizandus, & fœmina, ſi puella baptizanda ſit) juxta SS. Canonum ſtatuta in *c. Non plures. 101. diſ. 4. de conſecr. & c. 3. h. t.* Vel ad ſummum unus, & una (ſcilicet mas, & fœmina, ſive puer, ſive puella baptizetur) de Baptismo ſuſcipiant. Ubi in Declarationibus Cardinal. Concil. apud *Joann. Gallemart n. 4.* dicitur, Epiſcopum poſſe diſpenſare, ut duo viri, loco viri, & mulieris, aliquem baptizatum de Baptismo ſuſcipiant.

XXIX. Præterea S. Synodus paulò infrà in eodem c. ſubjungit hæc verba: Parochus antequam ad Baptismum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos ſpectabit, ſciſciterur, quem, vel quos elegerint, ut baptizatum de ſacro fonte ſuſcipiant: & eum, vel eos tantùm ad illum ſuſcipiendum admittat, & in libro eorum nomina deſcribat, doceátque eos, quam cognationem contraxerint, ne ignorantiâ ullâ excuſari valeant. Quòd ſi alii, ultra deſignatos, baptizatum tetigerint, cognationem ſpiritualem nullo modo contrahant, Conſtitutionibus in contrarium facientibus (ſcilicet *c. ult. h. t. in 6.*) non obſtantibus.

XXX. Ubi notandum 1. Ad parentes pertinet Patrinos deſignare, vel ſi illi non deſignant, ad Parochos. Si verò nullus ſit ſpecialiter deſignatus Patrinus, ex negligentia, aut oblivione parentum, vel Parochi, & multi ſimul tenendo tangant baptizandum,

Digitized by Google

dum, vel de ſacro fonte æquè ſuſcipiant, omnes contrahunt ſpiritualem cum eo cognationem, ut deciditur in *cit. c. 3. & ult. h. t. in 6.* & docet *Navarr. in Man. c. 22. n. 39. Tanner. tom. 4. diſ. 8. q. 4. dub. 4. n. 69.* Ubi ait, id expreſsè etiam declaraſſe S. Congregationem Cardinalium, cui ſtandum eſt, quia à Jure antiquo non eſt recedendum, quando aliud non ſtatuitur Jure novo. Concilium verò Trident. videtur loqui, quando deſignantur plures Patrini. Contrarium tamen docet *Sanch. l. 7. diſ. 57. num. 12.* videlicet quòd ſi nulli deſignentur Patrini, nullus contrahat hanc cognationem ſpiritualem, etiamſi plures tangant, vel ſuſcipiant baptizatum è ſacro fonte, quia Concilium intendit vitare, ne impedimentum hujus cognationis ſpiritualis Patrinorum nimiùm multiplicaretur, & ut certi eſſent illud contrahentes, & ideo tanquam conditionem neceſſariam requiſivit, ut eſſent veri Patrini ſuſcipientes baptizatum, eos deſignari ab iis, quibus id incumbit, ergo ſi deficiat hæc conditio deſignationis, non ſunt veri Patrini, & conſequenter neque cognationis ſpiritualis participes. Idque confirmatur ex eo, quòd in fine *cit. c. 2.* dicitur: *Omnibus inter alias perſonas hujus ſpiritualis cognationis impedimentis omnino ſublatis.* Cùm ergo perſonæ ibi contentæ, quæ hujus cognationis ſpiritualis ſunt capaces, ibidem dicantur eſſe Patrini, qui deſignati ſunt ad id munus obeundum, omnes illæ perſonæ, quæ non ſunt deſignatæ, non erunt illius capaces. Et hæc ſententia eſt valde probabilis. Videri poſſunt, quæ hac de re tradit *Sanch. c. l. n. 12.* Ubi etiam plures alias difficultates hujusmodi proponit, & reſolvit uſque ad finem *diſp. illius 57.*

Notandum 2. Etſi de Jure antiquo Canonico non plures, quàm unus vir, vel una mulier poſſint eſſe ſuſceptores in Baptismo, & Confirmatione, *c. Quamvis. 3. & ult. h. t. in 6.* juxta Concilium Trident. autem *c. l.* ut ſummùm duo, unus videlicet, & una in Baptismo, & in Confirmatione unus, vel una tantùm poſſunt eſſe ſuſcipientes, ſeu Patrini, quia de Confirmatione id non eſt expreſſum, ſicut de Baptismo in *cit. Decreto Concilii Trident. Seſſ. 24. c. 2. de reform. matrim.*

§. V.

Inter quosnam contrahatur cognatio ſpiritualis in Baptismo, & Confirmatione, de Iure novo Concilii Tridentini?

XXXI. De hac re ita ſtatuitur in *c. 2. Seſſ. 24. de reform. matrim.* Inter quos (ſcilicet ſuſcipientes, ſeu Patrinos) ac baptizatum ipſum, & illius patrem, ac matrem: nec non inter baptizantem, ac baptizatum, baptizatique patrem, ac matrem tantùm ſpiritualis cognatio contrahatur. Et in fine additur: Ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem, & confirmatum, illiúsque patrem, & matrem, ac tenentem non egrediatur, omnibus inter alias perſonas hujus ſpiritualis cognationis impedimentis omnino ſublatis.

XXXII. Circa quæ verba Concilii notandum 1. Jure novo Concilii Tridentini duæ tantùm ſunt ſpecies cognationis ſpiritualis ortæ ex Baptismo, & Confirmatione, ac dirimentis matrimonium poſtea contractum. Prima eſt, paternitas, quæ inter baptizantem; aut confirmantem, & Patrinos, ſeu ſuſceptores, ex una parte: & inter baptizatum, vel confirmatum, ex altera parte contrahitur. Secunda compaternitas, quæ eſt inter baptizantem, vel confirmantem, ac Patrinos, ſeu ſuſceptores, ex una parte: & inter patrem, ac matrem baptizati, vel confirmati ex altera parte, earúmque neutra ad uxores transfunditur, etſi olim cognatio etiam contraheretur inter uxorem Patrini, ſeu ſuſcipientis, & uxorem baptizantis, aut confirmantis, ſi conjugatus eſſet, & inter baptizatum, ejúsque parentes. Item inter liberos carnales Patrinorum, & baptizantis, ex una parte; & inter baptizatum ex altera parte, quæ dicebatur fraternitas, ut patet ex *c. 1. 3. & ult. h. t.* & jam etiam eſt abrogata, *Sanch. l. 7. de matr. diſ. 54. n. 10.*

Notandum 2. Inter ipſos Patrinos, etiam Jure antiquo, non contrahebatur cognatio ſpiritualis, quare non prohibetur maritus, & uxor ſimul eandem ptolem alienam è Baptiſmo, vel Confirmatione ſuſcipere, *c. Quod autem. ult. cauſ. 30. q. 4.* Nec propterea privatur jure exigendi debitum conjugale, quia nullam inter ſe contrahunt cognationem, *Sanch. cit. diſ. 54. n. 13.* Cùm autem in *cit. c. 2.* dicitur: *Inter quos* (ſuſcipientes) *ac baptizatum ipſum & c. ſpiritualis cognatio contrahatur*, non eſt ſenſus, quòd inter illos Patrinos inter ſe hæc cognatio contrahatur, ſed inter illos, & alias perſonas ibi enumeratas, nimirum baptizatum, & ipſius parentes, *Sanch. c. l. n. 10.* Item poſſunt etiam duo ad invicem eſſe Patrini, ita ut poſſit quis ſuſcipere è ſacro fonte prolem ejus, qui ipſius filium priùs ſuſcepit, quia hoc nullo jure eſt interdictum; & tunc duplex oritur inter parentes compaternitas, ratione utriúsque filii, *Sanch. c. l. n. 17.*

Porro per parentes baptizati, vel confirmati, in ordine ad contrahendam cognationem ſpiritualem, intelligendi ſunt parentes naturales, ſeu carnales, ſive legitimi ſint, ſive illegitimi, quia ante Concilium Trident. hanc cognationem cum parentibus contrahebant, quam ipſum Concilium nullatenus reſtrinxit, *Sanch. c. l. n. 16.*

§. VI.

Quæ conditiones requirantur ad munus Patrini, & ad contrahendam cognationem ſpiritualem in Baptismo, & Confirmatione?

XXXIII. Ad primum quæſitum reſpondetur. Patrinus dicitur quaſi ſpiritualis pater, ac pædagogus hominis baptizandi, qui eum in Chriſtiana vita inſtruere, & præſertim Symbolum Apoſtolorum, & Orationem Dominicam edocere debet *c. Vos autem. 105. diſ. 4. de conſecr.* quamvis hodie ab hac obligatione

Digitized by Google

Catechismus, in ſignificatione univoca, & propria, quaſi ex Catechismo oriatur Canonicum impedimentum matrimonii ejusdem rationis, & efficaciæ ad dirimendum illud jam contractum, ſicut oritur ex Baptismo, & Confirmatione, ut rectè notavit Beja apud *Barboſ. in Collect. in cit. c. Contracto. 5. h. t.* contra *Gl. ibid. V. Vix contrahendo in fine.*

Notandum 3. Illud vix fieri dicitur, quod fieri poteſt, licèt cum difficultate, ut colligitur ex *cit. c. 5.* ibi: *vix contrahendo, h.t.* & clariùs ex *c. 2.* ibi: *quod vix fit, fieri tamen dubium non eſt: eodem in 6.* aliquando tamen dictio *vix* ſignificat impoſſibilitatem, ſed in ſignificatione impropria, *Abb. in cit. c. 5. num. 3. & Alex. num. 4.*

Notandum 4. Quamvis Catechismus impediat matrimonium contrahendum, non tamen contraveniens prohibetur, exigere, & reddere debitum conjugale, ut conſtat ex *cit. c. 5.* ibi: *& carnale debitum ab ea licenter exigat, & perſolvat*: ubi in fine etiam pœnitentia imponitur ob ſolam intentionem delinquendi, poſito quòd delictum non habuerit effectum, *Alex. de Nævo c. l. n. 8. & 9.*

XXV. An autem hoc impedimentum Catechismi hodie ſit ſublatum per Concilium Tridentinum *Seſſ. 24. c. 2. de reform.* dubitatur? Et quidem certum eſt hoc impedimentum ibi eſſe reſtrictum ad primum gradum cognationis, ſicut ibi reſtringitur cognatio orta ex Baptismo ad primum gradum, ergo multò magis erit reſtricta cognatio orta ex Catechismo, qui eſt initium aliquod Baptismi, ac diſpoſitio ad illum, adeoque per illum metienda eſt, & non ultra eundem primum gradum extendenda, *Sanch. tit. l. 7. diſ. 10. n. 6.* Quin imò etiam verius eſt, prædictum impedimentum ortum ex Catechismo jam omnino ſublatum eſſe, ut colligitur ex *Concil. Trid. cit. c. 2.* ex illis verbis in fine: *Omnibus inter alias perſonas hujus ſpiritualis cognationis impedimentis omnino ſublatis.* Cùm ergo Concilium Trident. omnino ſuſtulerit cognationem ortam ex Baptiſmo, præterquam inter tenentes in ipſo Baptismo, cenſeri debet etiam eſſe ſublata cognatio tenentium in ſolo Catechismo, quæ primam originem trahit ab illo, etſi de Catechismo ibi non fiat expreſſa mentio, *Sanch. cit. diſ. 10. n. 12.* & alii apud ipſum.

§. IV.

An plures poſſint intervenire patrini, ſeu ſuſceptores in Baptismo, & Confirmatione, de Jure antiquo, & an inter omnes, ſi plures ſint patrini, contrahatur ſpiritualis cognatio?

XXVI. De hoc agitur in *c. Quamvis. 3. & ult. h. t. in 6.* Ubi Pontifex Bonifacius VIII. ita reſcribit: Quamvis non plures, quàm unus vir, vel una mulier, ſuſcipere debeat de Baptismo infantem juxta SS. Canones, ſi tamen plures ſuſceperint, ſpiritualis cognatio inde contrahitur, (ſcilicet cum omnibus, *Gl. hic V. Contrahitur.*) & impedimenta matrimonia contrahenda, & etiam diſſolvens pòſt contracta. Idémque dicendum de Confirmatione. (ſcilicet ut plures tenere non deberent confirmandum, ſi tamen teneant, omnes ſint compatres, vel compatrini.) Additur in fine: Ex datione verò aliorum Sacramentorum (præter Baptismum, & Confirmationem) cognatio ſpiritualis non oritur, quæ matrimonium impediat, aut diſſolvat, de quo jam dictum ſuprà, *5. 1. num. 2. h. t.*

XXVII. Hinc colligitur 1. De Jure antiquo prohibitum erat, ut plures Patrini in Baptismo, vel Confirmatione adhiberentur, ſed unus ſolus, ſive vir, ſive fœmina, ut conſtat ex *c. Non plures. 101. diſt. 4. de conſecr. & ex hoc cap. Sanch. l. 7. diſ. 57. n. 1.* Nec poteſt Epiſcopus diſpenſare, ut plures Patrini adhibeantur, quia nec poteſt Epiſcopus diſpenſare in Jure communi Canonico, vel Decreto Concilii generalis, niſi talis facultas reperiatur ipſi ſpecialiter eſſe conceſſa, *Sanch. c. l. n. 2. & 7.*

Colligitur 2. Secundùm Jus antiquum Canonicum, ſi plures unum baptizatum, vel confirmatum ſimul ſuſcipiant, vel teneant, omnes contrahunt cognationem ſpiritualem impedientem, ac dirimentem matrimonium, quamvis hujus legis transgreſſores ſint, ut expreſsè habetur in *cit. c. ult. h. t. in 6. Sanch. c. l. n. 3.* Nam quamvis aliàs actus contra legem factus regulariter non valeat, *l. Non dubium. 5. C. De legibus*, in hoc tamen caſu lex non tollit actum, ſed imponit pœnam Parocho admittenti plures, quàm unum, vel duos Patrinos, & valor actûs non pertinet ad favorem Patrochi, ſed ſuſcepti ex Baptismo, & ſic actus valet, *Vgolin. de Offic. Epiſc. c. 25. §. 1. n. 5.*

XXVIII. Verùm Concilium Tridentinum *Seſſ. 24. de reform. matrimon. c. 2.* Antiquum Jus nonnihil immutavit, & ſtatuit, ut unus tantùm, ſive vir, ſive mulier (hoc eſt, mas, ſi puer baptizandus, & fœmina, ſi puella baptizanda ſit) juxta SS. Canonum ſtatuta in *c. Non plures. 101. diſ. 4. de conſecr. & c. 3. h. t.* Vel ad ſummum unus, & una (ſcilicet mas, & fœmina, ſive puer, ſive puella baptizetur) de Baptismo ſuſcipiant. Ubi in Declarationibus Cardinal. Concil. apud *Joann. Gallemart n. 4.* dicitur, Epiſcopum poſſe diſpenſare, ut duo viri, loco viri, & mulieris, aliquem baptizatum de Baptismo ſuſcipiant.

XXIX. Præterea S. Synodus paulò infrà in eodem c. ſubjungit hæc verba: Parochus antequam ad Baptismum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos ſpectabit, ſciſcitetur, quem, vel quos elegerint, ut baptizatum de ſacro fonte ſuſcipiant: & eum, vel eos tantùm ad illum ſuſcipiendum admittat, & in libro eorum nomina deſcribat, doceátque eos, quam cognationem contraxerint, ne ignorantiâ ullâ excuſari valeant. Quòd ſi alii, ultra deſignatos, baptizatum tetigerint, cognationem ſpiritualem nullo modo contrahant, Conſtitutionibus in contrarium facientibus (ſcilicet *c. ult. h. t. in 6.*) non obſtantibus.

XXX. Ubi notandum 1. Ad parentes pertinet Patrinos deſignare, vel ſi illi non deſignant, ad Parochos. Si verò nullus ſit ſpecialiter deſignatus Patrinus, ex negligentia, aut oblivione parentum, vel Parochi, & multi ſimul tenendo tangant baptizandum,

Digitized by Google

dum, vel de ſacro fonte æquè ſuſcipiant, omnes contrahunt ſpiritualem cum eo cognationem, ut deciditur in *cit. c. 3. & ult. h. t. in 6.* & docet *Navarr. in Man. c. 22. n. 39. Tanner. tom. 4. diſ. 8. q. 4. dub. 4. n. 69.* Ubi ait, id expreſsè etiam declaratâſſe S. Congregationem Cardinalium, cui ſtandum eſt, quia à Jure antiquo non eſt recedendum, quando aliud non ſtatuitur Jure novo. Concilium verò Trident. videtur loqui, quando deſignantur plures Patrini. Contrarium tamen docet *Sanch. l. 7. diſ. 57. num. 12.* videlicet quòd ſi nulli deſignentur Patrini, nullus contrahat hanc cognationem ſpiritualem, etiamſi plures tangant, vel ſuſcipiant baptizatum è ſacro fonte, quia Concilium intendit vitare, ne impedimentum hujus cognationis ſpiritualis Patrinorum nimiùm multiplicaretur, & ut certi eſſent illud contrahentes, & ideo tanquam conditionem neceſſariam requiſivit, ut eſſent veri Patrini ſuſcipientes baptizatum, eos deſignati ab iis, quibus id incumbit, ergo ſi deficiat hæc conditio deſignationis, non ſunt veri Patrini, & conſequenter neque cognationis ſpiritualis participes. Idque confirmatur ex eo, quòd in fine *cit. c. 2.* dicitur: *Omnibus inter alias perſonas hujus ſpiritualis cognationis impedimentis omnino ſublatis.* Cùm ergo perſonæ ibi contentæ, quæ hujus cognationis ſpiritualis ſunt capaces, ibidem dicantur eſſe Patrini, qui deſignati ſunt ad id munus obeundum, omnes illæ perſonæ, quæ non ſunt deſignatæ, non erunt illius capaces. Et hæc ſententia eſt valde probabilis. Videri poſſunt, quæ hac de re tradit *Sanch. c. l. n. 12.* Ubi etiam plures alias difficultates hujusmodi proponit, & reſolvit uſque ad finem *diſp. illius 57.*

Notandum 2. Etſi de Jure antiquo Canonico non plures, quàm unus vir, vel una mulier poſſint eſſe ſuſceptores in Baptismo, & Confirmatione, *c. Quamvis. 3. & ult. h. t. in 6.* juxta Concilium Trident. autem *c. l.* ut ſummùm duo, unus videlicet, & una in Baptismo, & in Confirmatione unus, vel una tantùm poſſunt eſſe ſuſcipientes, ſeu Patrini, quia de Confirmatione id non eſt expreſſum, ſicut de Baptismo in *cit. Decreto Concilii Trident. Seſſ. 24. c. 2. de reform. matrim.*

§. V.

Inter quosnam contrahatur cognatio ſpiritualis in Baptismo, & Confirmatione, de Iure novo Concilii Tridentini?

XXXI. De hac re ita ſtatuitur in *c. 2. Seſſ. 24. de reform. matrim.* Inter quos (ſcilicet ſuſcipientes, ſeu Patrinos) ac baptizatum ipſum, & illius patrem, ac matrem: nec non inter baptizantem, ac baptizatum, baptizatique patrem, ac matrem tantùm ſpiritualis cognatio contrahatur. Et in fine additur: Ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem, & confirmatum, illiúsque patrem, & matrem, ac tenentem non egrediatur, omnibus inter alias perſonas hujus ſpiritualis cognationis impedimentis omnino ſublatis.

XXXII. Circa quæ verba Concilii notandum 1. Jure novo Concilii Tridentini duæ tantùm ſunt ſpecies cognationis ſpiritualis ortæ ex Baptismo, & Confirmatione, ac dirimentis matrimonium poſtea contractum. Prima eſt, paternitas, quæ inter baptizantem; aut confirmantem, & Patrinos, ſeu ſuſceptores, ex una parte: & inter baptizatum, vel confitmatum, ex altera parte contrahitur. Secunda comparternitas, quæ eſt inter baptizantem, vel confirmantem, ac Patrinos, ſeu ſuſceptores, ex una parte: & inter patrem, ac matrem baptizati, vel confirmati ex altera parte, earúmque neutra ad uxores transfunditur, etſi olim cognatio etiam contraheretur inter uxorem Patrini, ſeu ſuſcipientis, & uxorem baptizantis, aut confirmantis, ſi conjugatus eſſet, & inter baptizatum, ejúsque parentes. Item inter liberos carnales Patrinorum, & baptizantis, ex una parte; & inter baptizatum ex altera parte, quæ dicebatur fraternitas, ut patet ex *c. 1. 3. & ult. h. t.* & jam etiam eſt abrogata, *Sanch. l. 7. de matr. diſ. 54. n. 10.*

Notandum 2. Inter ipſos Patrinos, etiam Jure antiquo, non contrahebatur cognatio ſpiritualis, quare non prohibetur maritus, & uxor ſimul eandem prolem alienam è Baptiſmo, vel Confirmatione ſuſcipere, *c. Quod autem. ult. cauſ. 30. q. 4.* Nec propterea privatur jure exigendi debitum conjugale, quia nullam inter ſe contrahunt cognationem, *Sanch. cit. diſ. 54. n. 13.* Cùm autem in *cit. c. 2.* dicitur: *Inter quos* (ſuſcipientes) *ac baptizatum ipſum & c. ſpiritualis cognatio contrahatur*, non eſt ſenſus, quòd inter illos Patrinos inter ſe hæc cognatio contrahatur, ſed inter illos, & alias perſonas ibi enumeratas, nimirum baptizatum, & ipſius parentes, *Sanch. c. l. n. 10.* Item poſſunt etiam duo ad invicem eſſe Patrini, ita ut poſſit quis ſuſcipere è ſacro fonte prolem ejus, qui ipſius filium priùs ſuſcepit, quia hoc nullo jure eſt interdictum; & tunc duplex oritur inter parentes compaternitas, ratione utriúsque filii, *Sanch. c. l. n. 17.*

Porro per parentes baptizati, vel confirmati, in ordine ad contrahendam cognationem ſpiritualem, intelligendi ſunt parentes naturales, ſeu carnales, ſive legitimi ſint, ſive illegitimi, quia ante Concilium Trident. hanc cognationem cum parentibus contrahebant, quam ipſum Concilium nullatenus reſtrinxit, *Sanch. c. l. n. 16.*

§. VI.

Quæ conditiones requirantur ad munus Patrini, & ad contrahendam cognationem ſpiritualem in Baptiſmo, & Confirmatione?

XXXIII. Ad primum quæſitum reſpondetur. Patrinus dicitur quaſi ſpiritualis pater, ac pædagogus hominis baptizandi, qui eum in Chriſtiana vita inſtruere, & præſertim Symbolum Apoſtolorum, & Orationem Dominicam edocere debet *c. Vos ante. 105. diſ. 4. de conſecr.* quamvis hodie ab hac obligatione

Digitized by Google

tione inſtruendi ſit liberatus, cùm pueri à parentibus,& Ludimagiſtris inſtrui ſoleant, *Laym. l. 5. tr. 2. de Sacram. Bapt. c. 9. n. 1.*

XXXIV. Ad hoc autem munus requiritur 1. ut quis rationis uſum ſit aſſecutus, alioquin Patrinus eſſe nequit, quamvis, præter hoc, certa ætas non ſit præſcripta, neque neceſſarium eſt, ut ætate excedat baptizandum, *Sanch. l. 7. diſ. 61. n. 3.* 2. Debet eſſe baptizatus, quia non baptizatus non poteſt aliquem ſuſcipere è baptismo, ſicut non Confirmatus non poteſt eſſe Patrinus in Confirmatione, *c. In baptiſmate. 102. diſ. 4. de conſecr.* nec contrahit cognationem ſpiritualem, *Sanch. libr. 7. diſ. 60. n. 20.* 3. Ut intentionem habeat obeundi munus ſpiritualis Patris, ſeu Patrini, nempe exercendi actum illum ab Eccleſia inſtitutum, *Sanch. l. 7. diſ. 58. n. 4.*

Præterea quædam perſonæ ſunt, quæ Patrini munus obire non poſſunt, ut hæretici, & Apoſtatæ. Item Monachis prohibitum eſt, ne in Sacramento Baptismi, vel Confirmationis, ſint Patrini, ſeu ſuſceptores, *c. Placuit. 8. cauſ. 16. q. 1. c. Non licet. 103. & c. ſeq. diſ. 4. de conſecr.* Nomine autem Monachorum hîc intelliguntur, non ſolùm ij, qui ſolitudinem incolunt, ſed etiam omnes alii Religioſi, ſaltem Clauſtrales, ita ut illis prohibitum ſit ſuſcipere munus patrini in Baptismo, & Confirmatione, *Sanch. l. 6. Mor, c. 6. n. 24. Laym. cit. c. 9. n. 3.* quia in omnibus Religioſis eadem ratio prohibitionis locum habet, ne ſcilicet ob cognationem ſpiritualem contractam, nimiam etiam familiaritatem cum fœcularibus, præſertim fœminis, contrahant. Excipitur Religioſus Epiſcopus factus, ii ſenim licitè poteſt fieri Patrinus, & compater in Baptismo, quia in Epiſcopo non ſubeſt tale periculum nimiæ familiaritatis, & incontinentiæ, *Sanch. cit. c. 6. num. 24. Laym. c. l.*

XXXV. Ad poſtetius quæſitum reſpondetur, ad contrahendam cognationem ſpiritualem plures etiam conditiones requiruntur. Veluti 1. ut baptizans, vel ſuſcipiens ex Baptismo ſit fidelis, ſeu baptizatus, alioquin non erit capax contrahendæ cognationis ſpiritualis ab Eccleſia inductæ, *Sanch. l. 7. de matrim. diſ. 60. n. 7. & 8. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 8. n. 2.* Ratio eſt, tum quia non baptizatus, etſi Catechumenus ſit, Eccleſiæ, ejúsque legibus non eſt ſubjectus: tum quia qui in Chriſto non eſt per Baptismum ſpiritualiter regeneratus, ſpiritualem cognationem contrahere non poteſt.

Hinc infertur 1. Si infidelis baptizet filiam Annæ v. g. fidelis, etiamſi poſtea ad fidem Chriſtianam convertatur, neque cum filia, neque cum matre cognationem contrahet ſpiritualem, neque impediretur, quominùs illam puellam, vel etiam matrem in uxorem ducere poſſit, *Sanch. cit. diſ. 60. num. 11. Coning diſ. 32. de Sacram. dub. 2. n. 25. Laym. c. l.* Ratio eſt, quia ex baptismo, dum conferebatur, non poterat oriri cognatio, quia baptizans tunc non erat capax ejusdem: neque poſtea, quia non ampliùs extitit. Infertur 2. Si è converſo fidelis baptizet, vel ſuſcipiat è baptismo filium hominis infidelis, nulla etiam cum ipſo contrahitur cognatio, quia cùm cognatio ſpiritualis ſit quædam relatio inter duos terminos capaces hujus relationis, non poteſt ab altero contrahi, quin ab utroque contrahatur: cùm igitur non baptizatus non poſſit eſſe cognatus ſpiritualiter, neque etiam fidelis filium ejus baptizans, vel ſuſcipiens ei cognatus eſſe poteſt, *Sanch. c. l. n. 14. Layman cit. loc.*

XXXVI. Secundò ad cognationem ſpiritualem contrahendam requiritur, ut Sacramentum Baptiſmi, vel Confirmationis validè conferatur, quando enim principale non ſubſiſtit, nec acceſſorium valìdum eſſe poteſt: ſuſceptio autem è Baptismo, & cognatio inde ſubſequens ſunt acceſſoria ipſi Sacramento, *Coning cit. dub. 2. n. 31.* Et hinc ſi infans jam privatim domi baptizatus ſit, & poſtea in Templo ſuppleantur cæremoniæ, & ſolemnitates prætermiſſæ, adhibitis etiam Patrinis, nulla prorſus ex tali reiteratione oritur cognatio, nec in rebaptizante, ſive adhibente cæremonias, nec in Patrinis, ſaltem dirimens matrimonium ſubſequens, etſi forte impediens tantùm, de quo infrà: *Sanch. l. 7. diſ. 62. n. 5.* qui *n.* 14. ait, ſuſcipienterm puerum ex Baptismo privatim collato, non contrahere cognationem ſpiritualem, eò quòd munus Patrini non obeatur, niſi in Baptismo ſolemni. Sed contrarium probabilius videtur, modò ſuſcipiens animum habeat faciendi, quod Patrini faciunt, *Tanner. cit. dub. 4. n. 67.*

XXXVII. Tertiò videntur Jura paſſim requirere ad cognationem hanc ſpiritualem contrahendam, ut Patrinus teneat, vel tangat baptizatum, vel confirmatum, dum hæc Sacramenta conferuntur: aut ut immediatè illum è manibus baptizantis, vel confirmantis ſuſcipiat, idque faciat, animo obeundi munus Patrini, *Sanch. l. 7. diſ. 56. n. 1. & 5. & diſ. 58. n. 7.* Ex quo infertur, ſi quis per alium, tanquam Procuratorem, vel Legatum ſuum, aliquem ſuſcipiat è Baptismo, vel Confirmatione, tum non contrahere cognationem ipſum Legatum, vel Procuratorem, cùm non ſuo, ſed alieno nomine ſuſcipiat, aut teneat, nec intendat proprio nomine tenere, vel ſuſcipere baptizatum, nec eſſe verum Patrinum, ſed hoc munus nomine ipſum conſtituentis exercet, de quo non eſt dubium, & docet etiam *Sanch. l. 7. diſ. 59. n. 12.* Sed neque ipſum Principalem, ſeu mandantem conſtituentem Procuratorem ſuſcipiendi è Baptismo contrahere cognationem ſpiritualem, tradit *Sanch. cit. diſ. 59. n. 4.* eò quòd Jura paſſim ad cognationem hanc ſpiritualem contrahendam exigant contactum perſonalem ipſius Patrini, quæ ſententia ſaltem ob auctoritatem DD. probabilis eſt. Oppoſita tamen ſententia, quam ſequitur *Coning cit. dub. 2. n. 40. Tanner. cit. dub. 4. n. 70. Laym. cit. c. 8. n. 4. & 5.* eſt probabilior, nempe quòd ipſe Principalis, qui Legatum mittit, cognationem ſpiritualem ſolùm contrahat. Idque probatur, tum quia quod quis per alium facit, petinde eſt, ac ſi faciat per ſe ipſum, *Reg. Juris. 72. in 6.* Et omnis actus per Procuratores exerceri poteſt, niſi expreſsè prohibeatur, *l. 1. §. Uſus. ff. De Procurator.* & ibi notant DD. Tum quia videmus paſſim Magnates per Legatos hoc munus obire: atqui Eccleſia non permitteret Baptismum ſine vero Patrino conferri: ſi autem is, qui per alium ſuſcipit, ſuo nomine, ut verus patrinus, & pro tali communi fidelium perſuaſione habetur, ſequitur, quòd cognatio ſpiritualis à talibus Patrinis contrahatur, cùm Jura id generatim aſſerant. Neque refert, quòd Jura, ſeu Canones videantur require-

Digitized by Google

quirere, ut Patrinus per ſe hoc munus obeat, *cauſ.* 30. *tot. q.* 1. quia id non præcipiunt, ſed deſcribunt tantùm munus ſuſceptionis è Baptismo, ſicut ordinariè exerceri ſoler, & fortè olim non erat ita uſitatum per alium hoc munus Patrini obire, *Laym. cit. c.* 8. *n.* 5. Idque confirmatur, quia per conſuetudinem poteſt induci, ut contrahatur ſpiritualis hæc cognatio, etiamſi quis non per ſe ipſum, ſed per Procuratorem, aut nuntium teneat, ſeu ſuſcipiat prolem alterius è Baptismo, ut fatetur ipſe *Sanch. cit. diſ.* 59. *n.* 6. quia quod poteſt per legem induci, poteſt etiam per conſuetudinem legitimè præſcriptam, ſicut etiam poſſunt per eandem impedimenta dirimentia matrimonium induci. Ergo conſuetudo Principum, & Magnatum exercendi munus Patrini per Legatum, ſeu Procuratorem eſt valida, & conſequenter etiam ab illis contrahitur cognatio ſpiritualis, ut notat *Tanner. c. l. n.* 70.

§. VII.

Proponuntur, & reſolvuntur aliæ nonnullæ quæſtiones circa cognationem ſpiritualem ortam ex Baptiſmo, & Confirmatione.

XXXVIII. Quæritur 1. An ſuſcipiens prolem in neceſſitate, quia nullus alius adeſt, contrahat cognationem impedientem matrimonium, vel ejus uſum? Reſp. ſi quis ſuſcipiat infantem in privato Baptismo ex neceſſitate collato, ita ut ex propoſito Patrini munus obeat, verus Patrinus fieri cenſetur, adeoque ſpiritualem cognationem contrahit; quia etſi in tali Baptismo privato, tempore neceſſitatis, collato, nullum extet præceptum Eccleſiæ, ut adhibeatur Patrinus, quia plerumque in tali neceſſitate Patrinus haberi non poteſt, non tamen prohibetur etiam adhiberi: & hic adhibetur in Baptismo, non tantùm propter ejus ſolemnitatem, ſed multò magis etiam propter obligationem inſtruendi baptizatum, *Laym. l.* 5. *tract.* 2. *c.* 9. *n.* 5. licèt contrarium teneat *Sanch. l.* 7. *diſ.* 62. *n.* 15.

XXXIX. Quæritur 2. An ſi Chriſtianus in extremo neceſſitatis articulo baptizet aliquem, contrahat cognationem ſpiritualem? Reſp. contrahere etiam laicum cognationem ſpiritualem dirimentem matrimonium ſubſequens cum baptizato, ejúsque parentibus, *Sanch. l.* 7. *diſ.* 62. *n.* 10. quia Jure expreſſum eſt, ex vero Baptismo oriri cognationem ſpiritualem. Excipitur ſolùm, ſi conjux baptizet prolem conjugis ſuæ, vel communem filium, ob urgentem neceſſitatem, ut Patrinus, tum enim nullum impedimentum contrahitur, prout ſumitur ex *c. Ad limina.* 7. *cauſ.* 30. *q.* 1. Ubi ratio redditur: *Quia inculpabile judicandum, ad quod neceſſitas impulit.* Idémque dicèndum, ſi parens prolem conjugis ſuæ, vel communem filium in Sacramento Baptiſmi, vel Confirmationis, tanquam Patrinus, ſuſcipiat, ſi alius haberi nequeat, tum enim nullum etiam impedimentum contrahit, quia impedimentum non petendi debitum Jure Canonico ſtatutum eſt in pœnam delicti, parens autem hoc caſu, nil deliquit, etſi Patrinus filii exiſtat, quando alius haberi nequit, & nemo ſine culpa jure ſuo privari debat, *c. Diſcretionem.* 6. *De eo, qui cognovit, &c. Sanch, l.* 9. *de matr. diſ.* 26. *n.* 3. *Laym. l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 8. *num.* 7. Sed neque parens baptizans, vel ſuſcipiens è Baptismo proprium filium, in neceſſitate, vel etiam extra neceſſitatem, ſed per probabilem ignorantiam juris, aut facti, contrahit hoc impedimentum cognationis ſpiritualis cum propria uxore, quoad ullum effectum, ac proinde debitum conjugale licitè non ſolùm reddere, ſed etiam petere poteſt, *Sanch. l.* 7. *diſ.* 62. *n.* 10. *Tanner. cit. dub.* 4. *n.* 7. *Laym. cit. loc. n.* 8. §. *Illud verò.* Cùm enim id ſolo Jure Eccleſiaſtico prohibitum ſit, ideo, qui hoc jus ignorat probabiliter, ſicut excuſatur à culpâ, ita etiam ab annexa pœna. Si verò patens, extra caſum neceſſitatis, prolem ex propria uxore genitam baptizet, vel è ſacro fonte, vel in Confirmatione ſuſcipiat temerè, aut malitioſè, non tantùm graviter peccat, ſed etiam propter ſpiritualem cognationem cum uxore contractam, debitum petere non poteſt, licèt conjugi innocenti reddere teneatur, ut colligitur ex *c. Si vir.* 2. *h. t.* & ex communi docet *Sanch. l.* 9. *cit. diſ.* 26. *n.* 7. *Tanner. c. l. & Laym. c. l.* quamvis hoc quoad impedimentum petendi debiti, nullo Juris textu ſatis expreſſo probari poſſit, ſed ſolo conſenſu DD. nititur. Unde aliqui putant, nullum hodie conjugalis uſûs impedimentum oriri, & colligi videtur ex *c. De eo.* 5. *cauſ.* 30 *q.* 1. quam ſententiam probabilem etiam cenſet *Laym. c. l.*

Porro ſi ſponſus de futuro, etiam in neceſſitate, baptizet prolem ſuæ ſponſæ, vel eam è baptismo ſuſcipiat ſcienter, (nam ſecus videtur, ſi ignoret eſſe prolem ſuæ ſponſæ) contrahit impedimentum cognationis ſpiritualis, ita ut cum illa matrimonium, ſine diſpenſatione, inire non poſſit, de quo videri poteſt *Laym. c. l. n.* 7. §. *Si cauſam.*

XL. Quæritur 3. An hæreticus ſit capax hujus ſpiritualis cognationis? Reſpondetur, ſi hæreticus baptizet, vel in Baptismo, vel Confirmatione ſuſcipiat prolem Catholici, is contrahit cognationem ſpiritualem cum perſona baptizata, vel ſuſcepta, & ejus parentibus, quia Character Baptismi eſt inſignitus, ac proinde eſt capax cognationis ſpiritualis, & legibus Eccleſiæ ſubjicitur; nam nullibi in Jure incapax efficitur gerendi munus ſuſcipiendi è baptismo, vel Confirmatione, adeoque verus eſt Patrinus, *Sanch. l.* 7. *de matr. diſ.* 60. *n.* 2. Ubi ait, hoc omnes fateri. Aliud eſt, ſi infidelis, ſive non baptizatus baptizet filium fidelis, vel ſuſcipiat in Baptismo, vel Confirmatione, is enim eſt incapax hujus ſpiritualis cognationis contrahendæ, quia cùm hæc cognatio ſit ex Eccleſiæ ſtatuto introducta, nequit ab infidelibus contrahi, quippe qui Eccleſiæ legibus non ſubduntur, *Sanch. c. l. n.* 7. & alii apud ipſum.

XLI. Sed jam ulteriùs quæritur hîc, utrùm Catholicus licitè poſſit prolem Acatholici, quæ à Miniſtro hæretico baptizatur, rogatus è ſacro fonte ſuſcipere? Reſp. improbari non poteſt conſuetudo illa, quæ in quibusdam Germaniæ locis viget, ſecundùm quam Catholici, ut Patrini exiſtunt, quando baptizantur filii hæreticorum, modò Baptismus conferatur in nomine, & forma SS. Trinitatis, ut docet *Laym. l.* 5. *tr.* 2. *c.* 9. *n.* 6. Ratio eſt, quia Patrinus

trinus Catholicus, dum ſuſcipit baptizatum à miniſtro hæretico, nullo modo cooperatur ad indebitam miniſtrationem Baptismi, nam ut ſupponitur, quoad ſubſtantiam adminiſtratur ritu Catholico, etiam à Prædicante, & Catholicus Patrinus impedit, ut talis Baptismus, qui indebitè, ſeu non ſervatis accidentalibus Eccleſiæ cæremoniis, à Prædicante miniſtratur, minùs malè, & incompletè adminiſtretur, dum expreſsè, vel tacitè, & ipſo facto proteſtatur, ſe hunc baptizatum in vera fide, quantum ſibi poſſibile erit, inſtructurum. Nec obſtat, quòd communicatio in ſacris cum hæreticis Catholicis ſit interdicta: quia poſt Extrâvag. Concilii Conſtantienſis communicatio cum hæreticis, aliiſque nominatim non denuntiatis, non eſt fidelibus interdicta, nec in ſacris, neque in politicis rebus, modò non ſit in exercitio hæretico, quale hîc non ſit, quia Patrinus Catholicus non in alia re communicat, quàm quòd puerum jam Eccleſiæ Catholicæ filium effectum per Baptismum, nomine ejus in ſuam curam ſuſcipiat. Neque etiam obſtat, quòd ſpiritualis cognatio contrahatur à Patrino Catholico cum baptizato filio hæretici, & parentibus ejus: quia illa ex Eccleſiæ ſtatuto ſequitur ex Baptismo, non quatenus malè, ſed rectè, ac validè etiam à miniſtro hæretico confertur, *Laym. tit. loc.*

XLII. Ubi præterea etiam quæritur, an permitti poſſit, ut vice versâ, cùm proles Catholica à Sacerdote Catholico baptizatur, admittatur Patrinus hæreticus, v. g. Lutheranus. In qua re certum eſt, id ordinariè, & ſine gravi cauſa, ac neceſſitate, illicitum eſſe, quia hæreticus non eſt idoneus Patrinus ad inſtruendum baptizandum in fide Catholica: ex gravi tamen cauſa poteſt hoc permitti in locis, ubi Catholici permixti vivunt cum Acatholicis, ad vitanda alia gravia incommoda, quia aliàs vel infantes privatim ab obſtetricibus baptizari deberent, vel extra Parochiam ad hæreticum miniſtrum deferri: vel à Sacerdote Catholico baptizari deberent, nullo adhibito Patrino, contra Univerſalis Eccleſiæ conſuetudinem, & cum non parvo ſcandalo, & multorum querela, *Laym. c. l. num. 7.* Ubi addit, quòd Sacerdos baptizans palam edicere deberet, hunc infantem in fide Catholica baptizari, & inſtruendum fore, nec parentes id impedire debere. Ratio autem eſt, quia hæreticus eſt abſolutè capax obeundi munus Patrini, ita ut ex eo cognationem ſpiritualem contrahat, cùm ſit baptizatus, ut ſuprà dictum. Admittendus tamen eſt hoc caſu Patrinus hæreticus, ſine ulla ejus promiſſione. Neque verò obſtat, quòd hæretici Patrini non ſint idonei ad inſtruendum baptizatum in fide Catholica, quia hoc officium nunc fermè non incumbit Patrinis, etiam apud Catholicos, cùm hodie pueri vix unquam à Patrinis ſuis, ſed à Ludimagiſtris, vel Parochis inſtruantur in fide, ut notat *Laym. c. l.* apud quem plura de hoc videri poſſunt.

TITVLVS XII.

DE COGNATIONE LEGALI.

Quia cognatio legalis eſt effectus adoptionis, ex eâque oritur, ideo de illa quædam ſcitu neceſſaria ſunt præmittenda.

§. I.

Quid, & quotuplex ſit adoptio?

I.

ASSERTIO 1. *Adoptio eſt extraneæ perſonæ in filium, vel filiam, nepotem, vel deinceps, legitima aſſumptio,* prout communiter definitur apud *Silveſt. V. Adoptio, n. 1.* Per extraneam perſonam intelligitur ea, quæ non eſt in poteſtate adoptantis, ſeu ex deſcendentibus illius, ſive alioquin ſit ejus conſanguinea, ſive non. Sub maſculino autem continetur fœmininum, ſub filio filia, ſub nepote neptis. Dicitur legitima aſſumptio, ſive electio, quia legibus Civilibus ſtatuta, & Canonicis approbata fuit, adeoque in ea forma à Jure præſcripta ſervanda eſt, videlicet ut adoptans ſit ſui juris, & maſculus, nam fœmina adoptare non poteſt, §. *Fœmine. 10. Inſtit. de adoption.* Item ut ſit major XXV. annis ad generandos filios naturaliter non impotens, & ut major ſit XVIII. annis adoptato, adeoque ut poſſit eſſe ejus pater naturalis, etiam ratione ætatis, quia hæc adoptio liberorum, ad ſimilitudinem carnalis generationis, eſt introducta. Denique requiritur, ut adoptatus ſit præſens adoptanti, cùm adoptatur, & in adoptionem conſentiat, quæ omnia habentur *tot. tit. ff. & C. De adoption. & Inſtit. eod.* & tradit *Sanch. l. 7. de matrim. diſ. 63. n. 5.* Aliter definitur adoptio apud *Silveſt. c. l. Eſt actus legitimus, per quem pro filio, vel nepote habetur, qui non eſt penè naturam imitans.*

II. ASSERTIO 2. Duplex eſt adoptio, una perfecta, quæ arrogatio dicitur, per quam adoptatus ſui juris exiſtens, Principis Reſcripto, tranſit in poteſtatem adoptantis, ſitque hæres neceſſarius illius ex teſtamento in quarta bonorum parte, ut filius naturalis. Altera eſt adoptio imperfecta, ſeu ſimplex, ac ſpecialis, per quam adoptatus non tranſit in adoptantis poteſtatem, adeoque nec egreditur naturalis patris ſui, aut avi poteſtatem, nec fit adoptantis hæres neceſſarius ex teſtamento, ſed tantùm ei ſuccedere poteſt ab inteſtato. Si verò pater naturalis non extraneo, ſed avo filii ſui materno, vel etiam avo paterno, ſi ipſe pater naturalis fuerit emancipatus, filium ſuum dederit in adoptionem, tum adoptatus tranſit in poteſtatem patris adoptivi, quia hoc caſu in unam perſonam convenerunt naturalis cognationis, & Civilis adoptionis jura, §. *Sed hodie Inſtit. de adopt.* Poteſt autem hæc adoptio imperfecta fieri etiam per Magiſtratum Principe inferiorem,

Digitized by Google

tem, non item arrogatio, §. 1. *Inſtit. eod. Santh, c. 1. num. 2.*

§. II.

Quid ſit cognatio legalis, & quot eius ſpecies, & ex qua adoptione oriatur impedimentum hoc dirimens matrimonium ſubſequens?

III. ASSERTIO 1. *Cognatio legalis eſt propinquitas perſonarum Jure Eccleſiaſtico, approbante Jus Civile, ex adoptione provenienſ*, in quo diſtinguitur à cognatione naturali, quæ oritur ex conſanguinitate, vel affinitate naturali, *Sanch. cit. diſ. 63. n. 5.* Eſt autem triplex cognationis legalis ſpecies: prima in linea rectâ, inter adoptantẽ, & adoptatum, & deſcendentes adoptati, ſi in ejus poteſtate exiſtant. Secunda eſt lateralis, ſive in linea transverſa, inter adoptatum, & filios, ac nepotes, aliósque deſcendentes adoptantis, ſaltem legitimos. Tertia eſt, per modum affinitatis cujusdam inter adoptantem, & uxorem adoptati, & è converſo inter adoptatum, & uxorem adoptantis, *Silveſt. V. Matrimonium. 8. q. 8. dicto 2. Sanch. cit. diſ. 63. n. 6. Laym. l. 5. tract. 10. p. 4. c. 7. n. 3.*

IV. ASSERTIO 2. Sicut certum eſt, cognationem legalem dirimentem matrimonium oriri ex adoptione perfecta, quæ eſt arrogatio; ita valde probabile eſt, non oriri ex imperfecta, ſive ſimplici adoptione. Priorem partem omnes admittunt, & ſumitur ex *l. Adoptivus. 14. in princ. & l. ſeq. ff. de ritu nupt. & c. 1. c. Per adoptionem. 6. cauſ. 30. q. 3. & c. un. h. t.* Poſteriorem partem tenẽt *Silveſt. V. Matrimonium. 8. q. 8. dicto 4. Sanch. cit. diſ. 63. n. 9. Tanner. cit. diſ. 8. q. 4. dub. 4. n. 74. Laym. cit. c. 7. n. 3.* §. *Dubium vero.* Ratio eſt, tum quia ſimplex, ſive imperfecta adoptio non eſt ſimpliciter, & omnino propriè dicta adoptio (niſi adoptans ſit avus paternus, vel maternus, tunc enim tranſit adoptatus in avi poteſtatem, & cenſetur perfecta adoptio, ut ſuprà dictum) ergo cùm impedimenta matrimonii, velut odioſa, reſtringi debeant, leges ſtatuentes hoc impedimentum non ſunt extendendæ ad imperfectam adoptionem. Tum quia impedimentum cognationis legalis tale eſt, ut dirimat matrimonium inter adoptatum, & liberos legitimos adoptantis, quod non convenit adoptioni imperfectæ, per quam adoptivus non tranſit in poteſtatem adoptantis. Tum denique quia impedimentum hujus cognationis inductum eſt ad vitandam fornicationem, quæ facilè fieri poteſt inter perſonas in eadem domo commorantes, quæ ratio ceſſat in ſimplici adoptione, cùm per eam adoptatus non traducatur in domum, & poteſtatem adoptantis. Porro non obſtat, quòd Jus Canonicum non diſtinguat inter arrogatum, & ſimpliciter adoptatum, ſed indiſtinctè loquatur: nam ſatis eſt, quòd ratio Juris diſtinguat, quæ eſt cohabitatio, *Silveſt. c. l.*

§. III.

An omnes tres ſpecies cognationis legalis impediant, ac dirimant matrimonium, & inter quas perſonas?

V. ASSERT. 1. Prima ſpecies eſt quaſi aſcendentium, & deſcendentium inter patrem adoptantem, & filium, vel filiam, nepotem, vel neptem adoptati. Nam adoptato patre, adoptantur etiam filii, & nepotes, qui ſunt in poteſtate adoptati: hæc, inquam, ſpecies indiſtinctè, & in perpetuum impedit, ac dirimit matrimonium, etiam ſolutâ adoptione per mortem adoptantis, vel emancipationem adoptati, quia adoptans non poteſt contrahere matrimonium cum adoptati filia, aut nepte, §. *Ergo non omnes Inſtitut. de nupt. c. Ita diligere. 1. cauſ. 30. q. 3. Silveſt. V. Matrimonium. 8. q. 8. dicto 2. Sanch. l. 7. de matrim. diſ. 63. n. 12.* Et eſt communis ſententia.

VI. Secunda ſpecies lineæ transverſæ inter naturales, & adoptivos filios adoptantis, & adoptatum, dirimit matrimonium, non in perpetuum, ſed ſolùm quamdiu durat adoptio, quia ſunt veluti fratres, & ſorores inter ſe, prout ſumitur ex *c. Siquanuic. h. t.* Ubi dicitur: Siqua per adoptionem alicui ſoror eſſe cœpit, non poſſunt inter illum, & ipſam nuptiæ conſiſtere, quamdiu durat adoptio. Ex quo colligitur, quòd per adoptionem legitimè factam, oritur propinquitas, ſeu cognatio legalis, non ſolùm inter adoptantem, & illum, qui eſt adoptatus in filium, ſed etiam inter adoptatum, & filiam, vel filiam naturalem adoptantis, quæ tamen cognatio finitur, ceſſante adoptione, v. g. per emancipationem. Unde ſi pater filiam ſuam adoptivam emancipat, poterit illam filio ſuo naturali, & legitimo tradere in uxorem, *Alex. de Nævo hic n. 2.* Hinc colligitur, quòd inter adoptatum, & liberos naturales, ac legitimos adoptantis, in linea transverſa, non poteſt matrimonium conſiſtere, quamdiu adoptatus manet in poteſtate adoptantis, ut conſtat ex *l. Per adoptionem. 17. ff. de ritu nupt. §. Inter eas Inſtit. de nupt. & c. unic. h. t.*

VII. Tertia ſpecies legalis affinitatis inter adoptatum, & uxorem adoptantis, ex una parte; & inter adoptantem, & uxorem adoptati ex altera, dirimit perpetuò matrimonium, etiam diſſolutâ adoptione per mortem adoptantis, vel emancipatione adoptati, ut conſtat ex *l. Adoptivus. 14. in princ. & l. Quinetiam. 55. ff. de ritu nupt. Laym. cit. c. 7. num. 3.* Quamvis autem de illa tertia ſpecie in Jure Canonico expreſſa mentio non fiat: quia tamen Rubrica hujus Tituli eſt generalis, nimirum de cognatione legali, & eadem etiam eſt ratio de hac ſpecie, cenſendum eſt, eam quoque approbatam eſſe, ſicut priores. Accedit, quòd omnes tres illæ ſpecies cognationis legalis generali conſuetudine Eccleſiaſticâ ſint receptæ, & approbatæ, adeoque inde hoc impedimentum vim habet, *Sanch. cit. diſ. 63. n. 17.* & alij apud ipſum.

VIII. Porro ratio, cur in prima, & tertia ſpecie cognationis legalis prohibeatur, ac dirimatur matri-

Digitized by Google

monium ſubſequens in perpetuum: in ſecunda verò ſolùm ad tempus, quamdiu durat adoptio, vel arrogatio: ratio, inquam, diverſitatis eſt: quia in prima, ac tertia ſpecie prohibitum eſt matrimonium, propter reverentiam, quam debet adoptatus, cùm ſua uxore, exhibere adoptanti, & uxori ejus: & cùm hæc perpetuò duret, etiam perpetua eſſe debet prohibitio matrimonij in utraque illa: In ſecunda verò ſpecie reverentia eſt debita, ob interpretativam filiationem provenientem ex adoptione, & ideò hac durante, durat prohibitio matrimonij, eâ ceſſante, ceſſat, *Sanch. cit. diſ. 63. n. 24.* apud quem plura de hac re videri poſſunt.

IX. Ex dictis infertur 1. Inter adoptantem, & patentes filij adoptivi poteſt conſiſtere matrimonium, quia nulla inter eos contrahitur cognatio, cùm id nullo jure cautum reperiatur, *Sanch. c. l. n. 26.*

Infertur 2. poteſt filius adopivus ducere in uxorem filiam legitimam carnalem adoptantis, poſt hujus obitum, quia tunc jam ceſſavit adoptio, & patria poteſtas. Sed etſi pater adoptans adhuc ſuperſtes ſit, licitè initur matrimonium inter eos, ſi vel ipſe filius adoptivus, vel filia legitima carnalis adoptantis jam ſint emancipati, vel alio modo ceſſet adoptio, & patria poteſtas, quia cognatio legalis in linea tranſverſa inter hos jam eſt ſoluta, *Sanch. c. l. n. 27.*

Infertur 3. Ipſi fratres adoptivi, id eſt, adoptati ab eodem parente, poſſunt inter ſe matrimonium contrahere, quia nulla inter eos Jure ſtatuta eſt cognatio legalis: nam in *c. Unic. h. t.* agitur de vera filia patris adoptantis, quæ per adoptionem incipit eſſe ſoror adoptiva filij adoptivi ſui legitimi patris, neque hæc impedimenta ob ſolam rationis ſimilitudinem inducenda ſunt, *Sanch. c. l. n. 27.* Multò magis filius, & filia duorum fratrum adoptivorum inire poſſunt matrimonium inter ſe, cùm nullo cognationis vinculo ſint conjuncti, *Sanch. c. l. n. 29.*

Infertur 4. filius illegitimus carnalis adoptantis poteſt in uxorem ducere filiam adoptivam ejuſdem adoptantis: & viciſſim filia illegitima carnalis adoptantis poteſt nubere filio ejuſdem adoptivo, quia illegitimi non cenſentur eſſe in poteſtate patris ſui, 9. *Si adverſus Inſtit. de nupt.* ideóque non contrahitur cum illis cognatio legalis, *Navarr. in man. c. 22. n. 45. Sanch. cit. diſ. 63. n. 30. Leym. cit. c. 3. n. 7.*

Porro quouſque, & ad quot gradus extendatur impedimentum cognationis legalis inter adoptantem, & adoptatum, ac hujus deſcendentes, utrùm in infinitum, an ſolùm uſque ad quartum gradum, non conveniunt DD. & nihil certi ex Jure haberi poteſt. De quo fusè agit *Sanch. cit. diſ. 63. n. 31. & ſeqq.*

TITVLVS XIII.

DE EO, QUI COGNOVIT CONSANGUINEAM UXORIS SUÆ (VEL SPONSÆ)

Poſtquam dictum eſt de cognatione ſpirituali, & legali, nunc agendum eſt de cognatione carnali; ſed quia ex copula habita cum conſanguinea uxoris, vel etiam ſponſæ, oritur cognatio affinitatis, de qua dubitari poteſt, utrùm impediat, vel dirimat matrimonium, vel ſponſalia; ideo ſubjicitur hic Titulus, in quo agitur de impedimento affinitatis contracto per copulam etiam illicitam cum conſanguinea uxoris, vel ſponſæ: ſed in Titulo ſequente de impedimento contracto per copulam licitam, & conjugalem.

§. I.

An inceſtus ſive copula carnalis habita cum conſanguinea uxoris ſuæ impediat, vel dirimat matrimonium?

I.

REſpondetur, impedire quidem matrimonium contrahendum, ſed non dirimere contractum, ut conſtat ex *c. Si quis 1. h. t.* quod eſt deſumptum ex Concilio apud Metiam, ubi ſic ſtatuitur: *Si* » *quis cum filiaſtra ſua (ſcienter (ſecus ſi ignoranter, c. In lectum. 6. cauſ. 34. q. 2.)) fornicatus fuerit, nec à* » *matre filiaſtræ, ſive uxore ſua debitum petere* » (quamvis reddere teneatur, *Gl. hic V. Exactus*) nec » filiam unquam habere poteſt in uxorem: nec filia- » ſtra, nec ille (qui fornicatus fuit) ullo unquam tem- » pore, poterunt (poſt mortem uxoris) cum alia » matrimonium contrahere, ſcilicet propter ince- » ſtum commiſſum. »

Porro per filiaſtram intelligitur privigna, hoc eſt, filia uxoris ex alio viro ſuſcepta, quæ appellatur privigna reſpectu patentis vitrici, Hoſtiens. *hic V. Filiaſtra, & Canif. n. 2.*

II. Notandum 1. Inceſtus commiſſus à marito cum conſanguinea ſuæ uxoris, intra gradus Jure prohibitos, impedit matrimonium, ne aliud contrahatur, ſed non dirimit contractum poſt mortem uxoris, ut patet ex hoc cap. in quo duæ pœnæ infliguntur viro committenti inceſtum cum conſanguinea ſuæ uxoris; una, quia privatur facultate petendi debitum à

propria

Digitized by Google

propria uxore, in pœnam ſui delicti, & ob affinitatem contractam cum illa: quamvis ipſa uxor poſſit debitum exigere, quia non debet privari jure ſuo, ſine culpa ſua, ideóque ipſe vir tenetur debitum reddere petenti, non obſtante affinitate iniquè ex poſt facto contractâ, *Gl. hic V. Petere.* Neque verò tefert, ſive inceſtus occultè ſit commiſſus, ſive publicè innotuerit, quia utroque caſu affinitas contrahitur cum conjuge, ob quam ſolam ineeſtuoſus prohiberur à petitione debiti, *Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 5. n. 3. §. Nihil refert.*

Altera pœna eſt, quia vir privatur etiam facultate contrahendi matrimonium, mortuâ uxore ſuâ, non ſolùmcum filiaſtra ſua, ſed etiam cum quavis alia muliere in perpetuum, ideóque punitur in ipſo matrimonio, contra quod deliquit, committendo inceſtum. Si tamen vir contra prohibitionem hujus Canonis, aliud matrimonium, poſt mortem uxoris ſuæ, ineat cum alia, illud erit validum, quia hîc ſolùm interdicitur tali inceſtuoſo aliud matrimonium, ſed non contra prohibitionem initum irritatur, & idcirco impedimentum hoc numeratur ſolùm inter impedientia, quia nullus textus Juris reperitur, qui illud diceret eſſe dirimens, *Sanch. l. 7. de matrim. diſ. 15. num. 1.*

Notandum 2. Similiter ſi è converſo uxor inceſtum committat cum conſanguineis viri, nec debitum petere poteſt à viro, nec illo mortuo, contrahere aliud matrimonium, quia etſi omnes textus hujus Tituli, ubi hoc impedimentum ſtatuitur, loquantur de ſolo viro cognoſcente conſanguineam uxoris ſuæ, non autem de uxore committente inceſtum cum conſanguineis viri, dicendum tamen eſt, etiam ab uxore inceſtuoſa contrahi hoc impedimentum, quia vir, & uxor ſunt correlativa, & militat eadem prorſus ratio in utroque conjuge, nempe gravis injuria matrimonio illata propter affinitatem contractam, & ideo eadem etiam diſpoſitio Juris locum habere debet, præſertim quia crimen inceſtûs æquè frequens eſt in utroque conjuge, *Sanch. c. l. n. 2.* Confirmatur, quia in *cap. Si quis viduam. 20. cauſ. 32. q. 7. & c. Si quis cum matre. 9. cauſ. 34. q. 2.* dum ſtatuitur hoc impedimentum, expreſsè etiam eſt termo de fœmina, quæ inceſtum commiſit cum conſanguineis viri, *Sanch. c. l. num. 2.*

III. Notandum 3. Non tantùm ipſi Conjuges, qui inceſtum commiſerunt, prohibentur, poſt mortem alterius conjugis, inire aliud matrimonium: ſed etiam illi conſanguinei coniugis, cum quibus alter conjux inceſtum commiſit, ut conſtat ex illis verbis hujus cap. *Nec ille, nec filiaſtra, ullo unquam tempore, ſe poterunt matrimonio copulare.* Ratio eſt, quia & illi gravem injuriam irrogant matrimonio, non ſolùm ratione adulterij, quod committunt, ſed etiam ratione contractæ affinitatis inter conjuges, ob quam impeditur uſus matrimonij, *Sanch. c. l. n. 3.*

Notandum 4. Ut inceſtus cum conſanguinea conjugis impediat matrimonium cum alijs, requiritur, ut ſcienter ſit commiſſus, ut patet ex hoc c. ibi: *ſcienter.* Nam cùm ignorantia (probabilis) excuſet à culpa, excuſabit etiam ab illius pœna. Unde ſi quis per ignorantiam habeat copulam cum ſorore alterius conjugis, vel aliâ conſanguineâ, quam putabat eſſe ſuam uxorem, non incurrit hoc impedimentum, *Sanch. c. l. n. 9.* & ſic licèt ignorantia excuſet ab inceſtu, affinitas tamen ex illo conſurgit, *Alex. de Nævo hic n. 4.*

IV. Prædictis addendum 1. Nihil referre, ſive vivo, ſive mortuo conjuge, inceſtum cum conſanguinea alterius conjugis fuerit admiſſus; utroque enim caſu, hoc impedimentum incurritur, ut aliud matrimonium inceſtuoſus contrahere non poſſit, etiam quando defuncta uxore, inceſtus eſt commiſſus, prout expreſsè decidit in *c. Tranſmiſſæ 4. h. t.* Nam cùm quidam, uxore ſuâ defunctâ, filiam ejus, & » privignam ſuam carnaliter cognoviſſet, poſtea aliam accepit in uxorem, & nihilominus cum privigna publicè deliquit. Conſultus ſuper hoc Cæleſtinus III. reſpondet, ipſum legitimæ uxori cohabitare, eique neceſſaria ad vitam ſuſtentandam » ſub miniſtrare; non tamen eam cognoſcere debere, quamdiu vixerit, niſi ab eâ fuerit requiſitus. » Et tunc propter inceſtum, & adulterium, donec » cum eâ permanſerit, pœnitentiam agat, juxta arbitrium Epiſcopi imponendam: & ſi uxori ſuæ ſupervixerit, perpetuò ſine ſpe coniugij permaneat. »

V. Ubi notandum 1. Inceſtus cum conſanguineâ conjugis mortuæ inducit hoc impedimentum, ita ut matrimonium cum alia contrahere non debeat, ſed ſi contrahat, tenet; non tamen debitum exigere poteſt ab uxore, quam duxit poſt mortem primæ, etſi poſſit petenti illud reddere, *Sanch. cit. diſ. 15. n. 18. Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 7. §. 2. n. 5.* & jam dictum. Addunt aliqui apud *Sanch. cit. diſ. 15. n. 13.* hoc impedimentum non contrahi, ſi crimen inceſtûs ſit occultum, qui tamen id refellit, quia nullo Jure probari videtur, & quia cùm inceſtus, ſuapte naturâ, ſemper occultè committatur, rarò foret locus huic impedimento.

Notandum 2. Licèt maritus privetur facultate exigendi debitum ab uxore, non tamen ideo liberatur ab obere miniſtrandi ei neceſſaria; propterea enim lucratur fructus dotis, *Abb. hic n. 2. & Alex. de Nævo hic n. 2.*

Notandum 3. Duæ quandoque delicti ſpecies oriuntur ex eodem facto, quæ ambæ puniri poſſunt, ut in caſu hujus c. Si qui, poſt contractum matrimonium, copulam habuit cum privigna, commiſit inceſtum, quia cognovit affinem: & adulterium quoque, quia fuit conjugatus, & de utroque poteſt accuſari, & puniri, *Abb. hic n. 4. & Alex. de Nævo num. eod.*

VI. Addendum. 2. Si fœmina à conſanguineo mariti per vim ſit carnaliter cognita, non incurrit impedimentum non contrahendi matrimonium cum alio, nec pœnas illius, quia cùm ſit expers omnis culpæ, erit etiam expers omnis pœnæ, *c. Diſcretionem. 6. h. t.* ac verò conſanguineus mariti, qui illam violenter cognovit, incurret impedimentum, ad contrahendum matrimonium, cùm ſit reus veri inceſtûs, & affinitatis contractæ inter maritum, & uxorem, *Sanch. libr. 7. de matrim. diſ. 15. n. 10.*

VII. Addendum 3. Inceſtus cum proprijs conſanguineis non impedit, ſeu dirimit matrimonium contrahendum, juxta probabiliorem ſententiam, quam tenet *Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 6. in princ. n. 4. Sanch. cit. diſ. 15. n. 16.* & alij apud ipſum cum *S. Thom.* quia cùm hoc ſit pœna, reſtringi debet. & non extendi. At verò textus ſtatuentes hoc impedi-

Digitized by Google

mentum non loquuntur expresiè de incestu cum consanguineis propriis, sed de incestu cum conjugis consanguineis, ergo ab his ad illos non debet extendi. Nec obstat, quòd incestus cum propriis consanguineis sit gravior, & pejor: nam non ita offendit matrimonium, quia ex illo non oritur affinitas, nec impeditur matrimonii usus inter conjuges; & quamvis hic incestus sit pejor, non tamè producit hoc impedimentum matrimonii: quia non tam est impedimentum ratione culpæ, quàm ratione affinitatis ex ipso ortæ, quæ ex solo incestu cum consanguineis contrahitur. Et licèt majus peccatum sit cognoscere consanguineam propriam, quàm cognoscere consanguineam uxoris: non tamen tantam injuriam infert maritus uxori per incestum cum propriis consanguineis, quàm per incestum cum consanguineis conjugis, per quem contrahit affinitatem cum uxore, & privatur jure petendi debitum, non autem per incestum cum propriis consanguineis. Turrecremata in *Decreto p. 2. caus. 32. q. 7. §. Quædam. 29. n. 2. in solut. ad 2. & 3. objection.*

§. II.

Utrùm affinitas superveniens matrimonio contracto inter conjuges, etiam per copulam illicitam, dissolvat priora sponsalia de futuro, vel etiam sponsalia de præsenti, sive matrimonium nondum consummatum?

VIII. Ad primum quæsitum respondetur. Etsi per affinitatem supervenientem non dissolvatur matrimonium: dissolvuntur tamen, ipso jure, priora sponsalia de futuro, etiam per copulam illicitam, » prout sumitur ex *c. Veniens. 2. h. t.* Nam cùm quidam, ut refert *Gl.* in casu, contraxisset sponsalia de futuro cum aliqua, cujus pater matrem sponsæ accepit in uxorem, & postea eandem carnaliter cognovit: sed filius sponsus cum suâ sponsâ matrimonium consummare noluit. Consultus super hoc Papa Alexander III. respondet, si sponsus hic matrem suæ sponsæ (de futuro) carnaliter cognovit, non autem ipsam sponsam (postquam cognovit matrem) tunc imponendam ei esse majorem pœnitentiam, quàm pro adulterio: quâ peractâ, vel ejus parte, posse illum ex dispensatione cum alia matrimonium contrahere. Si verò sponsam cognovit, antequam matrem, vel postea: nunquam eam (scilicet matrem) vel aliam (post mortem ipsius) potest accipere in uxorem.

IX. Pro declaratione hujus cap. notandum 1. affinitas superveniens etiam ex concubitu fornicario, majorem vim habet, quàm sponsalia de futuro; nam hæc propter affinitatem dissolvuntur. Ratio est, quia sponsalia de futuro nihil aliud sunt, quàm futurarum nuptiarum promissio, *c. Nostrates. 3. caus. 30. q. 5. & l. 1. ff. De sponsal.* sed affinitas superveniens impedit, ne possit adimpleri illa promissio, cùm inter affines non possit consistere matrimonium, *c. Non debet. 4. tit. seq. Abb. hic num. 2. & Alex. de Nævo n. 2.*

Notandum 2. Cognoscens consanguineam sponsæ fit inhabilis ad contrahendum matrimonium etiam cum aliâ, juxta *c. 1. h. t.* potest tamen cum eo facilè dispensari quoad hanc inhabilitatem; nam cùm in hoc c. Papa sibi non reservet dispensationem, videtur tacitè concedere Episcopo potestatem dispensandi, juxta doctrinam Innocentii in *c. Dilectus, 15. n. 2. de temp. ordin. Abb. hic n. 3. & Alex. de Nævo num. 3.*

Notandum 3. Graviùs peccat, qui carnaliter cognoscit consanguineam uxoris, quàm consanguineam sponsæ, quia in primo casu non conceditur dispensatio, vel saltem non nisi difficulter: in secundo verò casu ea datur, *Gl. hic V. Ex dispensatione.* Ratio diversitatis est, quia cognoscens consanguineam uxoris propriæ committit crimen incestûs; nam ex copula habita cum propriâ uxore, contracta fuit affinitas inter illam, & consanguineos uxoris: sed ex sponsalibus de futuro cum sponsâ non cognitâ, non est orta affinitas cum consanguineis sponsæ, sed solùm quædam publica honestas, & quasi incestus, quia violavit publicæ honestatis justitiam ortam inter se, & matrem sponsæ: & ideo hîc imponitur pœnitentia paulò major, quàm pro adulterio, quia crimen incestûs est gravius, quàm adulterium. Si verò in casu hujus cap. sponsus commisisset verum crimen incestûs, quia cognovit consanguineam uxoris: tunc multò major ei pœnitentia imponenda foret, quàm pro adulterio, quia adulterium non facit inhabilem ad matrimonium contrahendum, *c. Ex litterarum. 4. De eo, qui duxit &c.* sicut facit verum crimen incestûs, *Abbas hic n. 5.*

X. Notandum 4. hoc cap. intelligi debet de sponsa per verba de futuro; si enim loqueretur de sponsa per verba de præsenti, sponsus non posset cum aliâ contrahere matrimonium, nisi ex dispensatione Episcopi. Sed quia solùm erat sponsa de futuro, & sponsalia jam fuerant dissoluta, ob affinitatem contractam cum sponsa, quæ orta fuit ex copula habita à sponso cum matre sponsæ; ideo datur facultas cum aliâ contrahendi matrimonium, ex dispensatione tamen Episcopi, & ita intelligunt hunc textum *Abbas Panormit.* & alii apud *Sanch. l. 7. de matr. dis. 15. n. 5.* Inductum est autem hoc impedimentum, ob violatam publicam honestatem ortam ex sponsalibus, postquam sponsus cognovit consanguineam sponsæ.

Utrùm autem hoc impedimentum sit perpetuum, an verò solùm temporale, dubitatur? Verius est, esse temporale, nempe dum vivit complex peccati, cum quo incestus ille fuit commissus, contra publicam honestatem, ut colligitur ex *c. Duo pueri. 12. supr. de despons. impub.* ibi: *Neutri vivente altero, dabitur licentia contrahendi:* quia nec complex, vivente sponso, nec sponsus, vivente complice, potuerunt quodcunque matrimonium contrahere: altero verò mortuo, cessat impedimentum, ac liberè poterit superstes aliud matrimonium inire, quia in *cit. c.* solùm negatur, matrimonium posse contrahi, altero superstite. Ratio autem, cur interdicitur aliud matrimonium, dum alter adhuc vivit, est, ne delictum maneat impunitum, & quia non est tantum deli-

Digitized by Google

delictum, nec propriè incestus, quia ex sponsalibus non est orta affinitas inter sponsum, & consanguineos sponsæ, & è converso, sicut est copula carnalis habita cum consanguineâ, vel affine, quod est verè crimen incestûs, ideo & mitiùs punitur, quàm illud, & inducitur solùm impedimentum temporale, non perpetuum, *Alex. de Nævo in cit. c. Duo pueri. n. 9. de desponſ. impub. Sanch. cit. diſ. 15. num. 5.* circa finem.

XI. Notandum 5. Quomodo intelligenda sint verba ultima *cit. c. 2. h. t. Si ſponſam cognovit, antequam matrem, vel poſt, nunquam eam, vel aliam poteſt accipere in uxorem:* Nam cùm per concubitum sponsi cum sponsâ transeant sponsalia in matrimonium, si ante matrem, eam cognovit, *c. Is qui. 30. de ſponſal.* & matrimonium teneat, quia per affinitatem supervenientem non dissolvitur, *c. 1. h. t.* quomodo ergo sponsus non potest sponsam accipere in uxorem, id est, retinere, cùm matrimonium, saltem præsumptum, cum eâ contraxerit, illúdque consummaverit, & subsistat? Sed respondetur, sensum esse, ut si quis filiam, cum quâ sponsalia de futuro iniit, cognovit priùs, quàm matrem illius, non possit in uxorem accipere matrem, propter affinitatem cum ipsa contractam ex concubitu cum filia: neque etiam possit in uxoré accipere eandem filiam, quod attinet ad exactionem debiti conjugâlis, quia illâ privatus est sponsus cognoscendo matrem; adeoque illud petere non potest, sed teddere debet: interim matrimonium inter ipsos priùs contractum consistit, & tenetur uxorem ductam retinere. Si verò cognovit sponsam, postquam cognovit mattem; tunc nec sponsam, nec aliam potest ducere in uxorem: non sponsam, propter affinitatem contractam cum illâ ex concubitu cum matre: nec aliam, propter incestum cum filia commissum, cujus hæc est pœna, ut incestuosus non possit etiam cum aliâ imposterum contrahere matrimonium, *Abb. hic num. 6. Caniſ. ibid.*

XII. Ad posteriorem quæstionem respondetur. Affinitas superveniens etiam per copulam illiciram, non dissolvit sponsalia inita per verba de præsenti, sive matrimonium priùs contractum, etsi nondum consummatum, prout sumitur ex *c. Diſcretionem. 6. h. t.* Ubi talis casus proponitur: Quidam cum aliquâ muliere legitimè matrimonium per verba de præsenti contraxit, eámque postmodum à se incognitam, ac renitentem cuidam consanguineo suo in uxorem tradidit, & ille eam accepit, licèt invitam: sed mulier, quàmprimùm libertati redita fuit, postulavit, se priori viro restitui. Quæsitum igitur fuit, an deberet ei restitui? Consultus Pontifex Innocentius III. respondit, viro, ob tam turpe facinus, gravem pœnitentiam esse injungendam: mulierem verò propter publicam honestatem, monendam esse, ut nec priorem virum repetat, à cujus consanguineo, licèt invita, cognita fuerat: nec ad secundum redeat, cui non potest propter adulterium commissum, commisceri: sed continenter vivat, donec primus vit fuerit mortuus. Quòd si ad id induci non poterit, vir prior cogatur ad ipsam redire, & maritali affectione eam tractare, cùm adulterium non possit ei objicere, quam adulteram dan tradidit, præsertim invitam. Nam etsi secundùm Evangelium, *propter fornicationem vir poſſit dimittere uxorem, & hæc virum*; non tamen semper propter eandem causam vir potest dimittere uxorem, vel hæc illum: cùm possit per exceptionem repelli, vel replicationem (ut in proposito casu, quòd ipse vir tradidit eam inviam alteri, vel quia ipse vir similiter fornicatus fuit.) Sed nec affinitas, quæ post matrimonium legitimè contractum, inter virum, & uxorem, iniquè contrahitur, ei debet obesse, quæ iniquitatis particeps non extitit, cùm jure suo non debeat, sine sua culpâ privari. Etsi verò quidâ ex Pontificibus antecessoribus distinxerint, utrùm incestus, vel adulterium fuerit manifestum, an occultum: alii tamen asseruerunt, inter gradum proximum, & remotum potiùs esse distinguendum.

XIII. Notandum 1. Si fœmina à consanguineo matiti sit violenter cognita, nullius est rea culpæ, nullámque pœnam incurrit, prout constat ex hoc cap. At verò mariti consanguineus, qui violenter cognovit ejus uxorem, incurrit impedimentum contrahendi matrimonium cùm aliâ, quia est reus veri incestûs, *Sanch. libr. 7. diſ. 15, n. 10.* & dictum suprà.

Notandum 2. Potest alter conjugum, etiam ante consummatum matrimonium, petere restitutionem alterius, si fuit in quasi possessione illius, ut patet ex hoc cap. Ubi mulier petiit restitui priori viro, eum quo per verba de præsenti matrimonium legitimè contraxerat, *Abb. hic n. 2. & Alex. de Nævo num. 3.*

Notandum 3. Maritus non potest uxori objicere adulterium, & petere ab eâ separationem, si ipse auctor fuit adulterii uxoris, quia ab eo invita, & renitens fuit prostituta, utin casu hujus cap. Sed etsi uxor etiam nolens committat adulterium, consentiente tamen marito, non potest ob id à viro dimitti, ut colligitur ex hoc cap. ibi: *præſertim invitam.* Ubi dictio *præſertim* non debet accipi pro *tantùm*, ut vult *Gl. ibid.* quia est impropria significatio, sed in propria significatione, pro *maximè*. Quare dictio *præſertim* hìc denotat ideam esse in casu contrario, ita ut sensus sit, quòd mulier in casu hujus cap. excusetur ab adulterio commisso cum viro, cui tradita est, scilicet quoad maritum, præsertim si fuit invita, quia idem est, si non fuisset invita, sed volens. Ratio est: tum quia, cùm uxor ex beneplacito virî adulteratur; tunc etiam ipse est reus adulterii: tum quia injuria illata viro ob adulterium est causa, ac fundamentum divortii: quæ cessat, ipso consentiente in adulterium uxoris: *nam ſcienti, & conſentienti non fit injuria, Reg. Iur. 27 in 6.* Unde quando maritus tradit uxorem suam consanguineo suo, etsi solùm desponsetur ipsi per verba de præsenti, nondum consummato matrimonio, fit particeps adulterii, sive ipsa sit nolens, & renitens, sive volens, & sic non potest eam repellere exceptione adulterii: sed mulier excusatur ab adulterio quoad maritum, sed non quoad Deum, si consentit, *Abb. in cit c. 6. h. t. n. 9. & Alex. de Nævo n. 9. Sanch. libr. 10. de matrim. diſ. 5. n. 4.* & alii apud ipsum.

XIV. Notandum 4. Affinitas superveniens non dissolvit sponsalia de præsenti, sive matrimonium

ratum,

Digitized by Google

ratum, & non conſummatum, quia & hoc eſt indiſſolubile quoad vinculum ordinariè, ideóque ſi quis cognoſcat uxorem alterius per verba de præſenti deſponſatam, etiam virginem, & à viro ſuo non cognitam, adulterium committit, *Hoſtiens. hic V. Cùm adulterium.* Veruntamen impedit talis affinitas, ex parte conjugis, qui commiſit inceſtum, exactionem debiti: non autem ex parte alterius conjugis, qui non fuit particeps iniquitatis illius, quia affinitas iniquè contracta per copulam, ſcilicet illicitam, ſeu fornicariam, non officit ei conjugi, qui particeps iniquitatis illius non fuit, cùm is ſuo jure privari non debeat, ſine ſuâ culpâ, ut habetur in hoc c. ubi etiam dicitur licèt honeſtum ſit, ac decens, ut etiam mulier illa, quæ iniquitatis non fuit particeps, quia invita, & renitens fuit tradita conſanguineo ſui primi mariti, non petat ab illo debitum conjugale, idóque propter publicam honeſtatem, id eſt, propter affinitatem inter ipſum, & primum virum per copulam carnalem conſanguinei ſui contractam, *Hoſtiens. hic, & cod.* ideóque ad hoc ſit monenda; non tamen eſt cogenda, ut hîc decidit. Ex quo patet, quòd etiam per illicitum, ſeu fornicarium concubitum inducitur affinitas, quantum ad impedimentum matrimoniale Canonicum inducendum, *Gl. hic. V. Nec affinitas, Hoſtiens, hic V. Iniquè contrahitur.*

§. III.

An impedimentum affinitatis dirimens matrimonium contractum probetur per aſſertionem unius, vel confeſsionem utriúſque conjugis?

XV. De hoc agitur inprimis in *c. De illo 3. h. t.* » Ubi habetur, quòd quidam aſſerebat, ſe cognoviſſe uxorem fratris ſui, anteqam ei matrimonio » jungeretur. Ad hoc reſpondet Pontifex Alex. III. » non debere permitti, ut hac occaſione matrimonium illud impetatur: niſi hoc publicum, & notorium faerit, aut idoneis teſtibus comprobatum. Ratio eſt, quia ſimplici aſſertioni unius non eſt credendum: ſed probatione opus eſt, *Gl. hic in caſu.*

Ubi notandum 1. Si unus ſolùm impedimentum dirimens ſubeſſe aſſerat, matrimonium ſeparari non debet. At verò ad impediendum matrimonium contrahendum plenè probat unus teſtis, eíque creditur alleganti impedimentum dirimens, *Gl. fin hic,* & DD. communiter; quia tunc de vitando peccato agitur, ne impediti, & inhabiles contra Eccleſiæ prohibitionem contrahendo peccent, *Sanch. libr. 1. de ſponſal. diſ. 71. n. 1.*

Notandum 2. Fornicatio poteſt dici notoria, ſine aliâ probatione, ut ſi Clericus publicè teneat in domo concubinam, vel fœminam ſuſpectam, Hoſtiens. *hic V. Notorium, & Abb. n. 3. & Alexand. de Nævo n. 4.*

XVI. Similiter in *c. Super eo. 5. h. t.* » Cùm quæſitum fuiſſet ex Papa Cæleſtino III. utrùm conjugatus, qui ante matrimonium contractum, uxoris » ſuæ conſanguineam carnaliter cognoverat, utroque, tam ipſo viro, quàm uxore id fatente, idemque parte aliqua vicinæ clamante, ſit ab uxore iudicio Eccleſiæ ſeparandus? Reſcribit Papa, quòd propter eorum confeſſionem tantùm, vel rumorem vicinæ, non ſunt ſeparandi, cùm aliquando nonnulli inter ſe contra matrimonium colludant, & ad confeſſionem inceſtûs facilè profiliterent, ſi per eorum confeſſionem crederent ſe ſeparandos. Rumor autem vicinæ non eſt tam validus, ut poſſit bene contractum matrimonium irritari, vel ſeparari: niſi rationabiles, & fide dignæ probationes accedant.

XVII. Notandum 1. Ad dirimendum matrimonium jam contractum non ſufficit ſola confeſſio conjugum, etiamſi ambo confiteantur contra matrimonium, ut in caſu hujus cap. & licèt ambo conjuges dicant affinitatem inter illos contractam eſſe, ante matrimonium, hoc non ſeparatur, vel dirimitur, quia non creditur viro, vel uxori, ſi confiteantur in præjudicium matrimonij; ſtatur autem confeſſioni eorum, ſi confiteantur pro matrimonio, *Gl. hic V. Confeſſionem.* Ratio autem, cur ſtetur confeſſioni conjugum, aſſerentium matrimonium eſſe contractum, juxta *cap. Atteſtationes 10. & ibi Gl. V. Evaſiſſe, de deſponſ. impub.* non autem ſtetur confeſſioni eorum contra matrimonium, ad illud diſſolvendum, vel ſeparandum; ratio, inquam, eſt, quia aſſertio conjugum, qui deponunt pro matrimonio, eſt valde favorabilis, & ipſis confitentibus, & toti Reipubl. cujus intereſt, matrimonium, ejúſque valorem defendi, ut liberis hominibus civitates repleantur, *l. 1. ff. Solut. matrim.* At verò confeſſio adverſus valorem matrimonij eſt valde odioſa, tum ob præſumptionem colluſionis conjugum, ut habetur in textu; tum quia confitentur in eâ re, in quâ contrahentes ſibi præjudicare nequeunt, cùm matrimonij diſſolutio non dependeat à poteſtate conjugum, quippe quod ratione Sacramenti eſt indiſſolubile; tum denique quia ejuſmodi confeſſio præjudicat proli, & aliis bonis matrimonij, *Molin. Juriſta* apud *Barbos. in Collect. in hoc c. n. 3.*

Notandum 2. Etiamſi ambo conjuges confiteantur, & aſſerant, affinitatem ex copulâ habitâ cum conſanguinea alterius inter ipſos contractam eſſe, ante matrimonium, non diſſolvitur, nec ſeparari poteſt matrimonium poſtea contractum, quia periculum eſt, ne fortè conjuges inter ſe colludant contra matrimonium, ut dicitur in textu, & hac ratione via aperiatur ad diſſolvendum matrimonium legitimè contractum, ſicut & aliàs colluſio prohibetur, *tot. tit. de collus. detec. Alex. de Nævo hic n. 6.* Non obſtat, quòd poſt confeſſionem in Jure, ſeu Judicio factam nihil quæratur ampliùs: ſed confeſsi pro judicatis habeantur, *l. Poſt rem 56. ff. de rejudic. junctâ l. Unic. C. de Confeſſ.* Nam hoc verum eſt in ijs, quæ ex confeſſione partium pendent, ac in libera eorum poteſtate ſunt. At verò diſſolutio matrimonij non dependet ab hominibus, ſed à DEO, quia quos DEUS conjunxit, homo ſeparate non poteſt, *c. Pen. cauſ. 33. q. 2. Abb. hic n. 2.*

XVIII. Notandum 3. Sed neque ex hujusmodi confeſſione amborum conjugum diſſolvi debet matrimonium, etiamſi rumor vicinæ id ipſum confirmet. Dicitur autem rumor vicinæ, quando pars aliqua,

Digitized by Google

aliqua, nempe tertia, vel quarta aliquid affirmat, in quo differt à famâ publicâ, quæ proptiè eſt, quando tota civitas, vel vicinia, aut major ejus pars aliquid evulgat, *Abb. hic n.* 3. Rumor autem eſt minus quid, quàm fama, & non eſt ſufficiens probatio, ſine teſtibus, *Gl. hic V. Confeſſionem in fine.*

Notandum 4. Confeſſioni conjugum, etiam amborum, non creditur, ſi fiat ea confeſſio adverſus aliud matrimonium, quod cum alteto eorum priùs initum aſſeritur, quia eorum teſtimonio in ſui commodum, & in propriâ causâ crederetur, & in alterius detrimentum, quod nullo jure eſt conceſſum, *Abb. in cit. c. Super eo. n.* 5. *in fine h. t. Menoch. de arbitr. Iudic. caſu* 103. *n.* 6.

Notandum 5. Cùm non de diſſolvendo matrimonio, quoad vinculum, agitur, ſed ſolùm de ſeparatione illius quoad torum; tunc creditur etiam unius tantùm conjugis aſſertioni contra ſeipſum, ut ſi mulier fateatur, ſe commiſiſſe adulterium; tunc creditur ejus confeſſioni contra ipſam, ut à viro ſeparetur quoad torum, *Abbas ſit. loc. & Menoch. c. l. num.* 7.

§. IV.

Vtrùm prædictum impedimentum affinitatis oriatur etiam ex copulâ carnali attentatâ cum puellâ impubere, & an etiam ex inceſtu cum cognatâ legali, aut ſpirituali, ac denique ad quem gradum extendatur hoc impedimentum affinitatis ortum ex illicitâ copulâ habitâ cum conſanguinea alterius coniugis?

XIX. De primâ quæſtione agitur in *c. Fraternitati 7. h. t.* Ubi Papa Innocentius III. approbat ſententiam divortii à quedam Archiepiſcopo Canonicè promulgatam in eum, qui quandam mulierem, cujus antea ſororem adhuc ſeptennem, contractis ſponſalibus, extraordinariâ libidine polluerat, poſtea ſibi copulare præſumpſit. Ratio eſt, quia licèt ex tali copula ſolùm attentata, ſive extraordinariâ pollutione facta cum puellâ ſeptennî, vel minore ſeptennio, non oriatur affinitas cum conſanguineis puellæ, quæ nonniſi ex perfectâ, & conſummatâ copulâ carnali contrahitur, per quam vir, & fœmina fiunt una caro; *c. Lex.* 18. *cauſ.* 27. *q.* 2. *& c. Extraordinaria.* 11. *junct. Gl. V. Eodem cauſ.* 35. *q.* 2. Oritur tamen ex tali copulâ attentatâ impedimentum dirimens matrimonium, poſtea cum conſanguineâ contractum, propter publicam honeſtatem provenientem ex ſponſalibus de futuro, quæ ibi præceſſerunt, *c. unic. de ſponſal. in 6. Sanch. libr. 7. de matrim. diſ.* 64. *n.* 19. Itaque ex ſponſalibus contractis cum puellâ ſeptenni, quæ nondum complevit ſeptennium, ſi interveniat etiam copula attentata, oritur publica honeſtas impediens, ac dirimens matrimonium contractum cum conſanguineâ ſponſæ, ergo à contrario ſenſu ſola ſponſalia absque attentatione, ſeu conatu ad copulam cum puella minore ſeptennio, vel ſola attentatio, ſeu niſus ad copulam, absque ſponſalibus, non inducit publicam honeſtatem, quæ eſt prima expoſitio hujus cap. quod alii ſic exponunt: copula carnalis habita cum puella ſeptenni, inducit affinitatem, quæ impedit, ac dirimit matrimonium poſtea contractum cum conſanguineâ ſponſæ, *Abb. hic, & Alex. de Nævo num.* 2. *&* 3. ſed prior intellectus videtur melior.

XX. Ad ſecundam quæſtionem reſpondetur. Ex inceſtu, cum cognatâ ſpirituali, vel legali, non oritur impedimentum dirimens matrimonium, nec impediens aliud matrimonium contrahere, quia copula inter cognatos ſpirituales tantùm, non eſt verè inceſtus, qui eſt conſanguineorum, & affinium conjunctio: At verò cognatio ſpiritualis non eſt dicenda conſanguinitas, ſed potiùs habenda ſpiritualis proximitas, ut dicitur in *c.* 1. *cauſ.* 30. *q.* 3. & nullo Jure probari poteſt, per talem copulam induci impedimentum ad contrahendum matrimonium, *Navarr. conſil. libr.* 4. *conſ.* 8. *h. t. n.* 6. *&* 8.

XXI. Ad tertiam quæſtionem dicendum eſt; Jure antiquo Canonico orta fuit affinitas ex copulâ illicitâ cum conſanguineis alterius conjugis, ſicut ex licitâ, *c. Diſcretionem. 6. h. t.* Ubi fit mentio copulæ cum conſanguineâ conjugis, non diſtinguendo gradum, ideóque DD. communiter apud *Sanch. libr. 7. de matrim. diſ.* 67. *n.* 3. metiuntur gradum affinitatis ortæ ex copulâ illicitâ, juxta gradum ortæ ex licitâ copulâ, & utramque affinitatem, ad eundem gradum, ſcilicet quartum, extendunt, juxta *c. Non debet. 8. de conſang. & affinit.* Ubi ex causâ affinitatis, non diſtinguendo inter ortam ex copulâ licitâ, vel illicitâ, ſtatuitur impedimentum uſque ad quartum gradum inclusivè.

Verùm hodie ex Decreto Concilii Tridentini *Seſſ.* 24. *c.* 4. *de reform. matrim.* reſtrictum eſt hoc impedimentum affinitatis ex fornicatione cum conſanguineis ad ſecundum gradum his verbis: S. Synodus impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, & matrimonium poſtea factum dirimit, ad eos tantùm, qui primo, & ſecundo gradu conjunguntur, reſtringit: in ulterioribus verò gradibus ſtatuit hujusmodi affinitatem matrimonium poſtea contractum non dirimere. Quare Concilium omnino ſuſtulit tertium, & quartum gradum affinitatis ortæ ex fornicatione, ita ut hodie ex copula fornicaria habita cum conſanguinea conjugis, ultra gradum ſecundum non oriatur affinitas, nec committatur inceſtus, ſed ſimplex fornicatio, ſi quis accedat ad conſanguineam intra tertium gradum ejus; qui priùs cum illa fornicatus fuit, *Sanch. cit. diſ.* 67. *n.* 7. *&* 8. V. g. ſi Titius fornicatus ſit cum Caja, poteſt validè inire matrimonium cum ejusdem conſanguinea in tertio gradu: imò etiam licitè, quia hæc affinitas ultra ſecundum gradum, nec dirimit, nec impedit, ſeu illicitum reddit matrimonium, ut declaravit Pius V. in Motu proprio edito anno 1566. qui incipit, *Ad Romanum*, *Sanch. c. l. n.* 4. Sed neque affinitas orta ex fornicatione dirimit, aut impedit ſponſalia de futuro ſubſequentia, vel præcedentia, ultra ſecundum gradum, quia ob eandem ra-

Digitized by Google

tionem, ob quam impedit matrimonium, impedit etiam ſponſalia, *Sanch. c. l. n. 4.*

XXII. Potro nomine fornicationis in hoc Decreto Tridentino intelligitur, non ſolùm ſimplex fornicatio, ſed genericè omnis illicitus concubitus, ut adulterium, ſtuprum, aut quivis alius, quia ratio, ob quam Concilium reſtrinxit hoc impedimentum, habet locum in omni fornicatione, ſeu luxuriæ ſpecie, quia ſcilicet ex ea non oritur aliquod amicitiæ vinculum inter affines, & ſæpiſſimè ignoratur, quia occultè contrahitur, ac proinde multa damna ex eo impedimento conſequuntur, niſi reſtringatur, *Sanch. c. l. n. 6.* Et hinc etiam affinitas orta ex matrimonio non eſt reſtricta ſolùm ad ſecundum gradum per Concilium Trident. ſed etiam hodie dirimit matrimonium uſque ad quartum gradum inclusivè, *c. Non debet. 8. tit. ſeq.* quia hæc reſtrictio ad ſecundum gradum in Decreto Concilii ſolùm eſt expreſſa de affinitate orta ex fornicatione, ergo non debet extendi ad affinitatem contractam ex copula conjugali, quia cùm vinculum matrimonii ſit fortius, non ſequitur, quòd reſtrictâ affinitate ex fornicatione, cenſeri etiam debeat reſtricta affinitas ex copulâ conjugali, *Sanch. c. l. n. 5.*

§. V.

Proponuntur, & explicantur reliqua Capitula huius Tituli.

In his capitulis repetuntur quædam, quæ jam antè a in hoc Titulo dicta ſunt: nam quia Papæ propoſiti ſunt plures diverſi caſus, ſed ſimiles; ideo de illis idem reſpondit: de connexis enim, ac ſimilibus idem eſt judicium habendum, & eadem eſt Juris diſpoſitio, & quod ſtatutum eſt de uno, cenſetur etiam ſtatutum de altero, *c. 3.* & ibi *Gl.* communiter recepta *V. Quod de uno, ſupr. de Conſtit.* ut mox oſtendetur.

XXIII. Itaque inprimis in *c. Ex litteris. 8. h. t.* deciditur, quòd affinitas orta ex copula illicita diſſolvit ſponſalia præcedentia, & privat facultate contrahendi aliud matrimonium, ut habetur in Summa » hujus cap. in quo talis caſus proponitur. Cùm » quidam G. nomine matrem cujusdam puellæ, » quam ſibi infra nubiles annos deſponſaverat in » uxorem, (fututam ſcilicet, ſeu ſponſam de futuro) carnaliter ſæpe cognoviſſet, ſicut & poſtea » ipſam puellam jam adultam: re hac delatâ ad Innocentium III. is mandat eidem viro injungi pœ» nitentiam, ob inceſtum commiſſum, eósque » (nempe virum, & puellam jam adultam) ab invi» cem ſeparati (ſi ita eſſe conſtiterit) ac prohibet, ne » muliet alteri viro nubat, ſi poſtquam ſcivit viri, » & matris delictum, ei carnaliter fuit commixta. » Inſuper prohibet Papa, ne vir ille, & mater mulie» ris unquam ad alias nuptias tranſeant, ſed ſemper » continentiam ſervare teneantur, & enotme delic» tum deflere, præſertim ſi circa perſonas hujus» modi nullum ſit periculum lapſûs carnis, ſeu for» nicationis; tunc enim cum eis diſpenſaretur. *Gl. fin. hic.*

XXIV. Pro explicatione hujus cap. notandum 1. hic textus duplicitet poteſt intelligi, ut notat *Abb. hic n. 2. & 3.* primò, quòd iſte vir ſibi deſponſavit dictam puellam per verba de futuro, ſive ſponſalia propriè dicta, quæ diſſoluta fuerunt propter affinitatem ſupervenientem per fornicationem commiſſam cum matre puellæ, & ita intelligit *Gl. hic.* Secundò poteſt intelligi, quòd vir iſte deſponſavit puellam in uxorem, id eſt, matrimonium contraxit cum illa per verba de præſenti: & tunc non poterat eſſe matrimonium inter eos, quia puella nondum erat nubilis, ſed ſolùm erant ſponſalia de futuro, ex interpretatione Jutis, juxta *cap. unic. de ſponſal. in 6.* & antequam puella perveniret ad legitimam ætatem, vir ille cognovit matrem illius; ideóque ſponſalia fuerunt diſſoluta propter ſupervenientem affinitatem ex fornicatione commiſſâ cum matre puellæ, *c. 2. h. t.* nec promiſſio matrimonii poterat adimpleri.

Notandum 2. hinc jam patet, quòd in caſu hujus cap. dictus vir, & mater puellæ non potuerint ampliùs contrahere matrimonium inter ſe: nam cum matre puellæ non potuit vir iſte inire matrimonium, tum propter publicam honeſtatem ortam ex ſponſalibus initis cum puella: tum maximè propter affinitatem contractam ex copula habita cum puella: ſed neque potuit vir iſte contrahere matrimonium cum puella, propter affinitatem contractam ab eo ob copulam habitam cum matre ejusdem puellæ: hæc verò potuit contrahere matrimonium cum alio extraneo, ſi non fuit particeps iniquitatis, quia ignoranter fornicata eſt cum iſto viro, neſciens, quòd priùs carnaliter cognoverit matrem ſuam: ſecus autem, ſi id ſcivit, ut habetur in textu, *Alex. de Nævo hic n. 6.* Sed neque vir iſte, & mater puellæ poterant ampliùs contrahere matrimonium cum alio extraneo, vel alia, propter commiſſum crimen inceſtûs: ſi tamen de facto contraherent matrimonium cum extraneis, hoc teneret, juxta *c. Transmiſſa. 4. h. t.* Ut in caſu hujus cap. vir iſte commiſit crimen inceſtûs, quia priùs cognovit matrem, & poſtea ejus filiam, quam deſponſaverat, *Abb. hic in fine, & Alex. de Nævo n. 5.*

Notandum 3. Etſi inceſtuoſus privetur facultate contrahendi aliud matrimonium; ſi tamen timeatur de incontinentia, ſeu lapſu carnis, ut quia juvenis eſt, poteſt cum eo diſpenſare Epiſcopus, ut poſſit contrahere matrimonium, ut habetur in fine hic, *c. In adoleſcentia. 14. cauſ. 33. q. 2. Alex. de Nævo hic num. 3.*

XXV. Præterea is, qui ſponſalia de futuro contraxit cum aliqua, & poſtea ſororem illius carnaliter cognovit, ab utraque abſtinere debet, prout ſtatuitur in *c. Veniens. 9. h. t.* ubi talis caſus proponitur. Quidam F. nomine, tempore infantiæ, quandam puellam ſe ducturum in uxorem juravit, quamprimùm illa ad legitimam ætatem pervenerit: quem pater puellæ recepit in domum ſuam, & nutrivit ſimul cum puella, confœderatione, ſeu promiſſione fidejuſſorum hinc inde præſtitâ: is poſtea ſorori puellæ ſe carnaliter conjunxit, & ab amicis perſuaſus, eam, quam juraverat (ſcilicet ſororem illius, quam jam cognoverat) in uxorem accepit (de facto, quia de jure non potuit, *Gl. hic V. eod.*) & poſtea opportunitate oblatâ, cognovit utramque (addens iniquitatem iniquitati, *Gl. hic V. Viram-*

Digitized by Google

» *V. Virumque.*) Verùm de hoc convinci non potuit » (per teſtes) nec ſuum voluit confiteri delictum. » Tandem cùm in ſe reverſus ſalutis conſilium quæ- » reret, (in foro pœnitentiali) conſultus Pontifex » mandat Epiſcopo, ut quia non ſolùm à malo, ſed » etiam ab omni ſpecie mali, juxta præceptum Apo- » ſtoli, eſt abſtinendum, injunctâ ei competenti » pœnitentiâ, moneat illum, & inducat, ut de cæ- » tero ab utraque abſtineat.

XXVI. Pro intellectu hujus cap. notandum 1. Habens copulam carnalem cum duabus ſororibus, neutram habere, & retinere poteſt, ut patet ex hoc cap. Non primam, cum qua contraxit priùs ſponſalia, propter affinitatem ſupervenientem ex copula habita cum illius ſorore, quæ diſſolvit ſponſalia, *c. Prox.* Neque ſecundam, cum quâ non contraxit ſponſalia, & quæ non habetur loco uxoris, propter impedimentum publicæ honeſtatis ortum ex ſponſalibus contractis cum prima, *Hoſtienſ. hic V. Carnaliter.*

Notandum 2. Diſpoſitio hujus cap. ut ad neutram ſororem accedat, procedit in judicio animæ, ſeu foro pœnitentiali: nam iſte verè fuit confeſſus crimen in foro pœnitentiali, unde Papa non mandavit eum puniri, ſed mandavit Epiſcopo, ut ei imponeret pœnitentiam in foro animæ, & moneret eum, ut deinceps abſtineret ab utraque ſorore: at verò in judicio, ſeu foro externo Eccleſiæ, ſi impedimentum ſit occultum, matrimonium in facie Eccleſiæ, ſeu publicè contractum ſeparari non poteſt, niſi aliter probetur: & præcipiatur ei, ut debitum reddat: quamvis in foro animæ reddere non poſſit, ſed potiùs excommunicationem ſuſtinere debeat, quàm ut reddat contra conſcientiam ſuam, *c. Inquiſitioni. 44. de ſent. excomm. Gl. hic in caſu, & V. Conſulas, & Alex. de Nævo ibid. n. 5. & 9.*

Notandum 3. Quod hîc dicitur in *princ.* aliquem, tempore infantiæ ſibi deſponsâſſe puellâ, id intelligi debet de puerili ætate, quæ incipit poſt ſeptennium completum, in qua fuerunt contracta ſponſalia cum illa puella, *Hoſtienſ. hic V. Infantiæ.* vel propriè de tempore infantiæ, quo ſponſalia hæc fuerunt contracta ante ſeptennium: & tunc dici debet, quòd licèt ab initio non tenuerint, tamen poſtea tractu temporis, & adveniente majore ætate fuerint ratificata, cùm iſte habitaret in domo ſponſæ, *Abb. hic in fine, & Alex. de Nævo ibid. n. 8.*

XXVII. Similiter in *c. Tuæ. 10. h. t.* ſtatuitur, per affinitatem ſupervenientem non diſſolvi matrimonium priùs contractum, impediri tamen petitionem debiti conjugalis. Nam cùm quidam contraxiſſet cum aliqua matrimonium, & poſt illud » contractum, & conſummatum, fornicatus eſſet » cum ſorore legitimæ ſuæ conjugis, quæſitum fuit » ex Papa Innocentio III. utrùm ille poſtea ſuæ uxori cohabitare, & exigere debitum poſſit, ac reddere requiſitus? Reſpondet Papa, uxorem monendam eſſe, ut à commixtione viri abſtineat, propter publicam honeſtatem, & in continentia vivat, ac maneat, donec vir mortuus fuerit. Si verò commonitioni huic parere recuſet, & talis ſit, » ut de lapſu ipſius (mulieris, vel etiam viri) timeatur ei poterit ipſe vir, ac debebit ei debitum » conjugale petenti reddere (ſed non exigere ab eâdem, *Gl. hic V. Solvere.*) quia affinitas poſt matrimonium iniquè contracta (per carnalem copulam habitam cum ſorore ſuæ uxoris) non debet » illi nocere, quæ iniquitatis particeps non exiſtit. » Concordat *c. Diſcretionem. 6.* quod explicatum eſt ſuprà *n. 12. & ſeqq. h. t.*

XXVIII. Notandum 1. Conjux propter inceſtum commiſſum cum conſanguineo, vel conſanguinea alterius conjugis, modò copula fuerit conſummata, ac perfecta, non poteſt exigere debitum; tenetur tamen reddere, ut docet *Sanch. l. 9. de matr. diſ. 27. n. 1.* & multi alii apud ipſum. Ratio eſt: quia affinitas ſuperveniens inter virum, & uxorem, poſt matrimonium contractum, etſi illud non diſſolvat: quia quod legitimè factum eſt, non irritatur, licèt res deveniat ad eum caſum, à quo non potuit incipere, *Gl. in c. Diſcretionem. 6. V. Officere. h. t.* privat tamen jure exigendi debitum alterum conjugem, qui in culpa fuit; attamen non liberatur ab obligatione reddendi debitum: quia innocens non debet privari jure ſuo, ſine culpâ: conſultum tamen eſt, ut de cætero uterque abſtineat à conſortio alterius, & contineat, *Ab. hic n. 2. & Alex. de Nævo n. 2.* Ex quo infert *Sanch. cit. diſ. 27. n. 9.* quòd peccet mortaliter hujusmodi inceſtuoſus, ſi absque diſpenſatione exigat debitum à conjuge inſonte, quia violat præceptum in re gravi.

Notandum 2. Quamvis in *c. Diſcretionem. 6. & in c. Tuæ. 10. h. t.* impedimentum, quod conſurgit ex copula carnali illicita, appelletur publica honeſtas, ut patet ex illis verbis ibi: *abſtineat propter publicam honeſtatem*; ideóque plures DD. aſſerant, ex copula illicita naturali non oriri affinitatem, ſed ſolùm ex copula licita, & conjugali: verius tamen eſt, etiam ex copula illicita, & inceſtuoſa oriri affinitatem, ut conſtat ex *Concil. Trident. Seſſ. 24. de reform. matrim. c. 4.* & ex hoc *c.* ubi hoc impedimentum appellatur publica honeſtas, id eſt, ut explicat *Gl.* ibi *V. Eodem.* affinitas, adeoque nomine publicæ honeſtatis hîc intelligitur affinitas orta ex illicita copula cum conſanguineo, vel conſanguinea uxoris ſuæ, ut explicatur ſtatim in ipſo textu hujus *c.* in fine, & docet *Sanch. l. 7. de matrim. diſ. 64. n. 16.*

Notandum 3. Quamvis ex illicita copula viri habitâ cum ſorore, vel alia conſanguinea uxoris, non oriatur impedimentum publicæ honeſtatis, ut dictum, ſed affinitatis: nam publica honeſtas propriè oritur ex contractu ſponſaliorum; vel matrimonii, *c. unic. de ſponſal. in 6.* honeſtum tamen eſt, id eſt, honeſtas poſtulat, ut uxor non conjungatur carnaliter nec commiſceatur cum viro, qui ſororem ſuam turpiter cognovit: & ſic etiam poteſt explicari, quod hîc dicitur publica honeſtate, ut notat *Abb. hic n. 3.*

XXIX. Sed jam hîc dubitatur, quoto gradu, ſive intra quem gradum conſanguinitatis, debeat perſona carnaliter cognita à conjuge eſſe conjuncta alteri conjugi, ut conjux, qui inceſtum commiſit, prohibeatur debitum exigere à conjuge. In qua re omnes conveniunt, hoc impedimentum, ſpectato Jure antiquo Canonico, extendi uſque ad quartum gradum conſanguinitatis: quia fundamentum hujus impedimenti eſt affinitas iniquè contracta ex eo inceſtu cum altero conjuge, *c. Diſcretionem. 6. & c. pen. h. t.*

pen. h. t. ibi: *cùm affinitas post matrimonium iniquè contracta illi nocere non debeat:* ac proinde ad eum conſanguinitatis gradum extendi debet, & non ultrà, ex quo oritur affinitas per copulam contracta, videlicet uſque ad quartum gradum incluſivè, juxta *c. Non debet. 8. tit. ſeq. Sanch. l. 9. de matrim. diſc. 27. n. 12.*

Verùm poſt Decretum Concilii Tridentini *Seſſ. 24. de reform. matr.* probabilius eſt, copulam habitam cum conſanguineis alterius conjugis non impedire petitionem debiti conjugalis, ultra ſecundum gradum: ſed quoad hoc etiam Jus antiquum correctum eſſe: quia impedimentum hoc, non ram ex inceſtu, quàm ex affinitate inde contractâ oritur: certum autem eſt, eum, qui inceſtum commiſit cum propriis conſanguineis, non prohiberi petere debitum à propria conjuge, idque non ob aliam rationem, quàm quia ex tali inceſtu non oritur affinitas, & conſequenter ceſſat etiam probibitio petendi debitum, *Sanch. c. l. n. 14.* Ubi addit, ita etiam declaraſſe S. Congregat. Concilii Decretum illud, quam declarationem ibidem refert.

XXX. Poſtremò ſimilis priori caſus propo-
» nitur in *c. Jordanæ. 11. & ult. h. t.* Nam laicus qui-
» dam Joannes nomine, cum quadam puella, Jor-
» dana nomine, necdum decenni, per verba de fu-
» turo contraxit (ſponſalia) eâque intra eundem
» annum carnaliter cognitâ, poſtea matrem ipſius
» ſibi matrimonialiter copulavit, & carnaliter ean-
» dem cognovit. Quare Jordana Pontifici Grego-
» rio IX. ſupplicavit, ut cùm continere nequeat,
» ſalubriter ſibi ſuper hoc providere dignetur, ne
» jure ſuo, ſine propria ſua culpa, fraudetur. Ad
» hoc reſpondet Pontifex, & mandat Epiſcopo
» Diœceſis, ut ſi ita ſe res habeat, utrumque ad per-
» petuam continentiam vovendam moneat, & in-
» ducat. Si verò induci nequeant, injunctâ Joan-
» ni competente pœnitentiâ propter commiſſum
» inceſtum, eum per Eccleſiaſticam Cenſuram com-
» pellat, ut eidem Jordanæ cohabiter, & conjugale
» debitum reddat, ſi exactum fuerit.

XXXI. Notandum 1. Sicut per affinitatem ſupervenientem non diſſolvitur matrimonium verum priùs contractum, ut ex ſuprà allatis Canonibus patet: ita nec diſſolvitur matrimonium præſumptum: nam iſta puella contraxit ſponſalia de futuro cum Joanne, quæ poſtea ab eodem carnaliter fuit cognita, & ſic ſponſalia illa per copulam poſtea habitam eum ſponſa Jure antiquo tranſierunt ex præſumptione Juris in verum matrimonium, juxta *c. Is qui. 30. de ſponſalib. Abb. hic n. 1. & Alex. de Nevo n. 1.* de quo dictum ſuprà *Tit. 1.*

Notandum 2. Ex copula carnali habita cum puella minore, ſeu impubere poteſt præſumi pubertas, & conſequenter etiam matrimonium de præſenti contractum, præſertim ſi malitia ſuppleat ætatem, ut in caſu hujus cap. quia puella, quæ nondum decimum ætatis ſuæ annum compleverat, carnaliter fuerat cognita à ſponſo; ideo præſumitur, ipſam jam maturam eſſe, & habilem ad contrahendum matrimonium, *Abb. hic n. 2. Alex. de Nevo n. 2.*

Notandum 3. In caſu hujus cap. vir privatur jure exigendi debitum ab uxore ſua, propter inceſtum commiſſum cum matre puellæ, quamvis reddere teneatur conjugi petenti. Quin imò honeſtum eſt, ac decens, ut ipſa etiam uxor non exigat debitum, propter affinitatem contractam cum marito; ideóque ambo conjuges ad perpetuam continentiam ſervandam induci debent: & ſi recuſent; tunc viro imponenda eſt pœnitentia, propter inceſtum commiſſum, & quidem major, quàm propter adulterium, quia inceſtus eſt gravius delictum, *Gl. hic V. Pœnitentiâ*, & compelli debet, ut uxori cohabitet, & debitum reddat, ut habetur in fine hujus cap. ſed exigere ipſe non poteſt, *Gl. fin. hic, Alex. de Nevo hic n. 4.* At verò uxor, cùm non fuerit particeps illius iniquitatis monenda eſt ad talem continentiam, & inducenda, ſed non cogenda, quia non debet privari jure ſuo, ſine culpa ſua, ut dicitur in *c. pen. h. t.*

TITULUS XIV.

DE CONSANGUINITATE, ET AFFINITATE.

Actum eſt in ſuperioribus Titulis de cognatione ſpirituali, & legali, ac de affinitate contracta ex copula illicita; ſequitur nunc, ut agatur de cognatione naturali, ſeu carnali; ideóque ſubjungitur hic Titulus de conſanguinitate, & affinitate licita, qui extat etiam in Clementinis.

SECTIO I.
DE CONSANGUINITATE.
§. I.
Quid ſit conſanguinitas, & quid linea, & gradus conſanguinitatis, & quomodo ſint computandi?

I.

ASSERTIO 1. Conſanguinitas communiter definitur à Theologis, & Juriſperitis: *Vinculum perſonarum, quæ ab eodem ſtipite, ſeu progenitore, eóque propinquo, per carnalem propagationem deſcendunt:* unde & propinquitas ſanguinis appellatur. Dicitur autem conſanguinitas, quaſi ſanguinis unitas, quia de communi ſanguine deſcendunt, prout habetur *cauſ. 35. q. 5.* in declarat. Arboris conſanguinitatis, quæ fundatur in naturali ejusdem ſanguinis communicatione, ita ut qui eo inter ſe conjunguntur, conſanguinei dicantur, *Sanch. l. 7. de matrim. diſc. 50. n. 1.* Requiritur autem ad conſanguinitatem, ut ab eodem ſtipite propinquo deſcendant: nam qui ab eodem communi ſtipite, ſeu progenitore remoto de-

Digitized by Google

to descendunt, consanguinei vocari non solent: quamvis enim virtus generativa primi parentis Adami in omnibus descendentibus, secundùm similitudinem specificam, seu humanam perseveret; non tamen secundùm similitudinem individualem, juxta quam parentes generant prolem sibi similem, quæ eorum imaginem, & complexionis, ac mortin effigiem refert: quæ virtus, quò magis à communi stipite, seu generante per succedentes generationes progreditur, eò magis similitudo, seu proportio sanguinis minuitur, ac deficit: alioquin omnes homines inter se consanguinei forent, quippe ab eodem parente Adamo descendentes. *Sanch. c. l. Laym. l. 5. tract. 10. p. 4. c. 4. n. 1.* Durat igitur cognatio inter eos omnes, qui secundùm commune hominum judicium, eundem sanguinem participant: quæ participatio ob diversam commixtionem, & distantiam à primo stipite deficit. *Coning disp. 32. de Sacram. dub. 1. n. 1.* Additur in definitione, *per carnalem propagationem*: alioquin Adam, & Eva fuissent consanguinei, quia Eva ex costa Adami formata fuit, *Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 6. §. 6. n. 3.* At inter Christum, & B. Virginem ejus Matrem vera fuit consanguinitas, quia ex sanguine Mariæ conceptum fuit, & formatum Corpus Christi, quæ subministravit conceptioni Christi totum illud, quod veræ matres naturales subministrant, *Sanch. cit. disp. 50. n. 1.*

Objicitur contra hanc definitionem, filios Adami verè fuisse ipsius consanguineos, licèt ab uno communi stipite per carnalem generationem non descenderint. Resp. propter hanc rationem quidam addiderunt huic definitioni hæc verba: *vel quarum* (personarum) *una ab altera descendit*; ut comprehendantur etiam filii Adami: quamvis dici possit, hìc definiri à Doctoribus consanguinitatem, prout hodie in usu est, *Laym. c. l.*

II. Ubi præterea notandum, quòd consanguinitas dupliciter in Jure accipitur. 1. Strictè, & civiliter, prout comprehendit tantùm fratres ex eodem patre genitos, vel eos tantùm, qui per masculinam lineam, seu per virilis sexûs cognationem sunt conjuncti, & Agnati vocantur, sive mares sint, sive fœminæ, videlicet Titius, & filii, ac filiæ ejus, & germani fratres, fratrúmq; filii, ac filiæ agnati dicuntur. 2. Accipitur consanguinitas latè, ac naturaliter, non tantùm pro iis, qui ex patre patris, sive per masculinam lineam sunt conjuncti, sed etiam pro iis, qui ex parte matris, sive per maternam lineam conjunguntur, & cognati dicuntur, ita ut tam agnati, quàm cognati, & omnes descendentes, sive à maribus, sive à fœminis comprehendantur, quæ est naturalis, ac propria significatio hujus loci, & in Jure Canonico usurpata, de quibus videri potest *l. 10. ff. De gradibus. Covarr. c. l. n. 2. Barbos. in Collect. h. t. in princ. num. 7.*

III. Assertio 2. *Linea consanguinitatis est ordinata series seu connexio personarum sanguine junctarum, quæ ab eodem stipite descendunt gradus continens, & cognationes distinguens.* Dicitur autem stipes illa persona, à qua omnes personæ, de quarum conjunctione quæritur, descendunt, & originem ducunt. Est autem triplex Linea, una ascendens, sive superior, in qua continentur omnes illæ personæ, à quibus aliæ originem ducunt, ut pater, avus, proavus, & aliæ personæ ascendentes in infinitum. Altera est linea descendens, quæ etiam inferior appellatur, in qua continentur illæ personæ, quæ ab ascendentibus originem duxerunt, ut sunt filii, nepotes, pronepotes, & omnes cæteri descendentes in infinitum, & hæ duæ lineæ vocantur lineæ rectæ. Tertia est linea ex transverso, sive collateralis, quæ completitur illas personas, quæ à latere sunt conjunctæ, quarum scilicet neutra, vel nulla ab altera, sed utraque, aut omnes ab uno alio principio originem ducunt, five ab uno stipite progenitæ sunt, ut fratres, ac sorores, eorúmque filii, patruus, & amita, patrueles, & consobrini, & reliqui transversales, *Laym. cit. c. 4. n. 3.* Et hæc linea transversalis rursus dividitur in æqualem, & inæqualem. Linea æqualis dicitur, quando illi, de quorum consanguinitate quæritur, æquali, seu pari gradu distant à communi stipite: veluti duo fratres; uterque enim pariter distat à communi stipite, scilicet à patre, uno gradu. Linea inæqualis dicitur, quando personæ, de quarum consanguinitate quæritur, non pariter distant à communi stipite, sed una persona aliam gradu præcedit: sic frater, & filius fratris distant à communi stipite, scilicet patre inæqualiter, frater quidem uno gradu: filius verò fratris est patri conjunctus in secundo gradu; adeoque sunt in linea inæquali, *Schneidewv. Instit. de nupt. de arbore consanguinitatis, §. Quotuplex est linea?*

Gradus consanguinitatis definitur, *distantia unius personæ ab altera in eâdem linea consanguinitatis, qua cognoscitur, quæ persona sit stipiti propior.* Et dicti sunt gradus ad similitudinem scalarum, quas ita ingredimur, ut à gradu ad gradum proximum transeamus, *Laym. c. l. num. 3. Schneidewv. c. l. §. Quid est gradus?*

IV. Assertio 3. Ad computandos, & dignoscendos consanguinitatis gradus tres communiter assignati solent regulæ. Prima est, pro linea recta ascendentium, & descendentium, quæ tam Jure Canonico, quàm Civili est recepta: *Tot sunt gradus in linea recta descendente, vel ascendente, quot sunt personæ, una demptâ*: nempe communi stipite, à quo prima origo ducitur. Unde pater, & filius in primo gradu juncti sunt, avus, & nepos in secundo gradu, proavus, & pronepos in tertio, abavus, & abnepos in quarto gradu, & sic deinceps. Ratio hujus regulæ est, quia pater, secundùm se, non constituit gradum, sed in ordine ad filium, qui ab ipso descendit; ergo pater cum filio constituit primum gradum: & præterea ipse filius cum filio à se genito constituit alterum gradum. Quare inter has tres personas, videlicet avum, patrem, & nepotem dantur duo tantùm gradus, & consequenter in hac linea computandi sunt tot gradus, quot sunt personæ, quæ à se invicem procedunt, unâ demptâ. *Sanch. cit. disp. 50. n. 4*

V. Secunda regula pro linea transversa æquali, in qua personæ junctæ æqualiter distant à communi stipite, est, *quot gradibus personæ singulæ distant à communi stipite, totidem distant inter se.* Quare quia duo fratres, vel sorores uno solùm gradu, in linea recta, distant à communi stipite, ideo etiam ipsi inter se uno tantùm gradu distant in linea transversa: patrueles verò, & consobrini, hoc est, duorum fratrum, vel sororum filii, vel filiæ, quia in recta linea, à communi

muni ſtipite. hoc eſt, avo, & avia, duobus gradibus diſtant: ideo ſunt in ſecundo gradu lineæ transverſæ. Similiter filii, & filiæ patruelium, & conſobrinorum ſunt in tertio gradu juncti in linea transverſa, quia in linea recta tribus gradibus diſtant à communi ipſorum ſtipite, nempe proavo, & proavia. Nepotes verò eorum ſunt in quarto gradu inter ſe juncti, quia in linea recta quatuor gradibus diſtant à communi ſuo ſtipite, nempe abavo, & abavia, & ſic deinceps in reliquis deſcendentibus. Ratio autem eſt, quia cùm tota, & adæquata ratio conjunctionis horum ſit unio cum ſtipite communi, jure merito computantur gradus, juxta diſtantiam ab illo, nec poſſunt magis, vel minùs diſtare inter ſe, quàm à ſtipite, *Sanch. cit. diſ.* 50. *n.* 5. quæ regula tradirur in *c. Ad Sedem.* 2. qui eſt Papæ Alexandri II. & *c. Parentelæ.* 4. qui eſt Papæ Zachariæ, *cauſ.* 35. *q.* 5.

VI. Tertia regula pro linea transverſa inæquali, inter perſonas, quæ inæqualiter diſtant à communi ſtipite, hæc Jure Canonico eſt recepta: *quot gradibus perſona, quæ remotior eſt, diſtat à communi ſtipite, totidem gradibus quoque, ſive eodem gradu diſtant inter ſe:* idque ſumitur ex *c. ult. h. t.* Unde patruus, vel amita, id eſt, frater, vel ſoror patris ſunt in ſecundo gradu conſanguinitatis cum liberis fratris ſui: & avunculus, vel matertera, hoc eſt, frater, vel ſoror mattis in ſecundo gradu cum liberis ſororis ſuæ: nam quia nepotes hi ex fratre, vel ſorore diſtant in linea recta duobus gradibus à communi ſtipite, nempe ab avo ſuo, cujus filius fuit eorum patruus, vel filia eorum amita: vel ab avia, cujus filius fuit avunculus, vel filia matertera; ideo ipſi non minùs, quàm duobus gradibus diſtant à patruo, vel amita, avunculo, vel matertera.

VII. Cæterùm hæc procedunt ſecundùm Jus Canonicum: at verò ſecundùm Jus Civile, in linea collaterali æquali, & inæquali, tot cenſentur eſſe gradus, quot ſunt perſonæ, ſtipite dempto, ſive quot ſunt perſonæ collaterales: quâ ratione duo fratres ſunt in ſecundo gradu, quia ſunt duæ perſonæ collaterales: nam pater, qui eſt in linea recta, & communis ſtipes utriúsque, non computatur: patruus, & filius fratris ſunt in tertio gradu, quia ſunt tres perſonæ collaterales, nimirum duo fratres, & filius fratris: filii verò fratrum ſunt in quarto gradu, quia ſunt quatuor perſonæ collaterales, ſcilicet duo fratres, & duo patrueles, prout habetur in *c. Ad Sedem.* 2. *cauſ.* 35. *q.* 5. Eſt autem computatio graduum Juris Canonici ſervanda, quod matrimonium, de quibus Jus Civile nihil diſponete poteſt: quoad hæreditarias verò ſucceſſiones ſervati debet computatio Juris Civilis, tam in foro ſæculari, quàm Eccleſiaſtico, cujus eſt de hæreditatibus diſponete, & de hac computatione graduum dictum eſt ſuprà *libr.* 3. *Tit.* 27. *ſec.* 1. §. 1. Sed in aliis contractibus, aliiſque actibus ſimilibus, qualibet computatio ſervanda eſt in ſuo foro, Civilis in foro ſæculari, Canonica in foro Eccleſiaſtico, *Sanch. cit. diſ.* 50. *num.* 8.

* * *

§. II.

Quinam gradus conſanguinitatis, & quo Jure matrimonium dirimant?

VIII. Assertio 1. Matrimonium in primo gradu lineæ rectæ, ſcilicet inter patrem, & filiam, matrem, & filium Jure naturæ irritum eſt, & per conſequens etiam indiſpenſabile ab Eccleſia. Eſt communis omnium DD. ſententia apud *Sanch. l.* 7. *de matr. diſ.* 51. *n.* 7. Ratio eſt: quia carnaliter commiſceri parentes cum libetis, ſecundùm ſe, & ex rei natura fœdum eſt, ac illicitum: ergo matrimonium, per quod jus, & poteſtas traditur talis copulæ carnalis, Jure naturæ non ſolùm illicitum, ſed etiam nullum eſt, ac invalidum; adeoque DEVM ejus contrahendi poteſtatem conceſſiſſe cenſeri non poteſt. Antecedens patet, tum ex naturali inſtinctu non ſolùm omnium gentium, quæ bene inſtitutæ ſunt: ſed etiam quorundam animalium, quæ à tali concubitu abhorrent. Tum quòd nimia familiaritas, patitas, & turpitudo, quæ reperitur in actu conjugali, naturaliter repugnat reverentiæ, & ſubmiſſioni à filiis parentibus debitæ. Conſeq. prob. quia nemo poteſt, nec validè quidem ſe obligare, & tradere divitionem corporis ſui ad id, quod ex natura rei eſt turpe, ac illicitum, & peccato obnoxium. Eſt tamen probabile, hoc non eſſe ita intrinſecè malum, & naturæ repugnare, quin ſaltem in unico caſu publicæ neceſſitatis conſervandi genus humanum, deficientibus omnibus aliis hominibus, ſi ſupereſſet ſolus pater, & filia, vel filius, & mater, cohonestari poſſet tale matrimonium; adeoque & DEVS in eo diſpenſare poſſet, reddendo in ordine ad actum conjugalem tantùm filiam patri æqualem, ob bonum publicum, & commune, cui meritò jus reverentiæ patri debitum, quippe privatum, cederet, *Sanch. cit. diſ.* 51. *n.* 10. *Laym. l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 6. *n.* 1. Nec obſtat, quòd obligatus ſimplici voto caſtitatis illicitè contrahit matrimonium, ſed validè. Nam tale matrimonium ideo eſt validum, quia copula carnalis inter tales perſonas non eſt ſecundùm ſe turpis, & illicita, ſed ſolùm peraccidens ratione voti: copula autem inter conſanguineos primi gradûs eſt ſecundùm ſe ſemper turpis, & illicita, præter caſum ſuprà allatum, *Laym. c. l.* contra *Coning diſ.* 32. *de Sacram. dub.* 1. *num.* 5.

IX. Assertio 2. Probabilius eſt, matrimonium, etiam in ſecundo, imò etiam quovis ulteriore gradu in linea recta, eſſe ipſo jure naturali irritum, ac proinde matrimonium inter aſcendentes, & deſcendentes, in linea recta, non tantùm uſque ad quartum gradum, ſed in infinitum eſſe invalidum, videlicet avi cum nepte ſua, proavi cum pronepte, item aviæ cum nepote, proaviæ cum pronepote, & ſic deinceps, *Coning cit. diſ.* 32. *n.* 16. *Laym. cit. c.* 6. *n.* 2. & alii apud *Sanch. cit. diſ.* 51. *n.* 12. Ex quo infertur, ſi hodie Adam reſurgerer, non poſſet ullam in uxorem ducere, quippe cùm ſit communis totius generis humani parens: licèt contrarium teneant *Sanch. & Tanner.* Sed probatur, quia ita expreſsè decidituir in *l. Nuptiæ.* §3. *ff. de ritu nupt.* ubi dicitur: nuptiæ conſiſtere

Digitized by Google

ſiſtere non poſſunt inter eas perſonas, quæ in numero parentum, liberorúmve ſunt, ſive proximi, ſive ulteriores ſint. Et *l. uls. ff. eodem.* Jure gentium inceſtum committit, qui ex gradu aſcendentium, vel deſcendentium uxorem duxerit. *& §. Ergo non omnes Inſtit. eod.* quæ leges cùm per Jus Canonicum non ſint correctæ (Nam *cap. Non debet. 8. h.t.* non loquitur de gradibus linex rectæ, ſed tranſverſæ ſolùm) merito ſervandæ ſunt etiam in foro Eccleſiaſtico. Ratio eſt: quia omnes aſcendentes ſunt, & dicuntur verè parentes, & majores, à quibus deſcendentes, non tantùm peraccidens, ſed per ſe dependent, tanquam à principiis generationis ſuæ, cùm cauſa cauſæ ſit etiam cauſa cauſati: & non minùs, naturaliter loquendo, impoſſibile eſt, aliquem eſſe ſine generatione avi, quàm ſine generatione patris: conſequenter nepotes avis ſuis, aliiſque Majoribus aſcendentibus, naturali jure, debent non minorem reverentiam, & ſubmiſſionem, quàm patentibus ſuis: hnic autem adverſatur turpitudo reperta in copula conjugali, ut ſuprà dictum. Hinc etiam apud omnes gentes bene moratas, & inſtitutas talia matrimonia fuerunt abominanda. Nec refert, quòd participatio ſanguinis communicata à virtute generante communis ſtipitis, ſit minor in remotioribus deſcendentibus, ac tandem omnino extinguatur, & deſinant eſſe conſanguinei. Nam hìc non tantùm ſpectatur major, vel minor participatio ſanguinis (ſicut ſit in linea transverſa) quàm ratio principii, cui per ſe reverentia debetur: omnes autem aſcendentes naturaliter, & per ſe ſunt principium neceſſarium deſcendentium, *Coning c. l. n. 18.*

X. Assertio 3. Probabilius eſt, etiam in primo gradu conſanguinitatis linex tranſverſæ, videlicet inter fratres, & ſorores matrimonium jure naturæ eſſe irritum, quamvis etiam oppoſita ſententia ſit probabilis. Prior ſententia eſt communior, quam tenet *Sanch. l. 7. de matrim. diſ. 52. n. 11.* & alii apud ipſum. Probatur 1. quia in *c. Gaudemus. 8 de divort.* videtur innui, infideles ad fidem converſos ſeparandos eſſe, ſi conjuncti in primo gradu conſanguinitatis etiam linex tranſverſæ, tempore infidelitatis, matrimonium inierunt, quia ibi dicitur, non eſſe ſeparandos, quando ſunt conjuncti in ſecundo, vel aliis ulterioribus gradibus conſanguinitatis: ergo à contrario ſenſu, quando ſunt conjuncti in primo gradu, ſunt ſeparandi, quia is gradus jure naturali matrimonium irritat: quamvis hoc argumentum, quippe deſumptum ab auctoritate negativa, non convincat. Probatur 2. quia plerxque etiam gentes tale matrimonium ſunt deteſtatæ, teſte Ariſtotele *l. 2. Politic. c. 2.* & quæ illud permittebant, graviter fuerunt reprehenſæ, & notatæ tanquam barbaræ, ut refert S. Auguſtinus *l. 22. contra Fauſt. c. 55.* Ratio eſt, quia inter fratres, & ſorores eſt naturalis quidam pudor, ac reverentia, cui valde repugnat actus conjugalis, per quem turpitudo alterius revelatur. Unde *Gen. c. 20.* ex eo, quòd Sara dicta eſt ſoror Abrahami, Pharao putavit non eſſe uxorem ipſius: & quia tunc nulla adhuc exiſtebat lex poſitiva, quæ prohiberet tale matrimonium, ſequitur ipſo lumine naturali tunc notum fuiſſe, inter fratrem, & ſororem non poſſe matrimonium conſiſtere: ideóque etiam Abraham ad amoliendam à ſe ſuſpicionem conjugii apud Ægyptios, putavit ſatis eſſe, ſi diceret, Saram eſſe ſororem ſuam, *Exod. c. 12.* Confirmatur: quia cùm fratres, & ſorores ab incunabilis ſimul habitent, valde inflammarentur ad concubitum, niſi perſuaſum haberent, conjugia ſibi prohibita eſſe ab Auctore naturæ. Excipitur tamen caſus neceſſitatis, qualis fuit inter filios, & filias Adæ in exordio mundi ad propagandum genus humanum. Et quamvis ſibi invicem fratres, & ſorores non debeant tantam teverentiam, quantam patri, & matri, inde tamen non ſequitur, poſſe inter illos matrimonium ſubſiſtere: ſed ſolùm non ita ſtrictè inter illos jure naturæ prohibitum eſſe matrimonium, ſicut inter parentes, & liberos. Denique Eccleſia nunquam in hoc gradu diſpenſavit, etſi aliquando fuerit petitum à Pontifice, *Sanch. c. l.*

XI. Oppoſita tamen ſententia eſt etiam probabilis, nempe quamvis matrimonium ejusmodi inter fratres, & ſorores initum ex ſe ſit illicitum, & indecens, ac proinde jure naturæ prohibitum: non tamen ita, ut etiam eodem jure ſit irritum, in quam magis inclinat *Coning cit. diſ. 52. n. 19.* Ratio eſt: tum quia fratres, & ſorores non habent immediatam inter ſe conjunctionem ſanguinis, & reverentiam, ſed tantùm ratione parentum, quæ non ita videtur repugnare matrimonio, ut illud irriteat: tum quia videtur credibile, DEVM talia matrimonia tanquam valida permiſiſſe: præſertim cùm facilè fieri potuerit, ut cùm in exordio mundi, ob neceſſitatem humani generis propagandi, fratres, & ſorores inter ſe matrimonium contraherent, etiam poſtea eodem propagato, talis conſuetudo apud gentes quaſdam permaneret. Addit tamen *Coning c. l.* apud omnes ferè gentes hoc matrimonium ſemper jure poſitivo fuiſſe irritum,

XII. Assertio 4. In ſecundo gradu conſanguinitatis linex transverſæ, & multò magis in reliquis ulterioribus gradibus matrimonium non eſt jure naturali irritum, *Sanch. cit. diſ. 52. n. 11.* & alii ex communiore ſententia. Probatur, quia in *cit. c. Gaudemus. 8. de divort.* deciditur, infideles ad fidem converſos, ſi in ſecundo, vel ulterioribus gradibus linex obliquæ matrimonium contraxerint, ſeparandos non eſſe, cùm Conſtitutionibus Canonicis non arctentur: at ſeparandi eſſent, ſi matrimonium in his gradibus eſſet contra Jus naturæ, cui infideles ſubjiciuntur. Conſtat etiam, ſanctos viros in Veteri Teſtamento in his gradibus matrimonium iniſſe; ſic enim Abraham duxit in uxorem Saram filiam fratris ſui Aram, *Gen. c. 11.* & Iſaac Rebeccam conſobrinam ſuam. Denique videmus, S. Pontificem paſſim diſpenſare in gradibus linex obliquæ æqualis, & inæqualis, quia inter conſanguineos in ulterioribus gradibus non eſt tanta familiaritas, & reverentia.

XIII. Assertio 5. Etſi olim Jure Eccleſiaſtico matrimonium inter conſanguineos in linea transverſa irritum fuit uſque ad ſeptimum conſanguinitatis gradum incluſivè, ut conſtat ex *c. Ad Sedem. 2, cauſ. 35. q. 5. c. Nullum. 7. c. De conſanguinitate. 17. c. Nulli. 19. cauſ. 35. q. 3.* Poſtmodum autem in Concilio Generali Lateranenſi ſub Innocentio III. reſtricta fuit prohibitio graduum conſanguinitatis, & affinitatis uſque ad quartum gradum incluſivè,

Digitized by Google

cluſivè, ut conſtat ex *c. Non debet. 8. h. t.* Ubi idem » Pontifex inprimis ait : Cùm non debeat repre- » henſibile judicari, ſecundùm varietatem tempo- » rum, ſtatuta humana quandoque variari, ſi urgens » neceſſitas, vel evidens utilitas id expoſcat, quia ipſe » DEVS, quæ in Veteri Teſtamento ſtatuerat, poſt- » ea nonnulla mutavit in Novo : ideo idem Papa prohibitiones de conjugio in ſecundo, & tertio genere affinitatis minimè contrahendo, & ne ſo- » boles ex ſecundis nuptiis ſuſcepta copuletur cum » conſanguinei prioris viri, & Conſtitutiones ſu- » per his editas, ſacro approbante Concilio, revo- » cat, quia difficultatem frequenter inducebant, » & pericula animarum parabant: & decernit, ut ſic » contrahentes de cætero liberè copulentur, cùm » ceſſante prohibitione, ceſſet effectus. Deinde ſta- » tuit, ne prohibitio copulæ conjugalis ultra quar- » tum conſanguinitatis, aut affinitatis gradum de- » inceps excedat, quia in ulterioribus gradibus, jam » non poteſt huiuſmodi prohibitio, abſque gravi » diſpendio, generaliter obſervari: quaternarius e- » nim numerus bene convenit prohibitioni corpo- » ralis conjugii, cùm vir non habeat poteſtatem ſui » corporis, ſed mulier, & è converſo; quia quatuor » humores ſunt in corpore humano, quod conſtat » ex quatuor elementis, *cit. c. Non debet.* §. *Prohibi- » tio.* Denique in fine præcipitur, ut hæc prohibi- » tio graduum uſque ad quartum gradum ſit perpe- » tua, ita ut ſi quis contra illam præſumpſerit co- » pulati, nulla unquam annorum longinquitate de- » fendatur; cùm diuturnitas temporis peccatum » non minuat, ſed augeat, non obſtantibus quoque » quibuſvis Conſtitutionibus contrariis.

XIV. Pro declaratione hujus celebris cap. notandum 1. Leges humanæ, ob cauſam publicæ neceſſitatis, vel utilitatis, rectè mutari poſſunt, quia fieri poteſt, ut lex, quæ nunc eſt juſta, mutato rerum ſtatu, fiat iniqua, quippe quæ præſenti Reipubl. ſtatui minimè conveniat, imò perniciosa, & gravis ſit; lex enim tempori conveniens eſſe debet, *c. Erit autem. 2. diſ. 4. Covarr. in c. Alma p. 2. in princ. n. 2. Sayrus in Clavi Regia l. 3. c. 10. n. ult.*

Notandum 2. Olim erant tria genera affinitatis, primum, ſecundum, & tertium, quorum duo poſteriora jam ſunt ſublata per hoc cap. de quibus infrà. Similiter ſublata eſt in hoc cap. prohibitio, ut nullus ex conſanguineis viri præmortui poſſet matrimonium contrahere cum prole ex ſecundo viro per mulierem ſuſcepta: & è converſo, nullus ex conſanguineis uxoris præmortuæ poſſet matrimonium inire cum prole ſuſcepta ex ſecundis nuptiis. Ratio eſt : quia huiuſmodi prohibitiones erant inductæ magis propter publicæ honeſtatis juſtitiam, quàm propter affinitatem; quia vera affinitas in his defecit, *Gl. hic V. Secundis nuptiis.*

XV. Notandum 3. Prohibitio mattimonii inter conſanguineos, quæ olim extendebatur ad ſeptimum gradum in linea transverſali æquali, vel inæquali, poſtea reſtricta fuit ad quartum uſque gradum conſanguinitatis, & affinitatis incluſivè, *cit. c. Non debet.* §. *Prohibitio quoque.* Ratio autem, cur Eccleſia matrimonium inter conſanguineos, & affines, ad certum uſque gradum prohibuerit, ſumitur, tum ex reverentia, quam cognati ſibi invicem debent ob ſanguinis communionem, & originem tractam ab eodem ſtipite, ſeu progenitore, cui reverentiæ valdè detrahit actus conjugalis, quia turpitudinem quandam continet ipſi contrariam, quam rationem tradit *S. Thom. 2. 2. q. 154. art. 9. in Corp.* Tum quia hujuſmodi prohibitio facit ad dilatandam amicitiam in genere humano, dum ineuntur matrimonia cum extraneis: indéque Communitas Reipubl. & ſocietas hominum magis coalescit. Tum denique, quia cùm inter conſanguineos, & affines magna intercedat familiaritas, frequenter inter eos periclitaretur pudicitia, ſi licitum eſſet iis matrimonium inter ſe contrahere, *Coning diſ. 32. de Sacram. n. 3. Sanch. l. 7. de matrim. diſ. 53. n. 3.*

XVI. Meritò autem Eccleſia prohibitionem illam matrimonii inter conſanguineos, & affines reſtrinxit ad quartum gradum, ſecundùm computationem Canonicam, quia, ut dicitur in *cit. c. Non debet*, in ulteriotibus gradibus jam non poterat abſque gravi diſpendio, hujuſmodi prohibitio generaliter obſervari, cùm ſæpe difficulter poſſit ſciri, quinam quinto, ſexto, aut ſeptimo gradu juncti ſint, eò quòd tam remotam cognationem homines non ſoleant ita computare, imò etiam vix æſtimare; ideóque facilè incognita maneat. Accedit, quòd etiam ipſa realis participatio, ſeu communicatio ejuſdem ſanguinis ex primo communi ſtipite traducta, vix ultra quartam generationem perdurat, ob perpetuam humani corporis reſolutionem, & commixtionem cum alio ſanguine, *Tanner. tom. 4. diſ. 8. de matrim. q. 4. dub. 4. n. 52.* Neque verò ratio poſita in *cit. c. Non debet.* ob quam reſtrictio iſta ad quartum gradum facta eſt, quia ſcilicet *Corpus humanum ex quatuor humoribus, & Elementis conſtat*, eſt puerilis, & ridicula, ut nugantur hæretici. Nam prætet quam quòd illa ratio non ſit præcipua, nec principalis illius reſtrictionis graduum, ſed ſolùm quædam ratio congruentiæ : non tamen eſt inepta, aut ridicula, ſed planè phyſica : quia cùm corpus humanum ex quatuor elementis, adeoque etiam ex quatuor humoribus, calore, & ficcitate, frigore, & humiditate conſtet, colligitur probabiliter, ob continuum eorum inter ſe conflictum, vim ejuſdem ſanguinis à primo ſtipite tracti, ultra quartum gradum deficere, ut bene explicat *Sanch. cit. diſ. 53. n. 6.*

XVII. Ex dictis infertur, ſi duo conſanguinei inæqualiter diſtent à communi ſtipite, ita ut unus diſtet ultra quartum gradum, alter verò intra illum; tunc poſſunt inter ſe matrimonium contrahere, prout expreſsè habetur in *c. Vir, qui. 9. & ult. h. t.* Ubi Gregorius IX. ita reſcribit : Vir, qui à ſtipite di- » ſtat quarto gradu (ſcilicet ex uno latere) & mulier, » quæ ex alio latere diſtat à ſtipite quinto gradu, ſe- » cundùm regulam approbatam, quâ dicitur : *quoto » gradu remotior diſtat à ſtipite, & à quolibet per aliam » lineam deſcendentium ab eodem, licitè poſſunt matrimo- » nialiter copulari.* Ratio eſt : quia hic attenditur gradus conſanguinitatis penes diſtantiam remotioris à ſtipite, ſive computatio ſit à remotiore : cùm ergo remotior à ſtipite diſtet ultra quartum gradum, ſive in quinto gradu, ſequitur nullam eſſe prohibitionem matrimonii inter illos, juxta *c. Non debet. 8. h. t. Sanch. cit. diſ. 53. n. 4.*

Id verò procedit, etiamſi alter conſanguineus diſtet in

Digitized by Google

stet in primo, vel ulteriore gradu à communi stipite, quia nihilominus cum distante in quinto, vel ulteriore gradu validè contrahet matrimonium, licèt aliqui contrarium dicant; vera tamen est hæc opinio, quam tenet *Sanch. cit. disp.* 53. *n.* 5. & alii apud ipsum. Et est communissima sententia. V. g. abnepos, sive quartus nepos distat ab atavo, sive quarto avo in quinto consanguinitatis gradu; is tamen poterit matrimonium inire cum filia atavi, sive quarti avi, quæ ipsi conjuncta est in primo gradu, quia ultra quartum consanguinitatis gradum, nimirum in quinto sunt conjuncti. Porro personæ existentes in gradu æquali lineæ collateralis dicuntur existere in eodem gradu, non autem distare, *Alex. de Nævo hîc in fine.*

XVIII. Assertio 6. Falsum est, & erroneum, omnes gradus consanguinitatis, aut affinitatis expressos *c.* 18. *Levit.* esse prohibitos lege naturali, & Divinâ, ita ut in nullo eorum Pontifex dispensare possit, ut definivit *Concil. Trident. Sess.* 24. *can.* 3. *de matrim.* contra Novatores hujus temporis, & ratio est: quia Leges Mosaicæ cæremoniales, & judiciales per Christum sunt abrogatæ, & Christianos per se non obligant, *Tanner. tom.* 4. *disp.* 8. *q.* 4. *dub.* 4. *n.* 48. & 49.

XIX. Prædictis addendum, quod circa computationem graduum consanguinitatis statuitur in » *c. Tua nos.* 7. *h. t.* Nam cùm quæsitum fuisset ex » Papa Innocentio III. utrùm ad ditimendum ma- » trimonium, propter consanguinitatem, sufficiat » illorum testimonium, qui gradus consanguinita- » tis incipiunt computare ab avunculo, & nepote, » videlicet fratris filio, vel sororis? Respondet Pon- » tifex, cùm matrimonium sit valde favorabile, te- » stes ad celebrandum divortium producti, debent » incipere computationem graduum consanguini- » tatis à stipite, id est, à parentibus, vel germanis » fratribus: & sic per ordinem distinguere gradus, » nominibus propriis, vel æquipollentibus indiciis, » designando personas ex utroque latere: quia cùm » sæpe perhibeant testimonium de auditu, illúdque » sit minùs validum, non est in hoc articulo ni- » miùm laxanda facultas: quia qua ratione incipi- » unt computare à secundo (vel secunda, scilicet » persona, ut legitur in antiquis Codicibus, *Gl. marg.* » *hîc*) eâdem ratione inchoatent ab ulterioribus.

XX. Notandum 1. Licèt aliàs nepos propriè dicatur filius genitus ex filio, vel filia, *l. 1 Ctus.* 10. §. *Nepos quoque. ff. de gradibus.* appellatione tamen nepotis venit etiam fratris, vel sororis filius, juxta communem usum loquendi, ut patet ex hoc *c. Abb. hîc n.* 2. ubi addit, etiam in Statutis nomine nepotis venire fratris filium.

Notandum 2. Non valet testimonium super consanguinitate probanda ad dirimendum matrimonium, nisi testes incipiant gradus computare à communi parente, vel germanis fratribus, à quibus descenderunt illi, de quorum consanguinitate quæritur, *Abb. hîc n.* 3.

Notandum 3. Paria sunt, sive aliquid exprimatur proprio nomine, sive per circumstantias, aut signa æquipollentia, ut patet etiam ex hoc cap.

Notandum 4. Testimonium de auditu, scilicet alieno, est minùs validum, & regulariter non valet; & sic speciale est, quòd admittatur tale testimonium in probatione consanguinitatis, *Abb. hîc in fine. & Alex. de Nævo n.* 7. modò alia adminicula, & conjecturæ concurrant, de quibus in *c. Licèt.* 47. *de testib.* & dictum *libr.* 2. *Decret. Tit.* 20. *n.* 136. & *seqq.*

SECTIO II.

DE AFFINITATE, QUÆ EST altera pars Rubricæ hujus Tituli.

§. I.

Quid sit affinitas, & qua ratione contrahatur, & inter quas personas?

XXI. Assertio 1. Affinitas *est propinquitas personarum ex carnali copula proveniens*, prout communiter definitur à Theologis, & utriùsque Jurisperitis apud *Sanch. libr.* 7. *de matr. disp.* 64. *n.* 1. Cùm enim duo, vir & mulier se invicem carnaliter cognoscunt, fiunt veluti una caro, & consanguinei unius trahuntur ad fines alterius, seu fiunt ei affines. Oritur autem affinitas non solùm ex copula carnali, seu concubitu legitimo, & conjugali, juxta illud Matth. 5. *Erunt duo in carne una*: sed etiam ex fornicario, vel alio illicito concubitu, juxta illud 1. ad Corinth. 6. *Qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur*: de qua affinitate actum toto Tit præcedente.

XXII. Assertio 2. Ad affinitatem contrahendam requiritur copula carnalis perfecta, seu consummata; adeoq; non sufficit clausùra virginalis reseratio, seu penetratio vasis fœminei, sed requiritur etiam seminatio, saltem viri, seu ut semen virile intra vas naturale fœminæ, quacunque tandem ratione, sit receptum, *Sanch. cit. disp.* 64. *n.* 8. Ratio est: quia ad affinitatem requiritur talis copula, per quam vir, & fœmina fiunt una caro, ut colligitur ex *c. Fraternitatis.* 1. §. *Si una caro fiunt. causa* 35. *q.* 10. at non fiunt una caro, nisi per copulam perfectam, & sufficientem ad prolis generationem, qualis est sola illa, in qua semen virile recipitur intra vas fœmineum, ut constat ex *c. Lex divinæ.* 18. *causa* 27. *q.* 2. & *c. Extraordinaria.* 11. *junct. Gl. V. Eodem causa* 35. *q.* 3.

Porro quia secundùm communiorem sententiam Medicorum, sola seminatio viri requiritur, & sufficit ad generationem prolis; ideo si sola fœmina seminet, affinitas non contrahitur, *Sanch. cit. disp.* 64. *n.* 22. quia tamen secundùm probabilem sententiam aliorum, etiam semen fœmineum ad prolis generationem requiritur; ideo probabile est, etiam seminationem fœminæ requiri ad contrahendam affinitatem.

XXIII. Hinc infertur 1. Ex copula sodomitica habita in vase præpostero, & contra naturam, non contrahi affinitatem, cùm ex ea non possit sequi generatio prolis. Idémque est de quacunque pollutione extra vas debitum. 2. Oriti affinitatem ex copula habita cum fœmina dormiente, ignorante, coactâ, ebriâ, insanâ, seu amente, vel ex copula occulta, quia ea sufficiens est ad generationem, non autem cum mortua, *Sanch. c. l. n.* 12. 13. 17. & 18. 3. Ex

Digitized by Google

matrimonio rato nondum conſummato non otiti affinitatem verè, ac propriè dictam, ſed ſolùm initium quoddam affinitatis, & vinculum, ſeu impedimentum publicæ honeſtatis, arctius tamen, quàm ex ſponſalibus, *Sanch. c. l, n.* 25. Etſi plures contrarium teneant apud *Sanch. c. l. n.* 24. nempe ex matrimonio rato oriti affinitatem quandam ſaltem initiativè, & latè, *Silv. V. Matrimonium*, 8. *q.* 14. *dicto* 2. quia licèt ante matrimonium conſummatum, vir, & fœmina non ſint una caro per commixtionem ſanguinis, poſſunt tamen dici una caro, quia unus habet dominium in corpus alterius in ordine ad generationem.

XXIV. Assertio 3. Affinitas hæc contrahitur inter conſanguineos uxoris ex una parte, & inter maritum ejus ex altera: & rurſum inter conſanguineos mariti, ex una parte, & uxorem ejus ex altera: non autem mutuò inter conſanguineos viti, & mulieris, ut conſtat ex *c. Non debet. 8. h. t.* Numerantur autem gradus affinitatis eodem modo, quo in conſanguinitate, & traditur hæc regula: *In quo gradu aliquis eſt conſanguineus mariti, in eodem gradu ſit affinis uxoris*: & è converſo, *in quo gradu aliqua eſt conſanguinea uxoris, in eodem ſit affinis mariti.* Unde conſanguinei viri in primo gradu, ſunt affines uxoris in primo etiam gradu: & conſanguinei viri in ſecundo gradu ſunt affines item uxoris in ſecundo, & ſic de reliquis. Idémque eſt de conſanguineis uxoris, qui fiunt affines mariti in eodem gradu, in quo ſunt conſanguinei uxoris, *Tanner. cit. diſ. 8. q. 4. dub. 7. n.* 118. ex communi.

XXV. Atque hinc infertur, quòd conſanguinei mariti poſſunt licitè, ac validè contrahere matrimonium cum conſanguineis uxoris: & hi viciſſim cum illis, prout ſumitur ex *c. Quòd ſuper his. 5. h. t.*

» Ubi conſultus Papa Innocentius III. an ſi patet,
» & filius cum matre, & filia, & duo cognati cum
» duabus cognatis: item avunculus, & nepos cum
» duabus ſororibus contrahant matrimonia, ea ſint
» licita, & valida? Reſpondet Pontifex, licèt omnes
» conſanguinei viri ſint affines uxoris: & omnes
» conſanguinei uxoris ſint affines viri: nulla tamen
» prorſus ex eorundem (ſcilicet viri, & uxoris)
» conjugio affinitas eſt contracta, propter quam inter eos matrimonium impediatur.

Ex quo patet, quòd affinitas contracta inter uxorem, & conſanguineos viri, non transeat ad conſanguineos uxoris; & è converſo, affinitas contracta inter virum, & conſanguineos uxoris non transeat ad conſanguineos viri; ideóque poſſunt legitimè inter ſe matrimonio copulari, juxta deciſionem hujus cap. *Gl. hic V. Impediri.* Ratio eſt: quia affinitas non cauſat affinitatem; affinitas enim dicitur illa propinquitas, quæ eſt inter uxorem, & conſanguineos viri: & rurſum inter virum, & conſanguineos uxoris, eò quòd duæ cognationes, quæ inter ſe diverſæ ſunt, per nuptias copulantur, & altera ad alterius cognationis finem accedit, ut dicitur in *l. Non facit. 4. §. Affines. ff. De gradib.* vir autem, & uxor non ſunt affines, aliàs non poſſet inter eos eſſe matrimonium: ſed ſunt principium, & cauſa affinitatis; quia affinitas non eſt, nec contrahitur, niſi mediante aliâ quâdam perſonâ; conjuges verò immediatè ſunt ſibi conjuncti matrimonialiter, *l. Non ideo. 5. juncta Gl. V. Affinis. C. De hæred. inſtit.* & inter virum, & uxorem non eſt affinitas, nec propinquitas, ſive conſanguinitas, *Alex. de Nævo in cit. c. Quòd ſuper. n. 4. h. t.* Quia ergo vir, & uxor per matrimonium fiunt una caro, inde fit, ut omnes conſanguinei mariti fiant affines uxoris, & vice versâ, conſanguinei uxoris fiant affines mariti, & abſtinendum ſit utrique conjugi à conſanguineis alterius, ſicut à propriis, *c. ult. cauſ. 35. q. 3.* Itaque propriè loquendo, affinitas ſolùm contrahitur inter maritum, & conſanguineos uxoris, & è converſo, inter uxorem, & conſanguineos mariti, ut dictum: non autem inter conſanguineos matiti, & conſanguineos uxoris, quamvis iſti, latè loquendo, etiam affines appellentur: vel etiam dici poteſt, quòd inter eos contrahitur affinitas, ſed non talis, quæ impediat, vel dirimat matrimonium inter eosdem, *Alex. de Nævo c. l. num.* 5. Appellatione autem propinquorum, ſive conſanguineorum non comprehenduntur affines. *Alex. de Nævo c. l. n.* 4.

XXVI. Additur in fine *cit. c. Quòd ſuper.* prohibitio, ne infra gradus prohibitos matrimonium

» contrahatur, alioquin contrarium præſumentes
» Eccleſiaſticâ diſtrictione puniri debent, non ob-
» ſtante conſuetudine, quæ potiùs dicenda eſt cor-
» ruptela. Ex quo colligitur, quòd conſuetudo
» etiam immemorialis non poteſt tollere, nec inducere impedimenta ditimentia matrimonium in gradibus conſanguinitatis, vel affinitatis Jure prohibitis, cùm hìc dicatur, talem conſuetudinem eſſe potiùs dicendam corruptelam: quotiescunque autem Lex damnat conſuetudinem, ut iniquam, & irrationabilem; tunc cenſetur damnata, & reprobata conſuetudo etiam immemorialis: quia diurnitas temporis non minuit, ſed aggravat delictum, *c. Non debet. 8. in fine h. t. Fagn. hic num. 7. & 9.* Cui tamen obſtare videtur *cap. Super eo. 3. de cognat. ſpirit.* de quo actum ſuprà *Tit. 11. de cognat. ſpirit. n. 9. & 10.*

Aliam reſponſionẽ non improbabilem dat *Barb: hic n. 3. in Collect.* nempe præſens cap. & *c. Non debet.* eſſe Innocentii III. adeoque poterat tunc illa conſuetudo eſſe valida, & rationabilis: quæ tamen poſtea mutatis circumſtantiis, & propter varias difficultates inde exurgentes, tanquam irrationabilis fuerit reprobata in c. præſenti. Denique fortè etiam reſponderi poſſet, quòd in præſenti cap. reprobetur ſolùm talis conſuetudo in conſanguinitate, & affinitate carnali, quod non debet extendi ad cognationem ſpiritualem, in quo eſt minor ratio, *Barb. c. l.*

XXVII. Assertio 4. Triplex eſt genus affinitatis, primum inter conſanguineos mulieris, ex una parte, & virum ex altera: & rurſum inter conſanguineos viri, & mulierem ex altera, non autem inter conſanguineos viri, & mulieris mutuò. Verùm olim tum inter conſanguineos viri, ac mulieris mutuò, tum ex ipſa quoque affinitate otiebantur alia neceſſitudinum, ſive affinitatum genera. Ut ſi v. g. uxor fratris tui, eo mortuo, nupſit Titio, tunc etiam ipſe Titius fiebat affinis tibi, ſecundo quodam affinitatis genere: & rurſum ſi idem Titius, mortuâ uxore, alteram duxit, etiam iſta fiebat tibi affinis tertio quodam affinitatis genere, quæ tamen duo poſteriora affinitatum genera jam ſunt ſublata per *cit. c. Non debet. h. t. Tanner. tom. 4 diſ. 8. q. 4. dub. 7. n.* 117. Ita-

Digitized by Google

217. Itaque uxor fratris tui est tibi affinis in primo affinitatis genere; mortuo fratre, si ipsa alteri viro nubat, ille erit tibi affinis in secundo genere affinitatis, de quo sit mentio in *c. De propinquis. 3. caus. 35. q. 3.* Si verò uxore fratris tui mortuâ, ejus maritus alteram uxorem ducat, hæc uxor erit tibi affinis in tertio affinitatis genere, quia tibi jungitur per eum, qui secundo affinitatis genere tibi junctus est, *Gl. hic V. In secundo & tertio.* Et de hoc sit mentio in *c. ult. cit. caus. 35. q. 3.* Primum genus affinitatis dicitur, quia per primam carnis copulam, sive mediante unâ personâ contrahitur: secundum, quia per secundam copulam, sive mediantibus duabus personis: tertium, quia per tertiam copulam, sive mediantibus tribus personis contrahitur, *Gl. in cit. c. Non debet. V. In secundo. Hostiens. ibid. num. 4.* V. g. uxor fratris tui mutat genus, quia frater tuus est conjunctus tibi consanguinitate, ipsa verò affinitate, & est tibi affinis in primo genere, & in eodem gradu affinitatis est tibi, & aliis consanguineis tuis conjuncta, quo gradu consanguinitatis est tibi, & consanguineis tuis conjunctus frater tuus. Si verò secunda persona tibi aliunde non affinis, nec consanguinea, conjungatur per copulam cum dicta uxore fratris tui, sit tibi, & consanguineis tuis affinis in secundo genere. Si denique tertia persona aliunde nec consanguinea, nec affinis, adjungatur per copulam dictæ secundæ personæ, est tibi, & consanguineis tuis affinis in tertio genere. *Silvest. in Summa V. Matrimonium. 8. q. 15. dicto 3.*

XXVIII. Cæterùm sublato jam secundo, & tertio genere affinitatis, quia nulla jam ampliùs contrahitur affinitas, inter consanguineos mariti, & uxoris, possunt plures casus ejusmodi affinitatis occurrere, per quod matrimonio nullum impedimentum præstatur. Unde possunt duo fratres contrahere matrimonium cum duabus sororibus, quia nulla est affinitas inter fratrem matiti, & sororem uxoris. 2. Potest pater, & filius contrahere matrimonium cum matre, & filia alterius familiæ, v. g. filius Petri ex prima uxore potest ducere filiam ejusdem Petri ex alio marito genitam. 3. Potest pater sponsi ducere matrem, & filiam sponsæ. 4. Potest quis ducere matrem, vel filiam vitrici sui, vel novercæ, quia inter istos nulla est respectivè affinitas. 5. Si frater, & soror contrahant matrimonium, possunt, iis mortuis, viduus superstes, & vidua inter se contrahere matrimonium, nisi forsan obstet consanguinitas, vel aliud impedimentum. 6. Potest quis successivè plures sorores ducere, quarum mariti erant fratres germani. V. g. Anna, & Barbara nupserunt duobus frattibus, poterit Petrus ducere Annam viduam factam, eâque mortuâ, accipere in uxorem alteram viduam, nempe Barbaram. Plura hujusmodi exempla videri possunt apud *Tanner. cit. dis. 8. q. 4. dub. 7. n. 118. & Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 5. n. 4.* Ubi pro cognoscendis plutibus hujusmodi casibus affinitatis peraccidens, hanc regulam tradit ex *Navarro consil. libr. 4. consil. 3.* quando neque vir cognovit carnaliter consanguineam mulieris, cum qua ille matrimonium inire cupit: neque mulier carnaliter cognovit consanguineum viri: tunc siqua inter eos est affinitas, ea tantùm est peraccidens, ita ut matrimonium postea contractum non impediat, nec dirimat.

§. II.

Quousque, & quo iure affinitas dirimat matrimonium?

XXIX. Assertio 1. Sicut consanguinitas, ita etiam affinitas orta ex copula legitima, & conjugali, impedit matrimonium contrahendum, ac dirimit contractum, in linea transversali usque ad quartum gradum inclusivè, ut patet ex *c. Non debet. 8. h. t.* sicut olim etiam dirimebat usque ad septimum gradum, *c. 1. c. Nullum. 7. c. Æqualiter. 13. caus. 35. q. 3.* & est communis DD. apud *Tanner. tit. dub. 4. n. 51.* Rationes hujusmodi prohibitionis jam suprà sunt allatæ. At verò affinitas orta ex copula illicita, seu fornicaria, jure novo *Concilii Tridentini. Sess. 24. c. 5. de reform. matr.* dirimit matrimonium tantùm usque ad secundum gradum inclusivè, ut dictum *Tit. præced. n. 21.*

XXX. Porro si matrimonium intra quartum affinitatis gradum contractum fuerit, illud dissolvi debere, & sic contrahentes ab invicem separandos esse, ne in peccato persistant, statuitur quoque in *c. Ex litteris. 1. h. t.* Nam cùm aliquis viduam quandam secretò subarrhâsset per annuli immissionem, & eam carnaliter cognovisset, & postea veller, in conspectu Ecclesiæ, cum illa contrahere matrimonium: duo propositerunt, quòd eam habere non posset in uxorem, eò quòd priorem virum contingat quarto gradu consanguinitatis, unúsque ex illis juravit, se ita audivisse: alter verò id juramento confirmare noluit: & sic publicè contraxerunt. Postmodum alii duo venerunt, & jurârunt, quòd primus vir isti superstiti fuit quinto consanguinitatis gradu conjunctus. Consultus Papa Alexander III. mandavit Abbati Casinensi, ut utramque partem vocet, & testes jurare faciat coram se. Et si per testes idoneos, & omni exceptione majores constiterit, quòd primus vir viro superstiti quarto gradu consanguinitatis fuerit conjunctus, illos debeat per sententiam divortii ab invicem separare, quia (ut Canones dicunt locis suprà allegatis) æquè abstinendum est à consanguineis uxoris, ut à propriis. Additur in fine, quòd causæ matrimoniales non sunt tractandæ per quoslibet, sed per Judices discretos (eós- que Ecclesiasticos, juxta *Concil. Trident. Sess. 24. Can. 12. de Sacram. matr.*) qui poresttatem habeant judicandi, & statuta Canonum sciant.

XXXI. Notandum 1. Etsi ad impediendum matrimonium contrahendum ad plenam probationem sufficiat unicus testis, *c. Super eo. 22. de testib. & c. Præterea. 12. de sponsal.* quia agitur de peccato vitando; at verò ad dissolvendum matrimonium contractum, duo testes requiruntur, quia est causa gravissima, in eâque de magno præjudicio agitur; admittuntur tamen in testes etiam parentes, & consanguinei, si agatur de dissolvendo matrimonio ob consanguinitatem, quia hi meliùs nôrunt parentelam, *Sanch. l. 2. dis. 45. n. 30. & 31.* Sed de hoc plura infrà *Tit. 18.*

Notandum 2. Impedimentum etiam ad matrimonium non contrahendum non probatur ſufficienter per unum teſtem de auditu, & alterum non juratum, quia majorem fidem facit ſola fama, vel unus teſtis juratus, quàm duo teſtes, quorum unus deponit de auditu, & alter, ſine juramento, ad impediendum matrimonium contrahendum, *Abb. hic n. 3.* Item teſtes in cauſa matrimoniali debent eſſe jurati, etiamſi agitur ad matrimonium ſolùm impediendum, & omni exceptione majores, ut dicitur in hoc cap. quales dicuntur, qui non poſſunt repelli per exceptionem aliquam, *Gl. hic V. Majores, Abb. hic n. 4. & 5.* Quin etiam quando agitur ad impediendum, vel ditimendum matrimonium, iidem poſſunt eſſe ſimul accuſatores, & teſtes, idque ratione peccati, & quia non agitur de commodo accuſatoris, vel incommodo accuſati; tunc enim prohibentur iidem eſſe accuſatores ſimul, & teſtes, *c. Nullus, 2. cauſ. 4. q. 4. c. In omni. 4. de teſtib. Abb. hic n. 6.*

Notandum 3. Qui vult cognoſcere, & definiré cauſas matrimoniales, debet habere poteſtatem judicandi, & non ignotare Canones, ut habetur in textu. Unde *Hoſtienſ. hic V. Diſcretos*, arguit quosdam Theologos, qui dicunt, quòd Eccleſia DEI poſſit regi per ſolam, & puram Theologiam.

XXXII. ASSERTIO 2. Probabilius eſt, matrimonium in primo gradu affinitatis lineæ rectæ, eſſe jure naturæ irritum, nempe inter vitricum, & privignam, novercam, & privignum; ſocerum & nurum: ſocrum, & genetrum, *Silveſt. V. Matrimonium. 8. dicto 6. Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 6. §. 10. n. 8.* ubi id tradit de noverca, *Coning diſ. 32. de Sacram. dub. 4. n. 53. Tanner. tom. 4. diſ. 8. q. 4. dub. 7. n. 123. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 6. n. 5.* licèt *Sanch. l. 7. de matr. diſ. 66. n. 7.* contrariam ſententiam teneat tanquam probabiliorem. Sed prior probatur 1. quia *Gen. 49.* Jacob, etiam ante legem Moſaicam, maledixit Ruben primogenito ſuo, eò quòd violâſſet torum paternum, dormiendo cum uxore patris ſui, idque non ob ſolam injuriam illatam patri, ut putat *Sanch. c. l. n. 9.* ſed etiam ob inceſtum. 2. *Amos c. 2.* graviter exprobratur Iſraëli, quòd *filius, & pater ejus iverunt ad puellam*, nempe eandem, *ut violarent nomen Sanctum DEI*, teddendo ſcilicet illud deteſtabile; qui enim ſic peccant, exponunt nomen Domini infamiæ, & ludibrio gentium, quæ talem libidinem abominantur, ut explicant ibi Interpretes. 3. Apoſtolus 1. *ad Cor. 5.* air: *Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris ſui aliquis habeat.* Neque verò ibi loquitur Apoſtolus de uxore patris adhuc viventis, cùm magis id factum exaggerare videatur, propter extraordinariæ libidinis turpitudinem, ut notat *Coning c. l. num. 51.* Similiter *Gen. c. 18.* prohibetur concubitus cum uxore patris ſui, & *c. 20. eod.* fornicatio cum noverca ſua, numeratur inter graviſſima ſcelera, & jubetur morte puniri, quaſi naturæ repugnans. Unde etiam omnes gentes bene inſtituræ talia matrimonia ſempet ſunt deteſtatæ, ut colligitur ex *l. Liberi. 4. C. de nupt. & l. ult. §. Noverca. ff. De condict. ſine cauſ.* ubi *Gl.* ait, quòd tale matrimonium prohibeatur Jure naturali, & Civili. Ratio eſt, quia vir, & uxor per copulam conjugalem fiunt veluti una caro, unde vitricus eſt quaſi pater privignæ, & noverca quaſi mater privigni; ideòque eis par ferè reverentia debetur à privignis, quæ debetur naturalibus parentibus. Eadémque eſt ratio ſoceri, & ſocrûs, reſpectu quorum gener & nurus quaſi filiorum loco cenſentur, ut de nuru habetur in *c. Si vir. 15. cauſ. 35. q. 3.* Idque confirmatur, quia Eccleſia nunquam ſolet in primo gradu affinitatis lineæ rectæ diſpenſare. Neque obſtat, quòd privignus non acceperit eſſe naturale per generationem à noverca, nec privigna à vitrico, in qua ſola fundatur reverentia debita à filiis parentibus, ut argnit *Sanch. cit. diſ. 66. n. 7.* quia ſatis eſt, quòd noverca facta eſt per copulam conjugalem una caro cum ejus patre, à quo accepit eſſe naturale privignus per generationem. Vel quòd privignus, reſpectu vitrici, genitus ſit ab illa, quæ eſt una caro facta cum vitrico.

Potro quod dictum eſt matrimonium in primo gradu lineæ rectæ, ob affinitatem, jure naturæ eſſe irritum, id limitari debet, niſi tale matrimonium eſſet neceſſarium ad propagandum, & conſet vandum genus humanum, *Laym. c. l.*

XXXIII. An autem, ſpectato jure naturali, oriatur affinitas ex copula etiam fornicaria, non conveniunt DD. Affirmat *Coning. cit. diſ. 32. dub. 4. n. 49.* quia indecens videtur, etiam ſecluſo Jure Eccleſiaſtico, concubinam patris ſui ducere in uxorem, quod etiam prohibitum reperitur in *l. Liberi. 4. C. de nupt.* quia tota ratio, ab quam contrahitur affinitas inter aliquos, eſt, quia per copulam carnalem fiunt una caro: hoc autem etiam verè, & propriè ſicitur per copulam fornicariam, juxta illud *Apoſt. 1. Cor. 6. Qui adhæret meretrici* (ſcilicet per fornicationem, de qua ibi eſt ſermo) *unum corpus efficitur cum ea, & erunt duo in carne una*, ut ibi additur; ergo etiam hæc copula naturaliter inducit affinitatem, licèt id negent *Navarr. l. 4. conſil. 12. n. 3. h. t. & Sanch. l. 7. de matrim. diſ. 65. n. 9.* nempe ex copula fornicaria, nullam affinitatem contrahi, ſpectato jure naturæ, & ſecluſo Jure Canonico, & conſequenter ſi quis tempore infidelitatis fornicatus fuit cum Titia, & poſtea fuit baptizatus, non prohibetur ducere in uxorem filiam, vel ſororem ejusdem Titiæ, cùm nulla affinitas fuerit contracta ante Baptiſmum.

Verùm in hac re dicendum videtur, quòd ſpectato jure naturali, ac gentium, ex copula illicita oriatur quidem aliqua affinitas etiam ante Baptiſmum, ſed non tam perfecta, ſicut ex copula conjugali, neque tam efficax, ut impediat matrimonium, quominus validè contrahi poſſit. Quare gentilis, ante Baptiſmum ſuſceptum, validè contrahere poteſt, & ob cauſam juſtam etiam licitè cum filia, vel ſorore mulieris, cum qua eſt fornicatus, neque poſtea baptizatus ſeparari ab ea debet, quia ante Baptiſmum gentiles non ſunt ſubjecti Eccleſiæ legibus, & matrimonium ſemel validè contractum, per Baptiſmum non diſſolvitur, *Coning cit. diſ. 32. dub. 4. n. 57. Laym. cit. c. 6. n. 6.* Addit tamen Coning, quòd affinitas contracta à gentili, ante Baptiſmum, etiam ex copula fornicaria, permaneat poſt Baptiſmum ſuſceptum, & impediat, ne jam baptizatus matrimonium cum tali contrahere poſſit, ac ſi poſt Baptiſmum contracta fuiſſet, quia gentilis, poſt Baptiſmum, jam legibus Eccleſiæ eſt ſubjectus.

XXXIV. ASSERTIO 3. Quamvis matrimo-

Digitized by Google

nium

nium in primo gradu affinitatis lineæ transversæ naturalem aliquam indecentiam præseferat, ut si quis ducat uxorem fratris defuncti, vel sororem uxoris mortuæ: non tamen tantam, ut etiam irritum sit jure naturali matrimonium contractum, ita ut ex justa causa cohonestati non possit, præsertim accedente publicâ auctoritate Superioris. Est communis sententia apud *Covarr. in* 4. *Decret. p.* 2. *c.* 6. §. 10. *n.* 7. *& seqq. & Sanch. l.* 7. *de matr. dis.* 66. *n.* 11. Prior pars colligitur ex *c. Levitici.* 18. ubi dicitur: *turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis, quia turpitudo fratris tui est*, quasi dicat, indecens est carnaliter conjungi cum uxore fratris, propter conjunctionem, & reverentiam erga fratrem. Altera pars probatur exemplis S. Scripturæ, quia in Veteri Testamento Patriarcha Jacob accepit duas sorores in uxores, Rachel & Liam, *Gen.* 29. Et Judas dedit *eidem mulieri* Thamar uxori primogeniti sui filium Onan in vicem defuncti, sine liberis, *Gen.* 38. quæ tamen in S. Scriptura non reprehenduntur, & *Deuteron. c.* 25. præcipitur universim, ut frater ducat uxorem fratris sui defuncti sine liberis, & suscitet semen fratris sui. Idque etiam probatur ex *c. ult. de divort.* ubi permittitur, ut infideles, qui in infidelitate contraxerant cum relictis uxoribus fratris, ad fidem conversi, in eo matrimonio permaneant, cùm tamen separandi fotent, si tale matrimonium jure naturæ esset invalidum.

Idque probatur etiam auctoritate Ecclesiæ, quæ in eodem gradu primo lineæ transversæ sæpius dispensavit. Nam Alexander VI. dispensavit cum Rege Lusitaniæ: Julius II. cum Catharina vidua Regis Angliæ, ut nubetet ejus fratri Henrico VIII. quam dispensationem fuisse legitimam, consultis celeberrimis Universitatibus, & accuratissimâ deliberatione priùs habitâ, declaravit postea Clemens VII. in speciali Bulla. Unde ortum est infelicissimum illud schisma, per quod Regnum Angliæ ab Ecclesia Romana, & Catholica descivit. Item Clemens VIII. dispensavit cum Rege Poloniæ, ut duceret sororem uxoris suæ defunctæ. Ratio est, quia non est tanta necessitudo, & conjunctio ram arcta inter tales affines, ut jure naturali matrimonium irritare debeat: neque etiam subest propinquum periculum fornicationis inter illas personas, cùm simul cohabitare non soleant, tanquam ab eisdem parentibus educandi, sed cum uxoribus domicilium paternum mutent. Nec obstat, quòd D. Joan. Baptista *Matth. c.* 14. *& Marci* 6. reprehendit Herodem ob ductam Herodiadem uxorem fratris sui: quia is adhuc vivebat, ut testatur D. Thom. in eum locum. Vel si jam fuit mortuus, adhuc non licuit Herodi uxorem fratris sui ducere, ob legem Judaicam, cui subditus erat Herodes, quippe filius Judæi, id prohibentem, ut constat ex *c.* 18. *Levit.* nisi quando frater suscitaverat semen fratris mortui: nam lex Judaica uondum expiraverat, ante mortem Christi *Cap.* verò *penult. de divort.* loquitur de gradibus consanguinitatis, *Sanch, cit. dis.* 66. *num.* 12.

§. III.

Utrùm affinitas superveniens dissolvat sponsalia de futuro, & an infideles conjuncti in gradu jure Canonico prohibito, post Baptismum, debeant separari?

XXXV. De priore quæstione agitur in *c. Super eo.* 2. *h. t.* Nam cùm quidam juvenis puellam » quandam nondum nubilem, fide interpositâ, de- » sponsâsset, ea nubilis facta, eum repetit: sed ille » excepit, dicens, se non posse illam ducere, eò quòd, » postquam eandem puellam desponsavit (per verba » de futuro, *Gl. hic V. Affidavit.*) carnaliter propin- » quam ejusdem cognovit. Respondet Papa Urba- » nus III. si manifestum sit, juvenem illum cogno- » visse consanguineam prædictæ puellæ: vel si non » sit manifestum, fama tamen loci id habeat, cùm » esset sponsa de futuro, dictum juvenem ab ejus im- » petitione debere absolvi. »

XXXVI. Notandum 1. Sponsa potest repetere sponsum, & compellere ad contrahendum matrimonium, & implendam promissionem suam, & vicissim sponsus sponsam, uti sumitur ex hoc cap. *Abb. hic n.* 2.

Notandum 2. Sola fama facit plenam probationem ad impediendum matrimonium contrahendum, sine alia probatione impedimenti, *Covarr. in Decret. p.* 2. *c.* 6. §. 10. *n* 20. Et quamvis in hoc cap. solùm sit sermo de impedimento affinitatis, idem tamen dicendum est de omni alio impedimento, quia est eadem ratio: nam tunc agitur de modico præjudicio, cùm sponsa possit matrimonium contrahere cum aliis, maximè quando agitur de periculo animarum vitando, ne fortè peccatum incurratur contrahendo cum affine, vel aliàs impedito; tunc enim fama habetur pro sufficiente probatione. Secus est, si ageretur de magno præjudicio, nempe de matrimonio jam contracto dissolvendo; tunc enim sola fama non sufficit ad probationem *c. Si duo.* 4. *caus.* 35. *q.* 6. *Abb. hic n.* 4.

Notandum 3. Sola fama de impedimento v. g. affinitatis, impedit matrimonium contrahendum, & dissolvit sponsalia priùs inita, quamvis juramento sint confirmata, quia in hoc cap. dicitur, famam impedire matrimonium contrahendum, fide datâ, ubi *Gl. V. Fide datâ*, ait, id est, juramento. Nec obstat, quòd in *c. Cùm in tua.* 27. *de sponsal.* ultra personam fide dignam requiritur fama, quia sponsalia jurata erant: nam ibi requiritur fama, quia testis ille non deponebat in forma testimonii, sed tantùm denuntiavit impedimentum, & sic non fuit testis omnino integer, *Abb. hic n.* 7. *& Alex. de Nævo n.* 9. *Sanch. l.* 1. *de sponsal. dis.* 71. *n.* 14. & videri possunt, quæ de hoc dicta sunt supra *Tit.* 1. *n.* 155. *& seq.*

Notandum 4. Manifestum hic non accipitur pro notorio, ut putat *Gl. hic V. Manifestum*, quasi non sufficiat manifestum esse impedimentum, sed plus in se continet manifestum, quàm fama, si ergo hæc sola per se sufficit ad probationem impedimenti, ergo etiam manifestum, *Abb. hic n.* 6.

XXXVII. De posteriore quæstione agitur in » c. *De infidelibus. 4. h. t.* Ubi consultus Pontifex » Innocentius III. de infidelibus, aut Judæis ad fi- » dem conversis, utrùm si contraxerunt matrimo- » nium, secundùm Veteris Legis statuta, in gradu » consanguinitatis (vel affinitatis) à Jure Canonico » prohibitis, post susceptum Baptismum, debeant » separari? Respondet Papa, matrimonium sic con- » tractum non esse separandum, quia Dominus à » Judæis requisitus, an liceret ipsis uxorem ex qua- » cunque causa dimittere, respondit: *quos Deus con- » junxit, homo non separet:* per hoc innuens esse ma- » trimonium inter eos.

XXXVIII. Notandum 1. Matrimonium Judæorum, vel aliorum infidelium, etiamsi contractum sit in gradu prohibito Jure Canonico, est validum, quia infideles, sicut & Judæi, non ligantur Canonicis Sanctionibus, cùm sint extra Ecclesiam. Quare si alter conjux, vel uterque postea Baptismum susciperit, non ob id dissolvitur matrimonium prius legitimè contractum, quia per Sacramentum Baptismi non dissolvuntur conjugia, sed crimina dimittuntur, *Abb. hic n. 1. & 3.*

Notandum 2. Matrimonium infidelium est verum, ac legitimum matrimonium: nam etsi inter eos non possit consistere matrimonium, quatenus est Sacramentum, quia cùm non sint baptizati, non sunt capaces Sacramenti: potest tamen inter eos consistere matrimonium, quatenus est contractus naturalis, & civilis, instar aliorum contractuum: non est tamen ita perfectum matrimonium, sicut inter fideles, quia matrimonium inter hos contractum est Sacramentum Novæ Legis, gratiámque confert, & si sit consummatum, nunquam dissolvi potest, quoad vinculum, nisi per conversionem alterius conjugis ad fidem, de quo plura infrà *Tit. 19.* Tunc autem infidelium matrimonium est validum, quando inter ipsos conjuges nullum est impedimentum juris naturalis, *Sanch. l. 7. dis. 73. n. 2. & 3.*

XXXIX. Porro contra hoc, quod in fine hujus cap. dicitur esse matrimonium inter Judæos, objicit *Gl. fin. hic.* Matrimonium est maris, ac fœminæ conjunctio, individuam vitæ consuetudinem retinens, *caus. 27. q. 2. in princ. c. Illud. 11. de præsumpt.* sed Judæi, si contrahunt matrimonium, possunt ab invicem separari, dato libello repudii, ergo non est inter illos matrimonium. Et respondet, si Judæus matrimonium contrahat cum Judæa, eo pacto expresso adjecto, ut dare ei liceat libellum repudii, secundùm ritum Judæorum, tale matrimonium est invalidum, quia continet pactum contra substantiam matrimonii, nempe quòd possit dissolvi vinculum matrimonii, nec jure inest, cùm jam extra controversiam sit, eam legem non excusare à culpa, nec dare licentiam contrahendi aliud matrimonium, prout ipse Christus declaravit *Matth. c. 19. & Marc. 10. Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 3. §. 1. n. 5. Sanch. l. 5. de matr. dis. 12. n. 3.* ubi addit, idem dicendum esse de aliis infidelibus, quibus nunquam licuit dare libellum repudii: quamvis *Abb. hic n. 6.* & alii quidam Canonistæ dicant, matrimonium tali pacto initum valere, sed prius est tenendum.

§. IV.

Quæ pœna sit contrahentium matrimonium in gradu consanguinitatis, vel affinitatis prohibito?

XL. De hoc agitur in *Clement. Eos, qui unic. h. t.* ubi statuitur: Eos, qui scienter in gradibus consanguinitatis, & affinitatis Constitutione Canonicâ interdictis cum Monialibus contrahere non » verentur (ubi comprehenduntur ambo contrahentes) nec non Religiosos, ac Clericos in Sacris » Ordinibus constitutos matrimonia contrahentes, » excommunicationis sententiæ, ipso facto, subjacere: & præcipitur insuper Ecclesiarum Prælatis, » ut illos, quos constiterit sic contraxisse, excom- » municatos publicè denuntient, vel à suis subditis » faciant denuntiari, ut evitentur, & separentur » ab invicem, donec suum agnoscentes errorem ab- » solutionem obtineant: aliis pœnis contra sic con- » trahentes Jure decretis in suo robore perman- » suris. »

XLI. Pro declaratione hujus Constitutionis notandum 1. Tria personarum genera excommunicantur in hac Clement. Primò, qui scienter matrimonium contrahunt prohibitum Jure Canonico, scilicet in quarto gradu, vel citeriore consanguinitatis, vel affinitatis, juxta c. *Non debet. 8. h. t.* Excommunicantur autem non solùm masculi, sed etiam fœminæ, quia genus masculinum fœmininum sexum comprehendit, etiam in pœnalibus, quando quoad utrumque eadem viget prohibitionis ratio, ut probatur ex *l. Si quis. 7. ff. de jurisd. omn. Jud. Barb. in Collect. hic n. 3.* Secundò excommunicantur Religiosi, & Moniales contrahentes matrimonium sacrilegum. Tertiò Clerici in Sacris Ordinibus constituti sacrilegè matrimonium contrahentes, *Sanch. l. 7. de matr. dis. 48. n. 1.*

XLII. Notandum 2. Excommunicationem quoque incurrunt in *cit. Clement. un.* §. *Nec non*, non tantùm Religiosi expressè, vel tacitè professi, qui matrimonium contrahunt: sed etiam alii veri, & propriè dicti Religiosi, ut qui in Societate Jesu tria vota substantialia Religionis emiserunt, licèt simplicia tantùm, adeoque professi non sint, si post biennium Novitiatûs, ante legitimam absolutionem à votis, matrimonium contrahunt, juxta Bullam Gregorii XIII. quæ incipit, *Ascendente Domino, Sanch. libr. 7. de matr. dis. 48. n. 17.* Item Moniales professæ incurrunt hanc excommunicationem, cuicunque nubant, sicut & illi, qui illas sacrilegè accipiunt in uxores. Si verò alia fœmina non Monialis nubat professo, vel Clerico in Sacris Ordinibus constituto, hi soli excommunicationem incurrunt: nam in *cit. Clement. unic.* excommunicantur inptimis Moniales, & cum eis contrahentes: at verò postea quando est fermo de matrimonio inito à professo, vel Clerico in Sacris Ordinibus constituto, soli hi excommunicantur, nullâ factâ mentione de mulieribus ab eis ductis, *Sanch. cit. dis. 48. n. 2.* & alii apud ipsum.

XLIII. No-

Digitized by Google

XLIII. Notandum 3. Mandantes verò, vel conſulentes, aut adjuvantes ad hujuſmodi ſacrilegum matrimonium ineundum, non ligantur excommunicatione decretâ in *Clement. unic. h.t.* quia in hac ſoli ineuntes matrimonium excommunicantur, tunc autem non comprehenduntur, qui mandant, vel conſilium, auxilium, aut favorem præſtant, ex communiore, & veriore ſententia apud *Sanch. c. l. n. 3.* Quæ nec Procurator, per quem contrahitur matrimonium, nec parentes, qui nomine filiorum conſenſum in matrimonium exprimunt, excommunicantur, quia hi omnes non verè contrahunt matrimonium, ſed ſolùm ſunt inſtrumentum eorum, qui verè contrahunt: neque etiam incurrunt excommunicationem decretam in *c. Nuper. 29. & c. Si conubinæ. 55. de ſent. excomm.* latam in omnes participantes in crimine, ob quod alter excommunicatur, ut bene oſtendit *Sanch. c. l. n. 3.* Imò neque Parochus, qui auctoritatem præſtat, aſſiſtendo matrimonio, & conjungendo illud ineuntes, ob rationem jam datam, quia in dicta Clem. ſoli ineuntes matrimonium excommunicantur, *Sanch. c. l. n. 4. Suar. cit. diſ. 23. ſec. 5. n. 23.*

XLIV. Notandum 4. Ad incurrendam hanc excommunicationem, requiritur 1. ut matrimonium ſit contractum, licèt non ſit conſummatum, quia in *cit. Clement.* non ponitur copula inceſtuoſa, ſed ſolùm contractus matrimonii, qui quoad eſſentiam ſuam perfectus eſt, etiamſi per copulam non ſit conſummatus, quia nuptias non concubitus, ſed conſenſus facit, *Reg. Iur. 30, in ff. Gl. hic V. Contrahere, Sanch. c. l. n. 5. & 6.* Unde neque incurritur hæc excommunicatio per ſponſalia de futuro tantùm contracta, quia etſi interdicto matrimonio, conſeantur quoque interdicta ſponſalia, *l. Oratio. 16. ff. De ſponſal.* At pœna impoſita contrahentibus matrimonium non extenditur ad contrahentes ſolùm Sponſalia, cùm pœnæ non ſint extendendæ, *Gl. hic V. Contrahere.* Excipitur, niſi poſt ſponſalia ſecuta fuerit copula affectu conjugali; tunc enim illa de jure antiquo transibant in matrimonium, *c. Is, qui. 30. ſupr. de ſponſal.* quod tamen poſt Concilium Tridentinum *Seſſ. 24. c. 1. de reform. matr.* non ampliùs habet locum, & conſequenter hæc excommunicatio jam non incurritur, quia Sponſalia talia manent nuda Sponſalia etiam poſt copulam, *Sanch cit. libr. 7. diſ. 48. n. 7.* apud quem plura de hac re videri poſſunt.

XLV. Secunda conditio requiſita eſt, ut contrahatur matrimonium cum impedimento conſanguinitatis, vel affinitatis in gradibus Lege Canonicâ interdictis, ut habetur in *cit. Clement. unic.* Hinc infertur 1. non incurri hanc excommunicationem, ſi ineatur matrimonium cum infideli, cognatâ legali, vel ſpirituali, vel cum impedimento publicæ honeſtatis, vel quocunque alio dirimente, ſed ſolùm in impedimentis hîc expreſſis, videlicet conſanguinitatis, & affinitatis, ſolemnis voti profeſſionis in Religione, aut Sacri Ordinis, de quibus ſolis in *cit. Clement. un.* fit mentio, quæ cùm ſit pœnalis, non eſt extendenda, *Sanch. c. l. n. 14.* Infertur 2. Matrimonium contrahentes per metum cadentem in virum conſtantem in caſibus hîc prohibitis, non incidunt in excommunicationem, quia matrimonium eſt nullum, tum ob defectum plenè liberi conſenſûs, *c. Cùm locum. 14. de ſponſal. & matr.* tum etiam quia Eccleſia non punit tam gravi cenſurâ gravi metu compulſum ad contrahendum matrimonium, *Abb. hic n. 5. Sanch. cit. diſ. 48. n. 12.* Infertur 3. Non incurri, ſi cum legitima diſpenſatione, adeoque licitè ſit initum matrimonium inter conſanguineos, & affines, quia tunc ceſſat culpa, ergo & pœna, *Gl. hic V. Eos, qui. Sanch. c. l. n. 16.* Infertur 4. Si quis putans falsò ſubeſſe impedimentum conſanguinitatis, vel affinitatis, vel ſolemnis profeſſionis, ineat matrimonium, quod tamen revera non ſubeſt, non incurrit excommunicationem, quia revera non contraxit cum tali impedimento, neque in *cit. Clement.* punitur prava voluntas, opere non ſubſecuto, ſicut ſi quis percutiat Petrum falsò putans illum eſſe Clericum, non ligatur excommunicatione, *Sanch. c. l. n. 18.*

Porrò ſi quis contrahat matrimonium cum conſanguinea in gradu Lege Divinâ, & naturali prohibito, incurritur excommunicatio, quia etſi id non exprimatur in *cit. Clement. unic.* Conſtitutio tamen pœnalis comprehendit caſum omnino ſimilem, in quo eadem, imò major eſt ratio prohibitionis, qualis hîc eſt, ſi matrimonium ſit contractum cum impedimento conſanguinitatis, vel affinitatis lege naturali interdicto, ut cum matre, vel ſorore, *Gl. hîc V. Canonicâ.* quamvis etiam dici poſſit, quòd lex Canonica prohibens inter conſanguineos matrimonium uſque ad quartum gradum lineæ tranſverſæ, *c. Non debet. 8. h. t.* comprehendit etiam primum gradum, qui lege naturali eſt vetitus, ut inter frattem, & ſororem, utpote qui intra quartum gradum continetur, adeoque etiam ille verè eſt Lege Canonicâ interdictus, *Sanch. cit. diſ. 48. n. 15.*

XLVI. Tertia conditio requiſita ad incurrendam hanc excommunicationem in *cit. Clement. unic.* eſt, ut ſcienter tale matrimohium ineatur: unde ſi ignoranter ſit initum cum prædictis impedimentis, ea non incurritur, quia in *cit. Clement.* expreſsè exigitur, ut matrimonium ſcienter contrahatur cum impedimento conſanguinitatis, & affinitatis, vel cum Monuali.

Circa quam conditionem dubitatur 1. Qualis ignorantia excuſet ab hac excommunicatione incurrenda? Plures dicunt excuſare probabilem ignorantiam facti, ſed non juris, quia hæc non excuſat, juxta *Reg. Iur. 13 in 6.* Sed verius eſt excuſare ignorantiam etiam culpabilem, non ſolùm facti, ſed etiam juris, imò & craſſam, dummodò non ſit affectata, quia hæc æquiparatur ſcientiæ, qualem habent illi, qui ſcire nolunt, quod ſcire deberent, ut liberiùs peccent, juxta illud Pſ. 35. *Noluit intelligere, ut bene ageret.* Rario eſt, quia in *cit. Clement. unic.* exigitur, ut ſcienter ineatur id matrimonium: & quotieſcunque ſcientia requiritur ad incurrendam aliquam pœnam, exigitur dolus, & mala fides, *l. Sed etſi. 25. §. Scire. ff. de petit. hæred.* ubi expreſsè dicitur, *non ſolùm, qui factum neſcit, ſed etiam qui in jure erravit, carere dolo*, ideòque non omnino ſcienter feciſſe, *Navarr. in Man. c. 27. n. 141. Covarr. in Epit. l. 4. Decret. p. 2. c. 6. n. 21. Sanch. cit. diſ. 48. n. 19. Suar. cit. diſ. 23. de cenſ. ſec. 5. n. 13. & 14.* & alii apud eoſdem. Quòd ſi alter ex conſanguineis, vel affinibus, vel Monialis ſcivit impedimentum, alter verò contrahens ignoravit, v. g. in tali gradu interdictum eſſe matri-

Digitized by Google

matrimonium, incurreret excommunicationem ſciens, non item ignorans, quia in ſcientè reperiuntur omnes conditiones requiſitæ ad illam incurrendam, *Gl. hic V. Et Moniales. Sanch. c. l. n. 19. Suar. cit. ſec. 5. num. 16.*

XLVII. Dubitatur 2. An ſi quis ignorans, & bonâ fide contraxit matrimonium cum conſanguinea, vel affine, & poſtea conſcius impedimenti nihilominus ei cohabitet, & utatur conjugio, hanc excommunicationem incurrat? Reſp. non incurrere, *Gl. hic V. Scienter. Verſ. Sed quid ſi.* Ratio eſt, quia in *cit. Clement. unic.* non punitur omnis inceſtus, vel inceſtuoſa cohabitatio, ſed ſolus contractus matrimonii, hîc autem non fit novus contractus, & per priorem non fuit incurſa excommunicatio, excuſante ab illa ignorantiâ, *Suar. cit. dif. 23. ſec. 5. n. 11. Sanch. cit. dif. 48. n. 20.* Sed neque incurrunt excommunicationem, etiamſi poſtea inter ambas copula ſit habita affectu maritali, quia licèt ante Concilium Tridentinum per talem copulam contractum fuerit, & perfectum matrimonium: non tamen nunc poſt Concilium, quia id jam ceſſavit, ac proinde hodie per talem cohabitationem, vel copulam etiam maritali affectu habitam, non perficitur matrimonium priùs ignoranter contractum, adeoque nec incurritur hæc excommunicatio, *Sanch. c. l. n. 20.*

XLVIII. Dubitatur 3. An non ſolùm in primis tribus caſibus poſitis in *princip. cit. Clement. unic.* excommunicati ſint ipſo jure, qui ſcienter cum conſanguinea, vel affine, vel Moniali matrimonium contrahunt: ſed etiam in poſteriotibus tribus caſibus, ſi Religioſi, Moniales, vel Clerici in Sacris Ordinibus conſtituti ſcienter matrimonium contrahunt, ſimiliter ſint excommunicati? Ratio dubitandi eſt, quia in primis tribus caſibus ſolùm apponitur particula *ſcienter*, quæ tamen in poſteriotibus tribus caſibus non repetitur. Sed ratio diverſitatis eſt, quia licèt quis poſſit ignorare an cum conſanguinea, vel affine, vel Moniali contrahat matrimonium, quia impedimentum provenit ex conditione alterius perſonæ, cum qua contrahitur matrimonium. In aliis verò poſteriotibus caſibus non habet locum talis ignorantia; nequit enim quis ignorare proprium ſtatum, quia tunc impedimentum conſiſtit in conditione ipſiusmet contrahentis, ſcilicet quòd ſit Religioſus, vel Monialis, vel Clericus in Sacris Ordinibus conſtitutus, & ipſe eſt, qui excommunicatur, ſi matrimonium contrahat, *Gl. in cit. Clem. un. V. Contrahentes, Sanch. cit. dif. 48. n. ult. Suar. cit. dif. 23. ſec. 5. n. 15.* ubi ait, hanc eſſe communem ſententiam. Verùm ſi adeſſet in hoc caſu probabilis ignorantia, ut ſi quis initiatus fuiſſet Sacris Ordinibus in amentia, vel dormiens, excuſaretur ab excommunicatione talis contrahens matrimonium, ut addit *Gl. cit.*

Poſtremò prædictis addendum, quòd abſolutio ab hac excommunicatione ſit reſervata Epiſcopo, ut habetur hîc in fine *junct. Gl. V. Obtinere.* Deinde per prædicta aliis juribus, quæ ſic contrahentibus alias pœnas imponunt, minimè derogatur, quæ allegantur à *Gl. hîc V. Juribus in fine.*

SECTIO III.

DE DISPENSATIONE IN IMpedimentis conſanguinitatis, & affinitatis dirimentibus matrimonium, & de impedimento publicæ honeſtatis.

§. I.

Quouſque S. Pontifex diſpenſare poſſit in gradibus conſanguinitatis, & affinitatis?

XLIX. Generatim loquendo, poteſt Summus Pontifex diſpenſare in omnibus gradibus conſanguinitatis, vel affinitatis Jure Eccleſiaſtico, ſeu Canonico ſolùm prohibitis, & dirimentibus matrimonii, ut patet ex dictis ſuprà *Tit. 1. hoc libro n. 169.* Hinc infertur 1. quòd poſſit Pontifex diſpenſare in omnibus gradibus conſanguinitatis lineæ transverſæ etiam in ſecundo, ſolo primo excepto, inter fratres, & ſorores. Neque verò obſtat, quòd aliqui gradus conſanguinitatis, vel affinitatis etiam lineæ transverſæ, ſint Divinâ Lege prohibiti, ut colligitur ex *Levit. c. 18.* ubi generaliter dicitur: *omnis homo ad proximam ſanguinis ſui non accedat, & revelet turpitudinem ejus:* at verò in gradibus Divinâ Lege prohibitis diſpenſari non poteſt, ut habetur in *c. Litteras. 13. §. Opinioni. de reſtit. ſpoliat.* Nam hoc non debet intelligi de gradibus prohibitis antiquâ Lege Moſaicâ, quæ jam eſt abolita, ſed de gradibus Divinâ Lege naturali prohibitis, juxta *Gl. ibid. V. Divinâ Lege*, videlicet inter patrem & filiam, matrem & filium, & ſecundùm probabiliorem ſententiam, inter fratres, & ſorores; etſi enim certum non ſit, an hoc matrimonium irritum ſit Jure naturali: quia tamen id eſt valdè probabile; ideo Eccleſia non ſolet unquam in illo diſpenſare, *Laym, cit. c. 6. n. 4. in fine.*

Porro quamvis Concilium Trident. *Seſſ. 24. c. 5. de reform. matr. in fine* decernat, *ut in ſecundo gradu nunquam diſpenſetur, niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſam*, ibi tamen nomine magnorum Principum, ſecundùm *Sanch. l. 8. dif. 19. n. 2.* intelliguntur etiam, & comprehenduntur Magnates, ſive magni Domini Titulares, vel magni Nobiles, qui degunt in aliquo potentatu, ſeu Baronia, & *Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 6. n. 8.* Quin etiam ſolet S. Pontifex ex benignitate diſpenſare interdum cum perſonis inferioris conditionis ob cauſam urgentem etiam privatam, cùm Concilii Trident. Decretum ipſum Pontificem non poſſit aſtringere, *Sanch. c. l. n. 4.* Ubi alias etiam cauſas recenſet, ut quia jam matrimonium contractum fuit inter aliquos ignorantes tam rigidam prohibitionem, vel proles jam ſuſcepta fuit, vel ob ſcandalum, quod ex ſeparatione oriretur, vel ob paupertatem puellæ, quam patruelis vult ducere, & honeſtè dotare &c.

L. Infertur 2. Poteſt etiam S. Pontifex diſpenſare in omnibus gradibus affinitatis lineæ transverſæ, v. g. ut quis ducat ſororem, vel conſobrinam, vel matertetam uxoris defunctæ. In affinitate verò orta ex

ta ex copula fornicaria, probabile est, dispensari posse etiam in primo gradu lineæ rectæ, ut si quis ob urgentem causam ducat filiam mulieris, cum qua fornicatus est, ut ex Rebello docet *Laym. c. l.*

Infertur 3. Difficiliùs dispensatur super impedimento consanguinitatis, quàm super impedimento affinitatis in simili gradu, *Sanch. l. 8. dis. 19. n. 7. & Laym. cit. c. 6, n. 10.* Ratio est, quia major est cõjunctio inter consanguineos, quàm inter affines: nam conjunctio consanguinitatis est prior, & magis per se, & veluti mensura affinitatis; hæc enim oritur ex eo, quòd vir, & mulier per copulam carnalem fiunt veluti una caro, ideóque omnes consanguinei unius conjugis, v. g. viri, fiunt affines alterius conjugis, sive mulieris in eodem gradu, in quo sunt consanguinei viri, ac proinde affinitas contrahitur ex consanguinitate velut priore, & radice illius. Neque obstat, quòd in *c. Æqualiter. 13. caus. 35. q. 3. & c. 1. h. t.* dicitur, *quòd æquè abstinendum sit à consanguineis uxoris, sicut à propriis.* Nam id intelligendum est, non de omnimoda æqualitate, sed de similitudinaria, quia sicut prohibitum est contrahere matrimonium viro cum propriis consanguineis, intra certos gradus, ita similiter cum consanguineis uxoris, etsi magis cum propriis, & vice versâ. Denique quò propinquior est gradus consanguinitatis, vel affinitatis, eò urgentior causa exigitur ad dispensandum, quia est strictius impedimentum, & vinculum, & major causa requiritur, ut dispensetur in linea recta, quàm in transversa, *Sanch. c. l. n. 7.*

§. II.

An in dispensatione aliquibus concessâ in linea collaterali inæquali, attendendus sit, & exprimendus gradus consanguinitatis, vel affinitatis remotior, an verò propinquior?

LI. De hac re agitur in *c. Quod dilecto. 3. h. t.* » Ubi consultus fuit Clemens III. utrùm vir, qui à » communi stipite per lineam descendentem, sexto, » vel septimo gradu distat, possit mulieri, quæ ex al- » tera parte per lineam descendentem ab eodem sti- » pite, secundo, vel tertio gradu distat, matrimonio » copulari, quia Legatus Sedis Apostolicæ permisit » hominibus illius Terræ, ut in sexto gradu possint » mattimonialiter conjungi (*c. fin. h. t.*) Idque vide- » tur fieri posse, secundùm regulam illam: *Quoto* » *gradu quis distat à stipite, tanto distat à quolibet per* » *aliam lineam descendentem ab eodem stipite.* Etsi in- » colæ illius Terræ ex consuetudine recepta (pro- » pter eum, qui est in proximiore gradu à stipi- » te, *Gl. hic V. Proximiorem*) sic conjunctos separent, » & volentes copulari prohibeant. Rescribit Pon- » tifex, indulgentiam illam Legati sic intelligendam » esse, quòd uterque eorum, qui conjungendi sunt, » distet à stipite sexto gradu: si verò alter sexto, vel » septimo gradu distet à stipite, alter autem secun- » do, vel tertio, conjungi non debent: ideóqi con- » sultius esse, ut hàc in parte multitudini, & obser- » vatæ hactenus consuetudini deferatur, quàm ut » aliud; cum scandalo populi, & quadam novitate » statuatur. »

LII. Pro explicatione hujus cap. notandum 1. Si dispensatio concedatur duobus consanguineis, ut contrahere possint matrimonium in sexto gradu aliàs prohibito; tunc spectato jure communi Canonico, si existunt in linea collaterali inæquali, & unus distat à communi stipite, seu parente in sexto, vel septimo gradu; alter verò in secundo, vel tertio gradu, ut in casu hujus cap. (idémque esset hodierno jure, si unus in tertio, vel quarto, alter verò in secundo, vel tertio gradu esset) tum computatio graduum fieri debet à remotiore, & attendi, ac exprimi debet gradus remotior, juxta *c. ult. h. t.* nisi aliud sit consuetudine introductum: tunc enim computatio fieri debet à propinquiore, & attendi, ac exprimi debet gradus propinquior stipiti, juxta præsens cap. ubi ita decisum fuit, ratione consuetudinis, quæ in eo loco vigebat, ex cujus violatione scandalum in populo oriebatur, vel timebatur, *Gl. hic V. Uterque. Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 6. §. 10. n. 12. Sanch. l. 8. de matrim. dis. 1. n. 33.* & alij apud ipsum. Quare remotâ hac consuetudine, verisimiliter S. Pontifex respondisset, secundùm regulam expressam in hoc *cap. 3. & c. fin. eod.* videlicet quòd quando dispensatur cum duobus consanguineis, ad contrahendum matrimonium, quorum unus est in remotiore gradu, alter in propinquiore, tunc remotior gradu, favore matrimonij trahit ad se proximiorem gradu: & quo gradu remotior distat à communi stipite, eodem distat à cognato, qui est propinquior communi stipiti, & illum in eodem secum gradu collocat: & ita satis esse videtur, ut remotioris tantùm gradûs mentio fiat, *Covarr. c. l. n. 12.*

LIII. Notandum 2. Antiqua consuetudo, quæ non est reprobata à Jure, si sit contraria Juri communi, vel indulgentiæ, aut dispensationi Principis, & ex ejus transgressione generaretur scandalum populi, fet vanda est: sicut enim consuetudo interpretatur legem, *c. Cùm dilectus. 8. de consuet.* ita etiam interpretatur indulgentiam, seu privilegium Principis, *Gl. hic V. Observare. & Abb. n. 3.* præsertim ne scandalum generetur.

Notandum 3. Quando in hoc cap. fit mentio de sexto, vel septimo gradu, id intelligi debet, secundùm antiquos Canones, quibus interdictum erat matrimonium usque ad septimum gradum, *c. 1. c. De consanguinitate. 17. & c. Nulli. 19. caus. 35. q. 3.* non verò secundùm Jus recentius, quo tres posteriores sunt sublati per *c. Non debet, 8. h. t.* nihilominùs tamen hodie adhuc locum habet dispositio hujus capita, ut ex dispensatione Papæ distantes in tertio, & quarto gradu, possint inter se matrimonium contrahere, *Abb. hic in fine.*

Notandum 4. Legatus Papæ, etiam de latere, non potest dispensare in gradibus consanguinitatis, vel affinitatis Jure Canonico prohibitis, sicut nec in aliis impedimentis matrimonialibus, quia circa dispensationes, ea solùm potest in Provincia sibi commissa, quæ potest Episcopus in sua Diœcesi: nam cùm Legatus, etiam de latere, sit inferior Papâ, nec generaliter, nec specialiter potest in his impedimentis di-

tis dispensare, nisi in speciali casu, ob causam urgentem, si non esset recursus ad Papam, & impedimentum sit occultum. *Sanch. l. 8. de matr. disc. 6. n. 15.* & alij apud ipsum. Unde dispensatio in hoc cap. facta est à Legato ex speciali commissione Papæ, aliàs non tenuisset, *Gl. hic V. Indulgentiam.*

LIV. Ex dictis colligitur 1. quamvis vi consuetudinis, non possint matrimonium inter se contrahere, quos lex Pontificia prohibet matrimonio copulari. *c. Quod super. 5. h. t. in fine*: potest tamen vi consuetudinis, à laicis, ut laicis, inductæ prohiberi, ac inter aliquas personas contrahatur matrimonium, ob evitandum scandalum, quamvis illi aliàs ad matrimonium habiles, & legitimi forent, juxta *c. 3. h. t.* non ex eo, quòd consuetudo prohibere possit matrimonium inter eos, quibus id Canones permittunt: sed quia cum scandalo Canones contrahere matrimonia non sinunt, *Covarr. cit. c. 6. §. 10. n. 18.*

Colligitur 2. Quando duo distant in diverso gradu consanguinitatis, vel affinitatis à communi stipite, in linea transversa inæqualis, & propinquior distet in primo gradu ab eodem stipite, tunc exprimenda est talis propinquitas, aliàs dispensatio erit subreptitia. Ut si vir velit ducere filiam avi, aut proavi sui, vel defunctæ uxoris suæ: vel mulier nubere velit filio avi, aut proavi sui, vel defuncti mariti sui, quia Pius V. in Bulla, quæ incipit, *Ascendens per quandam* anno 1566. die 26. Augusti edita, declaravit, non esse mentem Pontificis in ejusmodi gradibus dispensare, nisi exprimatur, quia hæc matrimonia continent singularem indecentiam, ob reverentiam, quæ hujusmodi personis debetur, ferè similiter, ac parentibus, *Coninc dis. 33. de Sacram. dub. 6. n. 72. Laym. cit. c. 6. n. 9.* In aliis verò gradibus remotioribus, attenditur gradus remotior, & trahit ad se propinquiorem, juxta cit. Bullam Pij V. ideóque sufficit exprimere remotiorem, obtentis tamen postea super propinquiore gradu litteris declaratoriis, *Fagn. in c. ult. n. 4. & 5. h. t.* ubi *n. 8.* addit, quòd gradus primus, non autem remotior attenditur, quoad obtinendam dispensationem matrimonialem; non autem quoad inducendum impedimentum consanguinitatis, vel affinitatis, aut publicæ honestatis; tunc enim non attenditur primus gradus, sed remotior, ut suprà dictum.

LV. Ubi præterea addendum, si gradum inæqualitas oriatur ex eo, quòd fœmina, quæ in uxorem ducenda est, sit stipiti propinquior, id quoque exprimendum est, aliàs dispensatio est subreptitia, ut si sit amita, vel matertera viri, quia tunc turpiùs videtur contrahi matrimonium, si fœmina, cui consobrinus, seu nepos ex fratre, vel sorore reverentiam deberet, ratione matrimonii inter eos initi, eidem nepoti subjecta esse deberet. *Sanch. lib. 8. disc. 14. n. 12.* ubi tamen *n. 13.* ait, in affinitate, aut publicâ honestate, hanc propinquitatem cum stipite non esse necessarium exprimere, sed satis esse inæqualitatem gradûs exprimi, *Laym. c. l.*

* * *

§. III.

An dispensatio obtenta à Papa contrahendi matrimonium inter consanguineos, in gradu prohibito, valeat, si in ea falsa causa sit expressa?

LVI. De hac re agitur in *c. Quia circa. 6. h. t.* Ubi talis casus proponitur secundùm unum intellectum, seu expositionem. Cùm quidam Nobilis contraxisset matrimonium cum quadam muliere, quæ ipsum contingebat quinto gradu consanguinitatis, de qua filiam unicam suscepit, sed postea ipsa filia mortua est: post cujus mortem, Nobilis ille supplicabat Papæ Innocentio III. ut favore filiæ, quam de illa muliere suscepit, simul remanere, & cohabitare possint, quod Papa concessit, & sic allegatâ causâ falsâ, Papa dispensavit, cùm tamen jam ante dispensationem obtentam, unica filia ex illis genita fuerit mortua. Consultus ab Episcopo loci quid hoc casu sit faciendum? Respondet Papa, dictos conjuges non esse separandos, sed posse Episcopum dissimulare, ut remaneant, & cohabitent simul in tali matrimonio, non obstante, quòd falsa causa fuerit allegata, cùm ex separatione talis matrimonii grave scandalum imminere videatur.

LVII. Duplex est intellectus, sive expositio hujus cap. apud Interpretes circa verba illa Pontificis: *dissimulare poterit, ut remaneant in copula sic contracta, cùm ex separatione, sicut asseris, grave videtur scandalum imminere.* Prior est eorum, qui ita intelligunt, ut per dissimulationem illam Pontificis dispensatio inducatur, ratione cujus conjuges illi simul manere possunt in priore matrimonio, quod invalidum erat, sed fuit cum illis dispensatum. Nec obstat *c. Cùm jam dudum. 18. de prabend.* ex quo constat, dissimulationem Principis non inducere dispensationem: nam hoc verò est, quando Princeps de facto tantùm aliquid tolerat, non puniendo illud; tunc enim per talem tolerantiam non inducitur dispensatio, ut in *cit. c. Cùm jam dudum*: aliud est, si verbis exprimat Princeps, se hoc, vel illud tolerare, tunc enim dispensat, juxta *cit. c. Quia circa.* Et ita exponit hoc cap. *Gloss. hic V. Falsa nobis causa, Abb. hic n. 5.* & alii communiter. Sed hæc expositio non videtur bona, quia hîc solùm dicitur, Episcopum dissimulare posse, ut tales remaneant in tali matrimonio per dispensationem subreptitiam contracto, si ex separatione grave immineat scandalum; ergo Papa non dispensat. Deinde etiamsi dissimulatio illa vim dispensationis habuisset, ut conjuges illi licitè permanerent in tali matrimonio, debuissent aliud matrimonium per novum consensum utriúsque inter se Inire, quia ad ratificandum matrimonium invalidum, ob impedimentum dirimens, si impetretur impedimenti dispensatio, requiritur, ut novus utriúsque contrahentis consensus accedat: quia cùm prior consensus fuerit ex parte utriúsque contrahentis invalidus, & illegitimus, quippe præsticus super materia inhabili, de-

nuo

nuo uterque tenovandus erat, ut docet *Sanch. l. 2. de matr. diſ. 35. n. 2. & diſ. 38. n. 12.*

LVIII. Altera expoſitio hujus cap. eſt, quòd conjuges, bonâ fide, exiſtimabant, ſe legitimè matrimonio conjunctos eſſe, & ex veritate detectâ timebatur grave ſcandalum: quare Pontifex ait, tacendum, & diſſimulandum eſſe: illóſque in matrimonio illo putativo, & ob invincibilem ignorantiam excuſato permittendos eſſe, *Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 6. §. 10. n. 15. Sanch. cit. diſ. 38. n. 12.* quæ expoſitio videtur magis congruere litteræ ipſius textûs, in quo de diſpenſatione nihil agitur, vel exprimitur, ſed tantùm diſſimulandum eſſe dicitur, ut illi permaneant in priore matrimonio.

LIX. Verùm quia prior expoſitio eſt communior, nempe non valere diſpenſationem obtentam à Papa ſuper matrimonio inter conſanguineos contracto, ſi in ea falſa cauſa ſit expreſſa, niſi Papa eam confirmet, prout communiter ſumatur hoc cap. ideo ſecundùm hanc expoſitionem, notandum 1. Veritas narratorum conſideranda eſt, ſecundùm tempus datæ, & impetratæ diſpenſationis: non enim ſufficit, narrata priùs fuiſſe vera, vel poſt impertationem ratificari, *Abb. hic n. 4. & Alex. de Nævo n. 4.* nam iſte impetrans habuerat filiam, ſed non habebat eam, tempore impetratæ diſpenſationis, quia tunc jam mortua erat, & ideo diſpenſatio fuit ſubreptitia, & nulla: poſito ergo, quòd verba illa *diſſimulare poteris*, habeant vim diſpenſationis: diſpenſatio autem ob expreſſam falſam cauſam, & matrimonium inde contractum non valeat, ſtolidum foret dicere, ut manerent in adulterio, *Innoc. hic in fine.* Unde verba illa *diſſimulare poteris*, quæ habent vim diſpenſationis, ſic exponenda ſunt: *ex certa ſcientia, & de noſtra licentia, quam auctoritate præſentium damus, & ſic quod nullum erat, roboramus*: nam cùm ſubreptio, cum expreſſione cauſæ falſæ, vitiet diſpenſationem ipſo facto, *c. 2. de fil. Presbyt.* ubi dicitur, diſpenſationem impetratam per ſubreptionem commiſſam in tacendo verum, eſſe ipſo jure nullam, multò magis erit nulla, ſi fuerit nulla diſpenſatio, per ſubreptionem commiſſam, exprimendo falſum, quia deteſtabilius eſt falſum exprimere, quàm verum tacere, *Abb. hic n. 4. Fagn. hic n. 2. 3. & 4.*

Notandum 2. Duæ ſunt cauſæ diſpenſandi in matrimonio contracto in gradu Jure Canonico prohibito. Prima eſt, ſi ex matrimonio ſic contracto proles ſit ſuperſtes; tunc enim in tali matrimonio favore filiorum, diſpenſatur. Altera cauſa eſt, propter ſcandalum vitandum, & ob hanc cauſam diſpenſatur, non tantùm ſuper matrimonio jam contracto, ſed etiam ſuper eo contrahendo, quia propter ſcandalum receditur à diſpoſitione Juris poſitivi. Item propter bonum pacis futurum quotidie dispenſat Papa inter conſanguineos, vel affines, *Abb. in cit. c. Quia circa. num. 2. Alex. de Nævo num. 2.*

§. IV.

De impedimento publicæ honeſtatis orto ex matrimonio rato, & nondum conſummato.

Duplex eſt impedimentum publicæ honeſtatis,

unum, quòd provenit ex ſponſalibus de futuro, de quo actum ſuprà *Tit. 1. ſic. 1. §. 6. n. 31.* & pluribus *ſeqq.* Alterum eſt impedimentum publicæ honeſtatis, quod eſt quædam quaſi affinitas, & oritur ex matrimonio rato, & non conſummato, & de hoc agitur in præſenti.

LX. ASSERTIO 1. Ex matrimonio rato, & nondum conſummato oritur impedimentum publicæ honeſtatis dirimens, etiam hodie poſt Concilium Tridentinum, mattimonium cum alterius conjugis conſanguineis, usque ad quartum gradum inclusivè, *Sanch. l. 7. de matr. diſ. 70. n. 1.* quia Concilium in hoc Juri antiquo nihil derogavit, ut expreſsè declaravit Pius V. in Bulla, quæ incipit, *Ad Romanum*, edita anno 1568. die 21. Julii. Et quamvis in Jure Canonico non ſit textus expreſſus hac de re, colligitur tamen ex illo argumento deducto à fortiori, ſeu à majore, ſi enim ex ſponſalibus oritur impedimentum publicæ honeſtatis, multò magis orietur ex matrimonio rato, quod eſt fortius vinculum, & majorem conjunctionem, ac neceſſitudinem importat, cùm vera, & propriè dicta affinitas conſurgere non poſſit, quippe quæ non contrahitur, niſi per copulam carnalem, eámque conſummatam, & perfectam, ut ſuprà dictum, *Sanch. cit. diſ. 70. n. 1.* Verùm *Coning diſ. 32. de Sacram. dub. 5. n. 58.* putat, eſſe expreſſum Jus, quo probetur, hoc impedimentum naſci ex mattimonio rato, eò quòd *c. Si quis uxorem. 14. & c. Si quis deſponſaverit. 15. cauſ. 27. q. 2.* loqnantur tam de deſponſante, per verba ſcilicet de præſenti, quàm de ſubarrhante contrahendo ſponſalia, quæ duo ibi apertè diſtinguuntur.

LXI. ASSERTIO 2. Hoc impedimentum publicæ honeſtatis etiam hodie oritur ex mattimonio rato, & nondum conſumato, usque ad quartum gradum inclusivè, etiamſi illud irritum fuerit ex quacunque cauſa: quia etſi Concilium Tridentinum *Seſſ. 24. c. 3. de reform. matr.* correxit quoad hoc, Jus antiquum in ſponſalibus de futuro: non autem in matrimonio ſic, ut præfertur, contracto: ſedin eo durat adhuc impedimentum hoc in omnibus illis caſibus, & gradibus, quibus de Jure Veteri, ante prædictum Decretum Concilii, introductum erat, ut expreſsè conſtat ex Motu proprio Pij V. ſuprà citato, & habetur apud *Sanch. l. 7. diſ. 70. n. 5.* ac proinde à ſponſalibus de futuro ad mattimonium ratum extendi non debet ejus correctio. Idque declaravit etiã S. Congregatio Cardinalium apud *Io. Gallemart in cit. c. 3. Concil. Trident.* ubi *n. 1.* ait: hoc impedimentum intelligitur etiam in ſponſalibus de futuro: ſecùs eſt, ſi matrimonium fuiſſet contractum per verba de præſenti, ut declaravit Pius V. & *n. 3.* in fine ait: *Ex matrimonio contracto per verba de præſenti etiam non conſummato oritur affinitas, vel impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis, eſſque fortius, & majus vinculum, quàm impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis ex ſponſalibus de futuro.*

LXII. Hinc Infertur 1. Quamvis *Navarr. in man. c. 22. n. 58. & Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 6. §. 2. n. 1.* aſſerant, ob paritatem rationis etiam correctionem Concilii Tridentini à ſponſalibus irritis extendi ad matrimonium irritum, ita ut hodie non contrahatur impedimentum publicæ honeſtatis ex mattimonio invalido ex alia cauſa, quàm ex defe-

Digitized by Google

&c consensûs, quam sententiam probabilem censet *Tanner. tom.4. disp. 8.q.4.dub. 6. n. 112.* quia cùm hoc sit correctum per Concilium in sponsalibus irritis, videtur quoque in matrimonio rato irrito id esse correctum; quandoquidem & olim impedimentum illud in hoc casu nonnisi ex eo colligebatur, quod de sponsalibus in simili erat constitutum in *c. un. de sponsal. in 6.* Verumramen certissimum est, ut ait *Sanch. l. 7. de matr. disp. 70. n. 5.* id non esse correctum, adeóque ex matrimonio rato irrito ex quacunque causâ, præterquam ob defectum consensûs oriri hoc impedimentum, ut constat ex Bulla Pij V. *supr. cit.* & hinc non oritur hoc impedimentum, si matrimonium sit irritum ob metum cadentem in virum constantem, adeoque ob defectum liberi consensûs: vel ob errorem personæ, quia etiam est nullum ex defectu consensûs, *Sanch. c. l. n. 9. & 10.*

Infertur 2. Nec oritur hoc impedimentum, quando matrimonium est clandestinum, quia deest præsentia Parochi, & duplicis testis; nam tale matrimonium non habet formam, & figuram matrimonii, quæ post Concilium Tridentinum est consensus præstitus coram Parocho, & testibus, & secundùm probabiliorem sententiam, nec vim sponsalium habet, *Sanch. cit. loc. n. 13.*

Infertur 3. Si Titius iniit sponsalia cum Caja, cum qua postea Sempronius frater Titii matrimonium de præsenti contraxit, non tamen consummavit, matrimonium hoc posterius Cajæ cum Sempronio est irritum, ob impedimentum publicæ honestatis, ex prioribus sponsalibus cum Titio fratre ortum. Et quamvis matrimonium irritum induxerit impedimentum matrimonii validè contrahendi ex parte utriúsque conjugis, intra quartum gradum: non tamen inducit impedimentum publicæ honestatis cum sponso, cui priùs fides data est, adeoque Titius poterit adhuc Cajam ducere (quamvis non teneatur, cùm hæc fidem sponsalium fregerit) licèt alius consanguineus Sempronii eam ducere non posset: quia posterior desponsatio de præsenti non habet vim quasi reciprocam irritandi præcedentia sponsalia, per quæ infirmatum fuit posterius matrimonium, *Sanch. l. 7. disp. 68. n. ult.* Quòd si Sempronius frater Titii postea cum Caja matrimonium consummâsset, cum neutra posset illud validè contrahere: non cum priore, ob impedimentum affinitatis consurgens ex copulâ cum sorore habitâ: non cum posteriore, ob impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus validè contractis cum ejus sorore, *Sanch. cit. disp. 68. n. 14. Tanner. cit. dub. 6. n. ult.*

Infertur 4. Si Petrus absolutè sibi desponsavit Annam, & postea carnaliter cognovit sororem ejus Barbaram, neutram potest ducere in uxorem: non primam, ob impedimentum publicæ honestatis: non secundam, propter impedimentum contractæ affinitatis cum Barbara. Similiter si Titius fornicatus est cum Caja, & postea sponsalia contraxit cum Seja sorore ejus, neutram habere potest, ob prædicta utraque impedimenta. An autem ex matrimonio raro inito sub conditione de futuro honesta, & contingenti, oriatur hoc impedimentum, tradit *Sanch. libr. 7. de matr. disp. 70. n. 20.* Porro utrumque impedimentum publicæ honestatis ortum, sive ex sponsalibus, sive ex matrimonio rato, & non consummato Jure solùm humano est introductum.

TITULUS XV.

DE FRIGIDIS, ET MALEFICIATIS, ET IMPOTENTIA COEUNDI.

I.

PRo explicatione Rubricæ hujus Tituli notandum 1. impotentia alia est ad prolis generationem, quæ si sola sit, matrimonium non impedit, nec dirimit. Alia verò est impotentia ad copulam carnalem perfectam, per quam scilicet cum penetratione vasis fœminei, intra illud semen immittitur: sive ea impotentia proveniat ex causa naturali, & intrinseca, ut frigiditate in viro, aut eriam nimiâ caliditate (ob quam, vel omnino seminate non possit, vel non possit penetrare vas fœmineum, & in illud semen immittere: vel nimis propere emittat semen, extra vas muliebre) vel id ex arctitudine fœminæ proveniat, ob quam non possit semen intra vas recipere: sive impotentia talis proveniat ex causa extrinsecâ, & accidentaria, v. g. morbo: vel proveniat ex maleficio diabolico, quod utrique sexui commune esse potest, aut ex castratione, quæ viris est peculiaris, *Sanch. l. 7. de matrim. disp. 92. num. 1.*

Notandum 2. Impotentia hæc ad copulam carnalem, alia est perpetua, alia temporalis. Perpetua dicitur, quæ atte medicâ, aut sine miraculo, vel per consueros Ecclesiæ Exorcismos, vel sine peccato, ut per illicitam incantationem, vel sine gravi periculo vitæ, aut etiam sine damno corporis alterius, tolli non potest, adeoque censetur curari non posse. Temporalis impotentia est, quæ sine peccato, aut gravi periculo, seu damno corporis, per licita, & ordinaria remedia, naturalia, vel spiritualia tolli potest, ut colligitur ex *c. Fraternitatis. 6.* ibi: *præter divinum miraculum, per opus humanum, absque corporis periculo removeri potest. h. t.* Rursus impotentia perpetua, alia est absoluta, quæ respectu cujusvis personæ impedit copulam carnalem: alia respectiva, quæ tantùm respectu certæ personæ impedit, qualis communiter est in maleficiatis, vel respectu hujus, aut illius tantùm, vel aliquorum similium, *Sanch. c. l.* Denique alia impotentia ad copulam præcedit matrimonium, alia sequitur, & supervenit.

§. 1. *Qui-*

Digitized by Google

§. I.

Quinam ſint impotentes ad matrimonium contrahendum, vel non?

II. De his agitur in *c. Quòd Sedem. 2. h.t.* Ubi » generatim dicitur: ſicut puer, qui non poteſt red- » dere debitum (conjugale) non eſt aptus conju- » gio: ſic qui impotentes ſunt (ad copulam carna- » lem) minimè apti ſunt ad contrahendum matri- » monium. Ubi notandum 1. Varii ſunt modi impotentiæ ad copulam, tam ex parte viri, quàm mulieris. Nam primò quædam eſt ſimpliciter talis, ut notat *Tanner. tom. 4. diſ. 8. q. 4. dub. 8. n. 133.* tum ex parte viri, quando intra vas naturale mulieris ſeminare non poteſt, licèt fortè id perrumpere valeat, ut ſit quandoque in ſpadonibus, & Evnuchis; vel etiam extra illud, ſine penetratione ſemen emittere: tum etiam ex parte mulieris, ſi tam arcta ſit, ut ſemen virile nullo modo poſſit recipere. Alia eſt impotentia ſecundùm quid, quando vir ob debilitatem non poteſt penetrare vas naturale fœminæ, licèt poſt apertum clauſtrum virginale, in eo poſſit ſeminare: ex parte fœminæ verò, quando ſeminare non valet, vel ob ejus arctitudinem à viro defloràri non poteſt, licèt ea alioquin apta ſit ad concubitum cum viro. Aliqui tamen aliter hanc utramque impotentiam explicant.

Notandum 2. Impotentia ex parte cauſæ, ex qua oritur, eſt triplex, quædam oritur ex naturali conſtitutione, ſeu complexione, quæ in viris propriè dicitur frigiditas, & in fœminis arctitudo: quædam provenit ex accidente extrinſeco, nempe per ſectionem, vel abſciſſionem membrorum genitalium, vel ex maleficio Diabolico, *Tanner. c. l. num. 135.*

III. Hinc ſequitur 1. Evnuchos, ſeu ſpadones, qui à natura carent utroque teſticulo, & caſtrati, qui ex accidenti habent hoc vitium, non poſſe validè contrahere matrimonium, quia non poſſunt emittere verum ſemen, pro quo citatur propria Bulla Sixti V. anno 1587. edita, apud *Sanch. l. 7. de matr. diſ. 92. n 17.* Neque etiam ſatisfacere poſſunt fini ſecundario matrimonii, qui eſt remedium concupiſcentiæ, quia hoc eſt finis matrimonii habitum non per quamcunque copulam, ſed per copulam ſuâpte naturâ aptam ad generationem.

Sequitur 2. Hermaphroditos validè contrahere poſſe matrimonium, ita ut in quibus prævalet ſexus vitilis, cum fœminis: in quibus ſexus fœmineus, cum viris contrahere poſſint, quia ſunt verè potentes ad uſum matrimonii, & matrimonium, juxta alium ſexum, contractum jure naturæ irritum foret, quia inter perſonas ejusdem ſexûs initum eſſet; ſi enim prævaleat ſexus fœmineus, reputatur fœmina, & tamen ducit fœminam, ac ſi vir eſſet: & ſi prævaleat ſexus virilis, reputatur vir, & tamen inſtar fœminæ nubit viro. *Sanch. l. 7. diſ. 106. n. 4. & 5.* Quòd ſi uterque ſexus in hermaphrodito eſt æqualis; tunc talis æquè vir, ac mulier eſt judicandus, cùm nulla ratio urgeat, ob quam magis hujus, quàm illius ſexûs eſſe cenſeatur. Quare tunc eligere poteſt, juxta qualem ſexum matrimonio jungi velit, num tanquam vir, an tanquam fœmina, quâ electione ſemel factâ, non poteſt poſtea altero ſexu uti, *Sanch. c. l. n. 1.* Judicium verò, quis ſexus prævaleat, eſt penes Matronas peritas, vel Medicos, *Sanch. c. l. num. 2.*

IV. Sequitur 3. Senes etiam decrepitos poſſe inire matrimonium, ſi nullo alio impedimento, præter ſenectutem, laboreat, tum quia poſſunt exercere perfectum actum conjugalem, & verum ſemen emittere intra vas, etſi peraccidens impeditum, & infœcundum: tum quia defectus caloris poteſt arte medicâ in iis ſubinde reſtaurari, ita ut etiam prolem interdum ſuſcipiant: tum denique quia id ſatis uſus probat Eccleſiæ admittentis ſenes paſſim ad matrimonia ineunda, idque in humanitatis ſolatium, *c. Nuptiarum. 41. cauſ. 27. q. 1. Sanch. l. 7. diſ. 92. n. 19.* ubi tamen *n. 24.* id limitat, niſi ſenes ſint adeo exhauſti, ut omnino impotentes ſint ad habendam copulam, nec judicio Medicorum juvari poſſint, cùm nihil referat, ſive ex natura, ſive ex accidenti, impotentia perpetua conſurgat; tales enim non poſſunt ad copulam ſibi impoſſibilem obligari.

Sequitur 4. Steriles quoque validè contrahere matrimonium, ut probat etiam uſus Eccleſiæ in ſenibus, quorum ſemen eſt ut plurimùm ſterile. Ratio eſt, quia licèt tale matrimonium fruſtretur fine primario, qui eſt prolis generatio, adhuc tamen obtinet finem ſecundarium, qui eſt remedium concupiſcentiæ, interveniente verâ copulâ, *Sanch. c. l. num. 26.*

V. Sequitur 5. Mulieres, quæ non poſſunt parere, ſine vitæ periculo, vel nonniſi fœtum mortuum, validè contrahere matrimonium, ſi aliàs aptæ ſint ad copulam, quia adeſt obligatio, & traditio poteſtatis corporum ad copulam perfectam, adeoque tota eſſentia matrimonii. Et quamvis mulieri ſcienti hunc defectum in patiendo illicitum ſit nubere, ob vitæ periculum, quod vitare tenetur, ſi commodè poteſt (niſi graves pateretur tentationes carnis, præſertim cum periculo iis ſuccumbendi, *Coninc diſ. 31. de Sacram. dub. 7. n. 86.*) non tamen ideo irritum eſt matrimonium, quia ſatis eſt, copulam ſecundùm ſe, & ſuâpte naturâ eſſe licitam, tametſi ex aliquo accidenti fiat illicita, ut patet in eo, qui voto caſtitatis ligatus contrahit matrimonium, *Sanch. cit. diſ. 92. n. 28.* ubi tamen etiam oppoſitam ſententiam fatetur probabilem. Neque tali caſu fit injuria proli, quæ mortua edenda putatur, quia hoc eſt præter intentionem conjugum, quæ jure ſuo utuntur, *Coninc c. l. n. 85.*

VI. Sequitur 6. Etiam in articulo mortis conſtitutum poſſe contrahere matrimonium, quia potentia generandi adhuc perſeverat, etſi ſit pro hoc tempore peraccidens impedita, ut in actum deduci non poſſit. Idque confirmatur ex uſu Eccleſiæ, quæ permittit, ut quis in hoc articulo ducat concubinam: & quia propoſitum evitandi generationem, & debitum non reddendi non irritat matrimonium, ſi in pactum non deducatur, *Sanch. l. 7. diſ. 105. n. 3.*

* *

Digitized by Google

§. II.

An, & qualis impotentia coëundi dirimat matrimonium?

VII. Assertio 1. Impotentia perpetua ad copulam, & generalis respectu omnium, quæ arte medicâ, sine miraculo, aut peccato, aut gravi corporis periculo, vel damno, tolli non potest, sive ex natura, sive ex alia extrinseca causa oriatur, si præcedat matrimonium, dirimit illud jure naturæ, *Sanch. l. 7. de matr. disp. 92. n. 2. & disp. 98. n. 2.* Ratio est, quia de intrinseca ratione, & essentia matrimonii est obligatio, seu traditio potestatis corporis ad usum, seu copulam conjugalem, at qui absolutè, & perpetuò impotens est ad copulam, non potest se obligare ad dandum, vel tradendum corpus potens ad copulam, impossibilium enim nulla est obligatio, *Reg. 185. ff. de R. Jur.* & nemo potest alteri tradere potestatem ejus rei, quam nullo modo habet, *Reg. Jur. 80. in 6.* quæ ratio etiam probat, per hujusmodi impotentiam ad copulam, jure naturali dirimi matrimonium.

VIII. Porro quod dictum est, impotentiam perpetuam ad copulam conjugalem dirimere matrimonium subsequens, id extenditur, ut procedat, sive ea perpetua impotentia in contrahentibus cognita fuerit, sive ignorata, ita ut in utroque casu matrimonium sit irritum, quia ea conjunctio repugnat mutuæ corporum traditioni ad usum conjugalem, in quo essentia matrimonii consistit, cùm enim usus ille sit impossibilis, non potest dari obligatio ad illum, ex verissima sententia apud *Sanch. l. 7. de matr. disp. 97. n. 2.* Et hinc si quis scienter contrahat matrimonium cum muliere arcta, vel aliàs impotente ad copulam, separati quidem non debent, matrimonium tamen irritum est, prout statuitur in *c. Consultationi. 4. h. t.* Ubi cùm Lucius III. consultus fuisset, utrùm si fœminæ clausæ, sive impotentes, ut commisceri maritis nequeant, possint matrimonium contrahere? Respondet Papa, quòd licèt videatur incredibile, quòd aliquis cum talibus contrahat matrimonium, Ecclesia tamen Romana consuevit in similibus judicare, ut si non possint eas habere ut uxores, habeant ut sorores.

IX. Notandum 1. Impotentia perpetua utriusque conjugi nota dirimit matrimonium cum omnino impotente ad copulam, quia non potest consistere validum matrimonium, quando cessat causa institutionis matrimonii, eò quòd nec propter spem prolis, nec ad evitandam fornicationem, potest dici tale matrimonium contrahi; ideóque si potens, qui priùs scienter cum impotente contraxit matrimonium, postea contrahat cum alia, hoc cum secundâ initum tenet, quia prius ipso jure nullum fuit, non obstante obligatione ad cohabitandum cum prima, tanquam cum sorore: sicut qui contraxit sponsalia cum minore septennio, licèt sit obligatus exspectare, donec perveneritad majorem ætatem, seu pubertatem, si tamen cum aliâ matrimonium iniit, hoc tenet, *c. De illis. 7. de desponſ. impub.* Præterea tenetur is, qui scienter contraxit matrimonium cum impotente, semper illam alere. Quòd si periculum sit fornicationis, ex parte potentis, potuerit Ecclesia illi dare licentiam cum alia contrahendi matrimonium, cùm prius matrimonium non fuerit validum, ita tamen ut obligatus sit subministrare priori impotenti necessaria alimenta, *Abb. hic n. 2. Alex. de Nevo n. 2. & 3.*

Notandum 2. Quando in hoc cap. dicitur, *ut tales, quas non possunt habere tanquam uxores, habeant ut sorores*; id ita intelligendum est, quod castè vivere debent simul commorando, tanquam frater, & soror, abstinentes ab omni carnali commercio, seu opere, sicut veri conjuges possunt promittere continentiam, & sic simul commorari; quod verum est, quando quis scienter contrahit cum impotente: secùs si ignoranter, quia tunc non tenetur illam habere sororis loco, sed licitè potest petere separationem matrimonii, saltem quoad torum, ut docent communiter DD. apud *Alex. de Nevo hic n. 2. & 5.*

X. Assertio 2. Impotentia perpetua, sed respectiva tantùm ditimit matrimonium cum iis, respectu quorum est, non autem respectu aliorum, *Sanch. l. 7. de matr. disp. 93. n. 3.* Ratio est, quia matrimonium respicit individuam, & determinatam personam, cum qua matrimonium ineundum est: si ergo quis respectu hujus, vel illius personæ sit impotens, respectu aliarum verò potens, non erit possibilis obligatio ad copulam cum hâc, vel illâ certâ personâ, erit verò possibilis cum aliis; ergo non poterit contrahere matrimonium cum illa certa persona, poterit verò cum aliis, respectu quorum nulla est ratio dirimendi illud.

XI. Assertio 3. Temporalis impotentia, quæ per licita, & ordinaria media, sive spiritualia, sive naturalia, tolli potest, non dirimit matrimonium subsequens, *c. Fraternitatis. 6. Verſ. Quamvis igitur. h. t. Tann. cit. disp. 8. q. 4. dub. 8. n. 140.* Ratio est, quia tales non sunt absolutè impotentes ad actum conjugalem, ad quem se mediatè obligant, sed tantùm ad tempus, ergo possunt in ordine ad illum actum, potestatem sui corporis tradere: & quamvis omnino, ac perpetuò inhabilis ad solvendum, sit etiam inhabilis ad promittendum: potest tamen, qui in præsenti solvendo non est, ad solvendum se obligare, si spes sit fore in futurum solvendo.

XII. Assertio 4. Si mulier, quæ cum perpetua impotentia contraxit matrimonium, postea per miraculum sanetur, matrimonium prius nihilominùs est irritum, nisi per novum consensum cum illa denuo contrahat. Aliud est, si mulier per maleficium sit reddita impotens, & per ordinarios Ecclesiæ Exorcismos, postea sanetur: nam hoc ipso tunc apparet, temporalem tantùm fuisse impotentiam, & matrimonium ab initio fuisse validum, *Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 11. n. 2.*

§. III.

Referuntur, & explicantur varii casus in ſpecie, in quibus propter impotentiam coëundi, matrimonium diſſolvitur, vel ſeparatur, aut non ſeparatur.

XIII. De his agitur in pluribus capitulis hujus Titu-

Digitized by Google

Tituli. Et inprimis in *c. Accepisti. 1. h. t.* refertur, quòd cùm quidam accepisset aliquam in uxorem, eique per menſem, vel per tres, vel etiam per annum cohabitâſſet, aſſeruit, ſe frigiditate naturæ impediri, quominùs poſſit illam, vel aliam mulierem cognoſcere, ideóque petebat ſe ab illa ſeparari. Unde hîc ſtatuitur, quòd ſi ipſa mulier idem affirmat, idque probari poteſt per rectum, & verum judicium (quod quale ſit, infrà dicetur) ſtatim à ſe invicem ſeparari debent, ita tamen ut ſi vir aliam poſtea in uxorem duxerit, reus ſit perjurii (quia vinculum matrimonii Jure Divino eſt indiſſolubile, *Matth. c. 19.*) & ad priorem uxorem, poſt peractam pœnitentiam, redire debeat. Si verò ipſa prior uxor poſt annum, & dimidium, ad Epiſcopum, vel ejus Miſſum, ſive Officialem provocavit, dicens, quòd eam vir ſuus non cognoſcere potuit: hic verò id neget, & contrarium afferat, ei credendum eſt, cùm ſit Caput mulieris, cur enim ipſa tamdiu tacuit, cùm facilè, & intra breve tempus, ſcire potuerit, an ſit aptus ad copulam. Potro ſi prior uxor ab initio poſt menſem, vel duos, proclamavit ad Epiſcopum, dicens virum eſſe frigidum, ſeu impotentem, idque probari poſſit per rectum judicium, ſeparari poteſt, ipsáque ſi velit, alteri nubere.

XIV. Pro declaratione hujus cap. notandum 1. Vir poteſt proclamare, & petere ſeparationem matrimonii, propter impedimentum impotentiæ, etiam ex ſua perſona proveniens, intereſt enim ſui, ut ſeparetur, ſi non eſt verum matrimonium inter eos, ne teneatur ad onera matrimonii, *Alex. de Nevo hîc num. 1.*

Notandum 2. Si mulier fateatur impedimentum impotentiæ, & vir neget, nec illa ab initio proclamavit contra matrimonium, non eſt audienda, ſed fides habenda viro aſſerenti, ſe conſummâſſe matrimonium, prout ſumitur ex hoc cap. ubi duplex ratio redditur, quia tunc duæ præſumptiones concurrerunt contra mulierem, una, eò quòd tardè proclamavit: altera, quia vir, qui ejus caput eſt, affirmat, ſe illam cognoviſſe, ideóque ipſi potiùs credendum, *Abb. hic n. 5. & Alex. de Nevo n. 7. in fine, Sanch. l. 7. de matr. diſ. 109. n. 2.*

Notandum 3. Si mulier, quæ tempore matrimonii virgo erat, ſtatim, id eſt, poſt menſem, vel bimeſtre, reclamet, allegando impotentiam viri, audiri debet, quamvis vir illam neget, & ſi illa probetur per rectum judicium, diſſolvetur matrimonium, prout expreſsè habetur in *cit. c. 1. h. t. Sanch. c. l. n. 16.* quæ ex infrà dicendis magis patebunt.

Notandum 4. Soli confeſſioni mariti, & uxoris aſſerentium impotentiam non ſtatur, nec creditur contra matrimonium, ſed alia probatio requiritur, ut poſſit fieri ſeparatio. *Alex. de Nevo hîc n. 3.* de quo infrà. Ratio eſt, quia diſſolutio matrimonii ſemel contracti non pendet ex voluntate contrahentium: creditur autem viro, & mulieri, ſi ſtent, ſeu confiteantur pro matrimonio inter ſe contracto, *c. 2. de clandeſt. deſponſ.*

Neque verò obſtat, quod in *c. Laudabilem. 5. h. t.* ad cognoſcendam frigiditatem requiritur triennium cohabitationis inter conjuges, quo tranſacto, per juſtum judicium ſeparatur matrimonium: in hoc autem *c.* ſeparatio fieri poteſt, vel ſtatim, vel non multò poſt. Nam prius cap. loquitur de caſu, quo nulla extant ſigna urgentia frigiditatis in viro; tunc enim opus eſt triennio cohabitationis inter conjuges; at verò quando præter confeſſionem conjugum, adſunt urgentia indicia frigiditatis; tunc poſſunt conjuges ſtatim, ante lapſum triennii, à ſe invicem ſeparari, dummodo juramento ſuo, & propinquorum id confirment, *Abb. hic num. 5.* prout mox magis declarabitur.

XV. Secundò in *cit. c. Laudabilem. 5. h. t.* cùm quæſitum fuiſſet ex Cæleſtino III. quantum tempus dandum ſit frigidis ad experiendum copulam conjugalem, is reſpondit, ut à tempore celebrati conjugii, ſi frigiditas priùs probari non poſſit, cohabitent per triennium, dando operam carnali copulæ: quo elapſo, ſi ſimul cohabitare noluerint, juxta Decretum Gregorii (ad Joannem Ravennatenſem Epiſcopum, & habetur in *c. Quod autem. 1. cauſ. 33. q. 2.*) & mulier per juſtum judicium (id eſt, per teſtes, vel aſpectum corporis, *Gl. hic V. Juſtum*) de viro probare potuerit, quòd cum ea coire non poſſit, nubat alij: quòd ſi ipſe vir accepit aliam, ſeparentur (propter naturalem frigiditatem, ſecùs ſi propter maleficium, *c. ult. cit. cauſ. 33. q. 1. Gl. hic V. Separentur*) Si verò ambo ſimul conſentiant, vir eam, etſi non ut uxorem, ſaltem ut ſororem habeat. Sin autem ambo confiteantur, quòd nunquam ſe invicem cognoverint, tum ſeptima manu propinquorum (*c. 2. cit. cauſ. & q.*) vel vicinorum bonæ famæ, ſi propinqui deficiant, tactis SS. Evangelijs, uterque juret, quòd nunquam una caro per copulam carnalem effecti fuerint: & tunc mulier poteſt ad ſecundas nuptias tranſire. Verùm ſi vir aliam duxerit, tunc hi, qui juráruntſcilicet vir & uxor) rei perjurii tenentur, & peractâ pœnitentiâ, cogendi ſunt redire ad priùs connubium, ſi propter frigiditatem ſunt ſeparati, *Gl. fin. hîc.*

XVI. Pro explicatione hujus cap. notandum 1. quando non conſtat de impedimento frigiditatis, vel alterius ſimilis impotentiæ, & ſtatim per ſigna urgentia, & certa probari non poteſt; tunc requiritur triennalis cohabitatio conjugum, quamvis uterque conjux fateatur ſe impotentem, juxta *cit. c. Laudabilem.* ubi Pontifex generaliter declarat, quantum temporis ſpatium concedendum ſit conjugibus ad veritatem frigiditatis dubiæ cognoſcendam, ut patet ex quæſtione Pontificis ibi propoſitâ; nam ex confeſſione etiam utriúſque conjugis non verè poteſt conſtare, an ſit naturalis, & perpetua, an verò ſolùm accidentalis, & temporanea impotentia, adeoque exſpectari debet per triennium, ut ex temporis curſu veritas appareat, *Sanch. l. 7. de matr. diſ. 108. n. 5.* At verò ſi de impedimento frigiditatis, vel alterius impotentiæ clarè conſtet, ut quia verè habet membrum aridum, vel ſectum; tunc non eſt opus, ut conjuges cohabitent per triennium, ſed ſtatim poſſunt ſeparari, & declarari matrimonium nullum, juxta *c. 1. h. t.* & ita huic non contradicit *cit. c. Laudabilem.*

Notandum 2. In impedimento frigiditatis triennium hoc computatur à die copulæ attentatæ; nam quamvis in ipſo textu dicatur, *à tempore celebrati conjugii cohabitent per triennium*, ibi tamen ſupplendum,

& ac-

& copulæ attentatæ, quia conceditur ad explorandam conjugis potentiam, *Sanch. l. 7. diſ. 110. n. 1. & 4.* non autem requiritur, ut hoc tempus triennii ſit ita continuum, ut præſumpti conjuges die, noctéque cohabitent, ſed ſufficit, ſi majore anni parte, quia id moraliter, & civiliter accipi debet, prout ſubjecta materia poſtulat. *Sanch. cit. l. 7. diſ. 111. n. 2.*

XVII. Notandum 3. Ultra triennium illud, & juramentum utriúsque conjugis fatentis impedimentum, tequiritur, ut ſeptima manus propinquorum juret, vel vicinorum bonæ famæ, ſi propinqui defuerint; nam hujuſmodi juramentum exigitur, quia poſſet eſſe colluſio inter conjuges, & ut adhibitâ cautione diligentiâ matrimonium diſſolvatur, *Sanch. l. 7. diſ. 108. n. 7.* Debent autem, ſi uterque conjux fateatur impedimentum impotentiæ, cujuslibet conjugis ſeptem conſanguinei jurate, vel in defectum eorum, ſeptem vicini, adéoque XIV. *Alex. de Nevo in cit. c. Laudabilem, n. 6. Sanch. c. l. n. 11.* ubi *n. 12.* addit, ſi tot teſtes haberi nequeunt, ſufficere pauciores, arbitrio Judicis, & ſi deſint conſanguinei & vicini, aſſumi debent alii teſtes bonæ famæ, & omni exceptione majores. Requiritur etiam, ut uterque conjux, tactis SS. Evangelijs, juret, quòd nunquam per carnis copulam una caro ſint effecti, ut habetur in fine *cit. c. Laudabilem.* quamvis de conſuetudine hoc juramentum ſuper Cruce præſtetur, *Sanch. c. l. in fine.*

Notandum 4. Dictum jutamentum diverſimodè debet præſtari ab ipſis conjugibus, & à propinquis; nam conjuges debent emittere juramentum de certa ſcientia, nempe quòd bonâ fide, & abſque dolo per triennium operam dederint copulæ, nec conſummare potuerint. At Conſanguinei de ſola credulitate jurare debent, nempe quòd veriſimiliter exiſtiment, conjuges verum dicere. Ratio diverſitatis eſt, quia ipſis conjugibus conſtare poteſt, ſe non potuiſſe conſummare matrimonium, non item conſanguineis, *Gl.* communiter recepta in *cit. c. Laudabilem. V. Uterque*, *Sanch. cit. diſ. 108. n. 15.* Quamvis autem poſtea vir ille reperiatur non eſſe frigidus, ſeu impotens, non tamen conſanguinei cenſendi ſunt perjurii rei, quia non de certa ſcientia, ſed de ſola credulitate jurârunt. Unde cùm in *cit. c. Laudabilem.* indefinitè dicitur, eos, qui jurârunt, reos eſſe perjurii, id intelligi debet de ſolis conjugibus, viro, & uxore: non autem de conſanguineis Computgatoribus, ſi bonâ fide jurârunt, *Gl. ibid. V. Hi qui*, *Sanch. c. l. n. 17.*

XVIII. Notandum 5. Si vir reputatus frigidus aliud ineat matrimonium, ipſi conjuges rei ſunt perjurii, ut expreſsè deciditur in *cit. c. Laudabilem*, in fine, quia vir non ſolùm jurare debet, ſe id matrimonium non potuiſſe conſummare cum hac fœmina, ſed neque cum alia, & eſſe ſimpliciter impotentem. Idéque etiam conſtat ex *c. 1. h. t. in princ.* ex illis verbis: *Et nunc primùm dixiſti, te eſſe frigidæ naturæ, ita ut non potuiſſes coire cum illa, nec cum aliqua alia.* Ideóque meritò poſtea, cognitâ potentiâ viri, poſt initum cum alia matrimonium, rei perjurii arguuntur. Et hæc eſt præſumptio juris, & de jure, contra quam non admittitur probatio in contrarium; ſed cenſetur ex odio, ac mala fide negata eſſe potentia ad coitum, ad diſſolvendum prius matrimonium, eo ipſo, quòd conjux reputatus frigidus aliud matrimonium iniit. ut docet *Gl. in c. Requiſiſti. 2. V. Patet. cauſ. 33. q. 1. Sanch. diſ. 108. n. 16. & 18.*

XIX. Notandum 6. Si ob frigiditatem viri ſit diſſolutum matrimonium, & is ad aliud tranſeat, ſtatim hoc poſterius matrimonium diſſolvendum eſt, abſque alia probatione. Ratio eſt: tum quia cùm vir ille per ſententiam Eccleſiæ ſit declaratus frigidus, præſumptio inhabilitatis ad matrimonium ſtat contra illum. Tum quia ſive ſit verè frigidus, ſive non, poſterius matrimonium eſt nullum: nam ſi verè eſt frigidus, illud eſt invalidum propter impedimentum frigiditatis: ſi autem non eſt frigidus, obſtabit prius matrimonium, quod per falſam probationem frigiditatis diſſolutum fuit, *Alex. de Nevo in cit. c. Laudabilem. n. 15. & 16. h. t. Sanch. l. 7. diſ. 99. n. 6.* ubi addit, ſi tempore, quo frigidus iſte ad alias nuptias tranſit, prior uxor obierat: nihilominùs tamen ſtatim ſeparandus eſt à poſteriore matrimonio, donec probet, ſe potentem eſſe, & Eccleſiam fuiſſe deceptam, quia interim præſumptio impotentiæ ſtat contra ipſum. Ut autem reſtauretur prius frigidi matrimonium tanquam validum, non ſufficit, nec requiritur frigidum ad alias nuptias tranſiſſe, ſed legitimè probari debet, eum poſterius matrimonium conſummâſſe, aut aliàs fornicatum fuiſſe, *Sanch. c. l. n. 7.* Ex quo infert *n. 8.* prius illud matrimonium non eſſe inſtaurandum, donec legitimè probetur poſterioris conſummatio, vel alia copula fornicaria, apud quem plura de hoc videri poſſunt.

XX. Notandum 7. Si puer XIV. anno completo, vel fœmina XII. adhuc ſint impotentes ad copulam, exſpectandum eſt, non per triennium, ſed uſque ad plenam pubertatem, quæ in fœminis contingit XIV. ætatis anno, & in viris XVIII. *l. Arrogatio. 40. §. 1. ff. de adopt. & §. Minorem, Inſtit. eod.* Nec refert, quòd in *cit. c. Laudabilem*, triennium experientiæ generaliter præſcribatur. Nam id procedit, quando ex frigiditate, aut alio impedimento conjectari poteſt, impotentiam oriri; tunc enim meritò ex cohabitatione triennii Eccleſia præſumit tale impedimentum eſſe perpetuum. At verò quando poteſt præſumi impotentiam provenire ex imbecillitate ætatis, tunc æquitas ſuadet, eam ætatem eſſe exſpectandam, in qua perfectum robur comparat natura, *Sanch. l. 7. diſ. 104. n. 18.*

§. IV.

Continuatur eadem materia.

XXI. Præterea in *c. Ex litteris. 3. h. t.* talis caſus proponitur. Cùm quidam XVI. annorum, quandam XIII. annorum in uxorem duxiſſet, iſque debitum reddere non poſſet: mulier tam gravem contraxit infirmitatem, ut omnino viro ſit facta inutilis, ita ut vir eam cognoſcere non poſſet. Conſultus Pontifex Alexander III. reſpondet, ſi vitium illud mulier à natura contraxit, nec ope Medicorum ei ſubveniri poſſit, viro danda eſt facultas aliam accipiendi.

Hinc aliqui probate volunt, per impotentiam, quæ

quæ ſupervenit matrimonio rato, & nondum conſummato, illud dirimi, quia Alexander III. in hoc cap. fecit facultatem cuidam ineundi aliud matrimonium, cujus uxor, ante conſummationem, reddita fuit inepta ad copulam. Verùm hîc eſt ſermo de impotentia, quæ præceſſit matrimonium, ut conſtat ex illis verbis: *ſi mulier vitium illud à natura contraxit, quia v. g. arcta erat, Gl. hîc V. Contraxit. & V. A natura, Sanch. l. 7. diſ. 102. n. 4.* Idque probatur ex *c. Hſi qui. 25. cauſ. 32. q. 7.* ubi generaliter dicitur, ob nullam infirmitatem, vel aliam impotentiam ſupervenientem conjugia ſolvi poſſe, & in *c. Si uxorem, 18. cauſ. 32. q. 5.* dicitur, retinendam eſſe uxorem antea ductam, ſterilem, ſurdam, vel deformem corpore, cæcam, clandam, vel ſi quid aliud cogitari poteſt horribile &c. ſi ergo rerinenda eſt uxor, non obſtante quocunque corporis incommodo ſuperveniente, ergo etiam ſuperveniente impotentiâ ad copulam, cùm ita univerſaliter textus ille loquatur, *Sanch. cit. diſ. n. 3.* Idque confirmatur, quia ex receptiſſima ſententia, matrimonium ratum fidelium per ſolam Profeſſionem Religioſam certò diſſolvitur, & probabiliter etiam per diſpenſationem S. Pontificis, *Sanch. c. l.* & aliſ apud ipſum. Non obſtat *c. Quod propoſuiſti. 18. cauſ. 32. q. 7.* ubi Gregorius III. conceſſit cuidam licentiam tranſeundi ad aliud matrimonium, propter impotentiam perpetuam ſupervenientem priori uxori. Nam prior non fuit legitima uxor ob impedimentum perpetuum, idque ſolùm declaravit ibi Pontifex, *Sanch. l. 7. diſ. 80. n. ult. in reſponſ. ad 5.*

XXII. Porro ſi de impotentia ſuperveniente matrimonio certò conſtat, eam eſſe perpetuam, illicita eſt conjugibus talibus copula conjugalis, quamvis tactus ijs ſint liciti, abſque periculo tamen pollutionis, *Sanch. l. 9. de matr. diſ. 17. n. 20. & 21.* Ratio prioris eſt, quia copula conjugibus poſt matrimonium contractum ſolùm licita eſt intra vas legitimum, ergo ſi hæc fir impoſſibilis, quia fœmina ita arcta eſt, ut ſemen recipere non poſſit, non erit licita. Ratio poſterioris eſt, quia cùm tales ſint veri conjuges, tactus mutui, citra pollutionis periculum, non ſunt illis prohibiti, etſi enim hujuſmodi tactus referri non poſſint ad copulam, tamquam illis incompoſſibilem: poſſunt tamen fieri ad concupiſcentiam carnis ſedandam, & ad exhibenda mutui amoris ſigna, *Sanch. c. l. n. 20.* Quòd ſi de impotentia ſuperveniente matrimonio ſit dubium, an ſit perpetua, an verò ſolùm temporalis, licitum eſt conjugibus conari ad copulam, quamdiu probabilis ſpes eſt ſeminandi intra vas, quamvis peraccidens, & præter intentionem, extra vas ſemen effundatur, *Sanch. c. l. n. 22.* Ratio eſt, quia tales conjuges dant operam rei licitæ, procurando copulam ſibi poſſibilem, & permiſſam: & ſi id licitum eſt, ſi impotentia præcedat matrimonium, adeoque dubius ſit matrimonii valor: multò magis id licebit, quando impotentia ſubſequitur matrimonium, & hujus valor certus eſt. Sed quid dicendum, ſi dubiretur, utrùm impotentia præceſſerit matrimonium, adeoque hoc ſit nullum; an verò ſubſecuta ſit, & matrimonium ſit validum. Valde probabile eſt, præſumi poſſe, quòd anteceſſerit, ſi nunquâ copula haberi potuerit, nec aliunde conſtet de impotentia, nec probari poſſit; quo tempore ſit contracta, *Leym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 11. n. 3. in fine.*

XXIII. Quartò in *c. Fraternitatis. 6. h. t.* refertur, quòd quædam mulier contraxit matrimoniũ cum quodam viro, & cum eo per multos annos habitavit, nec potuit ab eo carnaliter cognoſci. Archipresbyter Altiſſiodorenſis cauſam detulit ad Epiſcopum ſuum, qui volens ſuper eo negotio veritatem inquirere, quaſdam matronas ſuæ Parochiæ, providas, & honeſtas ad ſe vocavit, diſtrictè (per juramentum, *Gl. hîc V. Diſtrictè*) illis injungens, ſub periculo animarum, ut ipſam mulierem inſpicerent, utrùm eſſet idonea ad copulam conjugalem, quæ tandem eâ inſpectâ dixerunt, quòd nunquam poterit eſſe mater, aut conjux, & ideo divortium inter ipſam, & virum promulgavit, mulierem inducens, ut Religionem intraret, perpetuam continentiam ſervatura: viro autem licentiam dedit aliud matrimonium ineundi, qui cum alia contraxit, Sed poſtmodum illa mulier fuit ab alio carnaliter cognita, rejectâ continentiâ, quam promiſit, & cuidam G. nomine nupſit: Epiſcopus verò Altiſſiodorenſis negotium hoc ſignificavit Innocentio III. Reſcribit Papa eidem, quòd ſemiplenè ei expreſſit, quomodo dicta mulier promiſerit, ſe continentiam ſervaturam, utrùm ſimplici verbo, an per votum ſolemne, & utrùm tranſierit ad Religionem, ſicut promiſit, an non: nec dixit etiam, qualiter cognita fuerit, utrùm arte Medici, ſeu concubitu viri, vel alio modo. Unde Papa conſiderans, quòd impedimentum illud non erat perpetuum, quod præter Divinum miraculum, humanâ ope, abſque corporali periculo remotum fuerit, ſententiam divortij per errorem, licèt probabilem, latam fuiſſe invenit, quia ex poſtfacto apparet, quòd mulier illa cognoſci potuit à viro illo (ſcilicet primo, à quo fuerat ſeparata) cujus ſimili potuit commiſceri, & ideo inter ipſam, & primum virum matrimonium extitiſſe pronunciavit: inter eandem verò mulierem, & dictum G. matrimonium non fuiſſe, ſed eos ab invicem ſeparari præcepit. Quòd ſi verò prædicta mulier ad Religionem tranſivit, primus vir, qui eandem non cognovit, cum illa remaneat, cum qua poſtea auctoritate Eccleſiæ contraxit: alioquin (id eſt, ſi non tranſivit actu) eâ dimiſsâ, ad illam redire debet, cum qua primò contraxit: niſi ſe voto (ſolemni ſcilicet) obſtrinxerit, quia propter hoc intelligitur fornicata fuiſſe cum prædicto G. (cùm ipſa matrimonium contrahere non potuerit poſt votum ſolemne, *Gl. hîc V. Se voto*) vel niſi fornicata fuerit cum alio, & ſic prætextu fornicationis, primus vir eam repellat. Si verò ſimplici voto promiſit ſervare continentiam, & poſtea in facie Eccleſiæ nupſit prædicto G. quamdiu de hoc articulo dubitari poterat, non debet præſumi, quòd fuerit fornicata cum illo: ſed amodò (ſcilicet revelatâ veritate, quòd fuerit uxor primi) non debet cum illo remanere.

Præterea alia quæſtio eſt, utrùm ea, quæ ita arcta eſt, ut nulli poſſit carnaliter commiſceri, niſi

& copulæ attentatæ, quia conceditur ad explorandam conjugis potentiam, *Sanch. l. 7. dis.* 110. *n.* 1. *&* 4. non autem requiritur, ut hoc tempus triennii ſit ita continuum, ut præſumpti conjuges die, noctéque cohabitent, ſed ſufficit, ſi majore anni parte, quia id moraliter, & civiliter accipi debet, prout ſubjecta materia poſtulat, *Sanch. cit. l. 7. dis.* 111. *n.* 2.

XVII. Notandum 3. Ultra triennium illud, & juramentum utriúsque conjugis fatentis impedimentum, requiritur, ut ſeptima manus propinquorum juret, vel vicinorum bonæ famæ, ſi propinqui defuerint; nam hujuſmodi juramentum exigitur, quia poſſet eſſe colluſio inter conjuges, & ut adhibitâ cautiore diligentiâ matrimonium diſſolvatur, *Sanch. l. 7. dis.* 108. *n.* 7. Debent autem, ſi uterque conjux fateatur impedimentum impotentiæ, cujuslibet conjugis ſeptem conſanguinei jurare, vel in defectum eorum, ſeptem vicini, adeóque XIV. *Alex. de Nævo in cit. c. Laudabilem. n.* 6. *Sanch. c. l. n.* 11. ubi *n.* 12. addit, ſi tot teſtes haberi nequeunt, ſufficere pauciores, arbitrio Judicis, & ſi deſint conſanguinei & vicini, aſſumi debent alii teſtes bonæ famæ, & omni exceptione majores. Requiritur etiam, ut uterque conjux, tactis SS. Evangelijs, juret, quòd nunquam per carnis copulam una caro ſint effecti, ut habetur in fine *cit. c. Laudabilem.* quamvis de conſuetudine hoc juramentum ſuper Cruce præſtetur, *Sanch. c. l. in fine.*

Notandum 4. Dictum juramentum diverſimodè debet præſtari ab ipſis conjugibus, & à propinquis; nam conjuges debent emittere juramentum de certa ſcientia, nempe quòd bonâ fide, & abſque dolo per triennium operam dederint copulæ, nec conſummare potuerint. At Conſanguinei de ſola credulitate jurare debent, nempe quòd verisimiliter exiſtiment, conjuges verum dicere. Ratio diverſitatis eſt, quia ipſis conjugibus conſtare poteſt, ſe non potuiſſe conſummare matrimonium, non item conſanguineis, *Gl.* communiter recepta in *cit. c. Laudabilem. V. Vterque*, *Sanch. cit. diſ.* 108. *n.* 15. Quamvis autem poſtea vir ille reperiatur non eſſe frigidus, ſeu impotens, non tamen conſanguinei cenſendi ſunt perjurii rei, quia non de certa ſcientia, ſed de ſola credulitate jurárunt. Unde cùm in *cit. c. Laudabilem.* indefinitè dicitur, eos, qui jurárunt, reos eſſe perjurii, id intelligi debet de ſolis conjugibus, viro, & uxore: non autem de conſanguineis Compurgatoribus, ſi bonâ fide jurárunt, *Gl. ibid. V. Hi qui*, *Sanch. c. l. n.* 17.

XVIII. Notandum 5. Si vir reputatus frigidus aliud ineat matrimonium, ipſi conjuges rei ſunt perjurii, ut expreſsè decidítur in *cit. c. Laudabilem*, in fine, quia vir non ſolùm jurare debet, ſe id matrimonium non potuiſſe conſummare cum hac fœmina, ſed neque cum alia, & eſſe ſimpliciter impotentem. Idéque eriam conſtat ex *c.* 1. *h. t. in princ.* ex illis verbis: *Et nunc primùm dixiſti, te eſſe frigidæ naturæ, ita ut non potuiſſes coire cum illa, nec cum aliqua alia.* Ideóque meritò poſtea, cognitâ potentiâ viri, poſt initum cum alia matrimonium, rei perjurii arguuntur. Et hæc eſt præſumptio juris, & de jure, contra quam non admittitur probatio in contrarium; ſed cenſetur ex odio, ac mala fide negata eſſe potentia ad coitum, ad diſſolvendum prius matrimonium, eo ipſo, quòd conjux reputatus frigidus aliud matrimonium iniit, ut docet *Gl. in c. Requiſiti.* 2. *V. Patet. cauſ.* 33. *q.* 1. *Sanch. diſ.* 108. *n.* 16. *&* 18.

XIX. Notandum 6. Si ob frigiditatem viri ſit diſſolutum matrimonium, & is ad aliud tranſeat, ſtatim hoc poſterius matrimonium diſſolvendum eſt, abſque alia probatione. Ratio eſt: tum quia cùm vir ille per ſententiam Eccleſiæ ſit declaratus frigidus, præſumptio inhabilitatis ad matrimonium ſtat contra illum. Tum quia ſive ſit verè frigidus, ſive non, poſterius matrimonium eſt nullum: nam ſi verè eſt frigidus, illud eſt invalidum propter impedimentum frigiditatis: ſi autem non eſt frigidus, obſtabit prius matrimonium, quod per falſam probationem frigiditatis diſſolutum fuit, *Alex. de Nævo in cit. c. Laudabilem. n.* 15. *&* 16. *h. t. Sanch. l. 7. diſ.* 99. *n.* 6. ubi addit, ſi tempore, quo frigidus iſte ad alias nuptias tranſit, prior uxor obierat: nihilominùs tamen ſtatim ſeparandus eſt à poſteriore matrimonio, donec probet, ſe potentem eſſe, & Eccleſiam fuiſſe deceptam, quia interim præſumptio impotentiæ ſtat contra ipſum. Ut autem reſtauretur prius frigidi matrimonium tanquam validum, non ſufficit, nec requiritur frigidum ad alias nuptias tranſiſſe, ſed legitimè probari debet, cum poſterius matrimonium conſummâſſe, aut aliàs fornicatum fuiſſe, *Sanch. c. l. n.* 7. Ex quo infert *n.* 8. prius illud matrimonium non eſſe inſtaurandum, donec legitimè probetur poſteriotis conſummatio, vel alia copula fornicaria, apud quem plura de hoc videri poſſunt.

XX. Notandum 7. Si puer XIV. anno completo, vel fœmina XII. adhuc ſint impotentes ad copulam, exſpectandum eſt, non per triennium, ſed uſque ad plenam pubertatem, quæ in fœminis contingit XIV. ætatis anno, & in viris XVIII. *l. Arrogato.* 40. *§.* 1. *ff. de adopt. & §. Minorem. Inſtit. eod.* Nec refert, quòd in *cit. c. Laudabilem*, triennium experientiæ genetaliter præſcribitur. Nam id procedit, quando ex frigiditate, aut alio impedimento conjectari poteſt, impotentiam oriri; tunc enim meritò ex cohabitatione triennii Eccleſia præſumit tale impedimentum eſſe perpetuum. At verò quando poteſt præſumi impotentiam provenire ex imbecillitate ætatis, tunc æquitas ſuadet, eam ætatem eſſe exſpectandam, in qua perfectum robur comparat natura, *Sanch. l. 7. diſ.* 104. *n.* 18.

§. IV.

Continuatur eadem materia.

XXI. Præterea in *c. Ex litteris. 3. h. t.* talis caſus proponitur. Cùm quidam XVI. annorum, quandam XIII. annorum in uxorem duxiſſet, ſique debitum reddere non poſſet; mulier tam gravem contraxit infirmitatem, ut omnino viro ſit facta inutilis, ita ut vir eam cognoſcere non poſſet. Conſultus Pontifex Alexander III. reſpondet, ſi vitium illud mulier à natura contraxit, nec ope Medicorum ei ſubveniri poſſit, viro danda eſt facultas aliam accipiendi.

Hinc aliqui probare volunt, per impotentiam, quæ

quæ ſupervenit matrimonio rato, & nondum conſummato, illud dirimi, quia Alexander III. in hoc cap. fecit facultatem cuidam ineundi aliud matrimonium, cujus uxor, ante conſummationem, reddita fuit inepta ad copulam. Verùm hîc eſt ſermo de impotentia, quæ præceſſit mattimonium, ut conſtat ex illis verbis: *ſi mulier vitium illud à natura contraxit, quia v. g. arcta erat, Gl. hic V. Contraxit. & V. A natura, Sanch. l. 7. diſ. 102. n. 4.* Idque probatur ex *c. Hi qui. 25. cauſ. 32. q. 7.* ubi generaliter dicitur, ob nullam infirmitatem, vel aliam impotentiam ſupervenientem conjugia ſolvi poſſe, & in *c. Si uxorem. 18. cauſ. 32. q. 5.* dicitur, retinendam eſſe uxorem antea ductam, ſterilem, ſurdam, vel deformem corpore, cæcam, claudam, vel ſi quid aliud cogitari poteſt horribile &c. ſi ergo retinenda eſt uxor, non obſtante quocunque corporis incommodo ſuperveniente, ergo etiam ſuperveniente impotentiâ ad copulam, cùm ita univerſaliter textus ille loquatur, *Sanch. cit. diſ. n. 3.* Idque confirmatur, quia ex receptiſſima ſententia, matrimonium ratum fidelium per ſolam Profeſſionem Religioſam certò diſſolvitur, & probabiliter etiam per diſpenſationem S. Pontificis, *Sanch. c. l.* & alij apud ipſum. Non obſtat *c. Quod propoſuiſti. 18. cauſ. 32. q. 7.* ubi Gregorius III. conceſſit cuidam licentiam tranſeundi ad aliud matrimonium, propter impotentiam perpetuam ſupervenientem priori uxori. Nam prior non fuit legitima uxor ob impedimentum perpetuum, idque ſolùm declaravit ibi Pontifex, *Sanch. l. 7. diſ. 80. n. ult. in reſponſ. ad 5.*

XXII. Porro ſi de impotentia ſuperveniente matrimonio certò conſtat, eam eſſo perpetuam, illicita eſt conjugibus talibus copula conjugalis, quamvis tactus ijs ſint liciti, abſque periculo tamen pollutionis, *Sanch. l. 9. de matr. diſ. 17. n. 20. & 21.* Ratio prioris eſt, quia copula conjugibus poſt matrimonium contractum ſolùm licita eſt intra vas legitimum, ergo ſi hæc ſit impoſſibilis, quia fœmina ita arcta eſt, ut ſemen recipere non poſſit, non erit licita. Ratio poſterioris eſt, quia cùm tales ſint veri conjuges, tactus mutui, citra pollutionis periculum, non ſunt illis prohibiti, etſi enim hujuſmodi tactus referri non poſſint ad copulam, tan̄quam illis incompoſſibilem: poſſunt tamen fieri ad concupiſcentiam carnis ſedandam, & ad exhibenda mutui amoris ſigna, *Sanch. c. l. n. 20.* Quòd ſi de impotentia ſuperveniente matrimonio ſit dubium, an ſit perpetua, an verò ſolùm temporalis, licitum eſt conjugibus conari ad copulam, quamdiu probabilis ſpes eſt ſeminandi intra vas, quamvis peraccidens, & præter intentionem, extra vas ſemen effundatur, *Sanch. c. l. n. 22.* Ratio eſt, quia tales conjuges dant operam rei licitæ, procurando copulam ſibi poſſibilem, & permiſſam: & ſi id licitum eſt, ſi impotentia præcedat matrimonium, adeoque dubius ſit matrimonii valor: multò magis id licebit, quando impotentia ſubſequitur matrimonium, & hujus valor certus eſt. Sed quid dicendum, ſi dubitetur, utrùm impotentia præceſſerit matrimonium, adeoque hoc ſit nullum; an verò ſubſecuta ſit, & matrimonium ſit validum. Valde probabile eſt, præſumi poſſe, quòd anteceſſerit, ſi nunquâ copula haberi potuerit, nec aliunde conſtet de impotentia, nec probari poſſit; quo tempore ſit contracta, *Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 11. n. 3. in fine. Sanch.* tamen *l. 7. de matr. diſ. 103. n. 4. & 5.* diſtinguit inter impotentiam naturalem & accidentalem, nempe ex maleficio, & in priore quidem, in dubio præſumi, quòd præceſſerit: de poſteriore verò, quòd ſecuta ſit matrimonium.

XXIII. Quartò in *c. Fraternitatis. 6. h. t.* teſtetur, quòd quædam mulier contraxit matrimoniū cum quodam viro, & cum eo per multos annos habitavit, nec potuit ab eo carnaliter cognoſci. Archipresbyter Altiſſiodorenſis cauſam detulit ad Epiſcopum ſuum, qui volens ſuper eo negotio veritatem inquirere, quaſdam matronas ſuæ Parochiæ, providas, & honeſtas ad ſe vocavit, diſtrictè (per juramentum, *Gl. hic V. Diſtrictè*) illis injungens, ſub periculo animarum, ut ipſam mulierem inſpicerent, utrùm eſſet idonea ad copulam conjugalem, quæ tandem eâ inſpectâ dixerunt, quòd nunquam poterit eſſe mater, aut conjux, & ideo divortium inter ipſam, & virum promulgavit, mulierem inducens, ut Religionem intraret, perpetuam continentiam ſervatura: viro autem licentiam dedit aliud matrimonium ineundi, qui cum alia contraxit. Sed poſtmodum illa mulier fuit ab alio carnaliter cognita, rejectâ continentiâ, quam promiſit, & cuidam G. nomine nupſit: Epiſcopus verò Altiſſiodorenſis negotium hoc ſignificavit Innocentio III. Reſcribit Papa eidem, quòd ſemiplenè ei expreſſit, quomodo dicta mulier promiſerit, ſe continentiam ſervaturam, utrùm ſimplici verbo, an per votum ſolemne, & utrùm tranſierit ad Religionem, ſicut promiſit, an non: nec dixit etiam, qualiter cognita fuerit, utrùm arte Medici, ſeu concubitu viri, vel alio modo. Unde Papa conſiderans, quòd impedimentum illud non erat perpetuum, quod præter Divinum miraculum, humanâ ope, abſque corporali periculo remotum fuerit, ſententiam divortij per errorem, licèt probabilem, latam fuiſſe invenit, quia ex poſtfacto apparet, quòd mulier illa cognoſci potuit à viro illo (ſcilicet primo, à quo fuerat ſeparata) cujus ſimili potuit commiſceri, & ideo inter ipſam, & primum virum matrimonium extitiſſe pronunciavit: inter eandem verò mulierem, & dictum G. matrimonium non fuiſſe, ſed eos ab invicem ſeparari præcepit. Quòd ſi verò prædicta mulier ad Religionem tranſivit, primus vir, qui eandem non cognovit, cum illa remaneat, cum qua poſtea auctoritate Eccleſiæ contraxit: alioquin (id eſt, ſi non tranſivit actu) eâ dimiſsâ, ad illam redire debet, cum qua primò contraxit: niſi ſe voto (ſolemni ſcilicet) obſtrinxerit, quia propter hoc intelligitur fornicata fuiſſe cum prædicto G. (cùm ipſa matrimonium contrahere non potuerit poſt votum ſolemne, *Gl. hic V. Se voto*) vel niſi fornicata fuerit cum alio, & ſic præterxtu fornicationis, primus vir eam repellat. Si verò ſimplici voto promiſit ſervate continentiam, & poſtea in facie Eccleſiæ nupſit prædicto G. quamdiu de hoc articulo dubitari poterat, non debet præſumi, quòd fuerit fornicata cum illo: ſed amodò (ſcilicet revelatâ veritate, quòd fuerit uxor primi) non debet cum illo remanere.

Præterea alia quæſtio eſt, utrùm ea, quæ ita arcta eſt, ut nulli poſſit carnaliter commiſceri, niſi

» per incisionem, vel alio simili modo violentia ei » inferatur tam gravis, ut ex ea mortis periculum » timeatur: quæritur, inquam, an talis sit apta ad » matrimonium contrahendum. Et dicendum est, » quòd non, argumento sumpto à contrario sensu ex illis verbis præcedentibus ejusdem cap. *absque corporali periculo*, nam ubi grave periculū timetur, non est matrimonium, sed ubi leve solùm periculum foret, debet illud pati, *Gl. hic V. Corporali periculo.*

» Similiter solvitur ex dictis alia quæstio: si ali- » qua nupsit viro cuidam, respectu cujus ita arcta » est, ut non possit ab eo deflorari: eáque postea per » judicium Ecclesiæ separata, nubat alteri, cui non » sit arcta, & per frequentem usum secundi reddan- » tur etiam apta primo viro, quæritur, inquam, u- » trùm talis debeat redire ad virum, cum quo priùs » matrimonium contraxit. Et dicendum est, quòd » non, secundùm distinctionem suprà datam, *absque corporali periculo*, *Gl. hic in casu.* Additur in fine: De » talibus tamen non est facilè judicandum, cùm fi- » nale judicium pendeat ex futuro, quia nescitur, » an sit apta primo viro, *Gl. hic V. Non est facilè.*

XXIV. Pro explicatione hujus cap. notanda sunt sequentia. 1. Propter impedimentum mulieris arctæ, si appareat, quòd præter Divinum miraculum, & ope humanâ, sine periculo vitæ, vel gravi corporis, tolli non potest, matrimonium separari potest. Ratio est, quia talis arctitudo censetur impedimentum perpetuum, ad mulierem illam carnaliter cognoscendam, sicut frigiditas viri, adeoque debet matrimonium tale declarari invalidum, & conjuges illi præsumpti separandi sunt, *Vivian. in Ration. hic.* Redintegrari tamen debet, si postea appareat, Ecclesiam ex errore informationis deceptam fuisse, ita ut si mulier separata à viro alteri nupsit, relicto secundo viro, redire debeat ad primum virum, quia erat inter eos verum matrimonium, *Abb. hic n. 1. & Alex. de Nævo n. 1. Barbos. in Collect. hic n. 1. 2.* notandum. Impotentia alterius conjugis potest allegari, post multos annos, ut patet ex illis verbis hujus cap. *per multos annos morata*, & ex *c. fin. h. t.* ubi mulier post octo annos allegavit impotentiam viri: nam matrimonium invalidum non firmatur tractu temporis, *Alex. de Nævo hic n. 2.* 3. notandum, Judex ex officio, allegato impedimento impotentiæ, potest jubere mulierem inspici per matronas, vel obstetrices honestas, & providas, seu periras, quæ debent esse de Parochia mulieris, quia præsumitur eas habere majorem notitiam, *Alex. hic n. 5.* & debent vocari, ut compareant coram Judice, & jurare debent sub periculo animæ suæ, quia sunt testes, idem *n. 6. & 9.* quamvis aliqui putent, hoc esse magis testimonium credulitatis, quàm scientiæ, *Gl. hic V. Matronas, junct. Gl. marg. lit. A.* ubi ait, quòd hæ matronæ non debeāt jurare de veritate, seu scientia, sed solùm de credulitate, se credere mulierem esse aptam, vel non: quia non potest dari in his certa scientia; nam sæpe manus fallitur, & oculus obstetricum, *c. pen. de probation.* 4. notandum. Judex quando separat matrimonium, propter impotentiam alterius conjugis, debet, quantum potest, inducere impotentem ad ingrediendam Religionem, & servandam perpetuam continentiam, ut constat ex *cit. c. Fraternitatis in princ. Alex. ibid. n. 8.* quia matri monii vinculum, siquod fortè subest, eo ipso dissolvitur, & sic nullum periculum imminet alteri conjugi, si aliud matrimonium ineat, *Canif. hic n. 2.*

XXV. Præterea circa ea, quæ traduntur in *cit. c. Fraternitatis*, notandum 1. votum potest esse, & dicitur solemne ad impediendum, & dirimendum matrimonium postea contractum, citra Religionis ingressum, prout sumitur ex hoc cap. §. *Quamvis*: verùm hodie nullum est votum solemne quoad dirimendum matrimonium postea contractum, nisi per professionem in aliqua ex Religionibus approbatis emissam, vel per susceptionem Sacri Ordinis; adeoque votum, quo quis se obligat sine professione, non est solemne, juxta *c. unic. de voto in 6.*

Notandum 2. Omne impedimentum impotentiæ viri, vel mulieris, quod operâ humanâ, sine gravi corporis periculo, tolli non potest, reddit inhabilem ad contrahendum matrimonium: secùs si facto humano potest removeri, absque gravi periculo corporis, *Abb. hic n. 6. & Alex. de Nævo n. 2.* Et hinc quando non potest impotentiæ subveniri, sine vitæ periculo, quamvis maliter parata sit illud subire, ut apta reddatur viro: non tamen tenetur vir id exspectare, sed potest petere dissolutionem matrimonii, & aliud inire, quia tunc constat, impedimentum id esse perpetuum, utpote quod tolli nequit, sine vitæ periculo, *Sanch. l. 7. dis. 93. n. 20.*

XXVI. Notandum 3. Si mulier sit cognita ab uno viro, præsumitur, quòd cognosci possit etiam ab alio, nisi contrarium probetur, *Abb. hic n 7. Alex. n. 3.* ubi tamen inspiciendum est, an uterque vir similis sit, ætate, robore, ac membro virili; nam tunc præsumitur potuisse quoque cognosci à primo viro; ideóque matrimonium prius validum fuisse; secùs si sint dissimiles, quia prior vir erat senex, vel debilis, aut alium defectum in virili membro patiebatur: posterior autem erat juvenis, vel robustior, vel eo defectu carebat, *Sanch. l. 7. de matr. dis. 93. n. 12.* Idque probatur ex *cit. c. Fraternitatis*, ubi non dicitur absolutè, cognoscibilem à posteriore viro, esse quoque cognoscibilem à priore, sed quando posterior vir est priori similis, ut pater ex illis verbis: *cujus simili commisceatur*: quæ verba intelligenda sunt, non de similitudine naturæ, sed ætatis, roboris, & instrumenti generationis; nam ex his præsumitur, ut sicut mulier cognosci potuit à viro posteriore, ita & à priore. Et quia hæc præsumptio non est præsumptio juris, & de jure, sed juris tantùm; ideo admittit probationem in contrarium, ob utriúsque viri dissimilitudinem. Quare non restauratur prius matrimonium, ratione impotentiæ mulieris, dissolutum, si per concubitum proprij prioris viti non potest reddi apta ad copulam cum illo, quamvis per concubitum cum altero sit apta reddita, *Sanch. c. l.*

XXVII. Notandum 4. Propter impotentiam provenientem ex maleficio potest matrimonium separari, nec restauratur, etsi vir, post mortem illius, aliam ducat in uxorem, & illam cognoscat; ex quo enim vir, & mulier cohabitārunt per triennium, & dederunt operam copulæ carnali, nec potuerunt consummare matrimonium, præsumitur perpetuum impedimentum, & possunt separari, & transire ad aliud matrimonium, *c. Si per fortiarias. 4. & ult. caus. 33. q. 1.* Nam potest quis maleficiarius esse respectu

ſpectu unius, & non alterius: idque intelligendum eſt de maleficio, quod præceſſit matrimonium: nam ſi ſuperveniat impedimentum, poſt matrimonium contractum, non debent ſeparari, *c. Hi qui. 25. cauſ. 32. q. 7.* Si verò poſt ſeparationem vir eam cognoſceret, matrimonium debet redintegrari, quia impedimentum non erat perpetuum, *Gl. hic V. Divinum miraculum. Verſic. Vel poteſt dici.*

Porro ratio, quare ſeparetur matrimonium propter frigiditatem viri, vel arctitudinem mulieris, & ſi poſtea contrahat cum alio, vel alia, & apparear ex poſtfacto eſſe potens ad copulam, reſtauretur primum matrimonium: & tamen ſi ſeparetur matrimonium propter maleficium, nõ cogatur vir, ſi contraxit cum alia, eámque cognovit, redire ad primam. Ratio, inquam, diſparitatis eſt, quia frigiditas, & arctitudo eſt impedimentum non reſtrictum ad certam perſonam; ideóque ſi vir poſtea cognovit aliam, vel mulier fuit cognita ab alio, præſumitur Eccleſiam fuiſſe deceptam, quia vir eodem modo potuiſſet cognoſcere primam, vel mulier cognoſci à primo. At verò maleficium, quod fit inſtigante diabolo, reſtringitur ad certam perſonam, ita ut vir omnes poſſit cognoſcere, præter perſonam uxoris; ideóque ſi poſt ſeparationem matrimonii, vir contrahat cum alia, eamque cognoſcat, ex eo non apparet, Eccleſiam fuiſſe deceptam; ideóque non debet ſecundum matrimonium ſeparari, & reſtaurari primum, juxta *cit. c. ult. cauſ. 33. q. 1. Alex. de Nævo in cit. c. Fraternitatis. n. 6. h. t.*

XXVIII. Notandum 5. Error, ſive ignorantia juris non eſt probabilis, nec excuſat, ſi tamen ſit probabilis, ut ſi dubitetur in facto, excuſat, *Gl. in c. un. V. Probabiliter. de Poſtul. Prælat. in 6.* ut in caſu *cit. c. Fraternitatis*, error probabilis intervenit in aſpectu corporis, in quo matronæ deceptæ fuerunt, quia manus, & oculus obſtetricum ſæpe fallitur, & ſic ſententia divortij per errorem lata, à qua non eſt appellatum, revocatur, ſi error probabilis poſtea detegatur, *Gl. hic V. Per errorem.* ubi addit, quòd ſententia per errorem lata contra matrimonium non tranſit in rem judicatam, quominùs poſſit revocari, quandocunque apparuerit Eccleſiam fuiſſe deceptam.

Notandum 6. Si mulier probabiliter putans, ſe eſſe ſolutam, ſive non conjugatam, alteri nubat, non committit adulterium, licèt poſtea reperiatur conjugata, quia adulterium non committitur ſine dolo, *l. pen. ff. Ad leg. Jul. de adult. Alex. in cit. c. Fraternitatis. §. Quamvis. not. ult.*

Notandum 7. Si quis, poſt matrimonium contractum, per maleficium fiat impotens, non diſſolvitur matrimonium, quia nullum impedimentum contingens poſt matrimonium, diſſolvit illud, *Alex. in cit. c. Fraternitatis. n. 7.*

XXIX. Notandum 8. Si mulier tranſivit ad Religionem, & profeſſionem emiſit; tunc matrimonium poſtea contractum per primum virum cum ſecunda muliere tenet, & debet cum illa remanere, quia per profeſſionem ſtatim diſſolutum fuit prius matrimonium non conſummatum: ſecùs ſi ingreſſa fuit causâ ſolùm probationis, quia ſi tunc ad ſæculum redeat, compellitur redire ad primum virum, *Gl. hic V. Remaneat. Alex. in cit. c. Fraternitatis. n. 18. §. Primus eſt.*

Notandum 9. Diſſoluto matrimonio ratione maleficii, ſive utriúsque, ſive alterius conjugis, ſi maleficiatus aliud matrimonium ineat, & eandem uxorem, à qua ratione maleficii ſeparatus fuit, fornicariè cognoſcat, tunc inſtaurandum eſt matrimonium cum illa, quia apparet, Eccleſiam deceptam fuiſſe, dum impotentiam illam judicavit eſſe perpetuam, *Sanch. l. 7. diſ. 99. n. 25.*

Notandum 10. In cauſis matrimonialibus non eſt facilè præcipitanda ſententia, quia neſcitur, an mulier, quæ eſt apta ad copulam quoad virum, qui tranſijt ad ſecundum matrimonium, ſit etiam apta quoad primum virum, *Gl. hic V. Non eſt facilè.* & quandoque finale judicium, id eſt, certum pendet ex futuro eventu, quia dubium eſt, an ſit matrimonium validum initum cum primo viro; neque intelligas, quòd tunc primùm incipiat eſſe matrimonium cum primo viro initum, quando mulier incipit eſſe apta ad copulam quoad primum virum, ſed quia tunc primùm declaratur, prius matrimonium fuiſſe validum, *Gl. fin. hic.*

§. V.

Proponitur, & explicatur cap. ultimum huius Tituli.

XXX. In *cap. Litteræ. 7. & fin. h. t.* talis facti ſpecies proponitur. Quædam cauſa matrimonialis vertebatur inter mulierem M. & virũ ejus A. quæ per Sedem Apoſtolicam commiſſa fuit quibuſdam Judicibus, coram quibus ex parte mulieris propoſitum fuit, quòd cùm jam ante octo annos fuiſſet dicto viro A. matrimonialiter copulata, eídémque diu cohabitâſſet, adhuc integra permanebat, & virgo, eò quòd vir ejus deſtitutus eſſet potentiâ coeundi, ideóque petebat ſe ab eo ſeparari per ſententiam divortij. Ad quod reſpondit vir A. & fatebatur, quòd illam nunquam cognoverit, dicebat tamen ſe habere potentiam coeundi, & alias mulieres cognoſcendi. Judices delegati rimentes, ne id forte confiterentur in fraudem, colludentibus inter ſe, viro & muliere, juſſerunt illam inſpici per matronas bonæ exiſtimationis, ac fide dignas, & expertas in re matrimoniali, quæ reſtatæ ſunt, mulierem adhuc virginem, & incorruptam eſſe. Deinde mandârunt inquiri per Patochum loci, utrùm vir aliquando aliam mulierem cognoviſſet: ſed hujus rei notitia haberi non potuit. Cùm verò mulier inſtanter peteret divortium: vir autem ſe ſubijceret judicio Eccleſiæ, ſive Judicum Eccleſiaſticorum: hi injunxerunt utrique viro & mulieri, ut pœnitentiam agerent de delictis commiſſis (quia infirmitas corporalis frequenter provenit ex peccato, & ſic ceſſante cauſâ, ceſſat effectus, *Gl. hic V. De commiſſis.*) ut ſic fortè DEO placato, matrimonium conſummare poſſent. Tandem uterque, vir, & mulier ad Judices reverſi ſimul confeſſi ſunt, quòd invicem carnaliter commiſceri non poſſint. Re delatâ ad Papam Honorium III. is mandavit, ut ſi ita eſt, & conſtiterit, prædictum virum & mulierem, intra octo annos, per continuum triennium cohabitâſſe, neque carnaliter commiſceri potuiſſe, ipſis hoc

» juramento ſuo teſtantibus, cum ſeptima propin-
» quorum manu, ſententia divortii inter eos
» proferatur.

XXXI. Notandum 1. Tribus modis intelligunt Interpretes hunc textum, quidam de frigidis: alii de maleficiatis: tertii de quolibet impotente ad copulam, cùm ſcilicet uxor dicit, virum non habere potentiam ſecum coeundi, non expreſsâ causâ, & ſic pertinet ad tertiam partem Rubricæ, ut notatur in *Gl in princ.* hujus cap. Sed verior, & communior interpretatio eſt, quòd in hoc cap. agatur de maleficio reſpectivo, cùm agatur de viro non ſimpliciter impotente, quoad omnes mulieres, ſed tantùm quoad mulierem, quam in uxorem duxit: quod eſt indicium maleficii, non frigiditatis, quæ eſt impedimentum generale impotentiæ quoad omnes mulieres, *Henric. Canif. in c. ult. h. t. n. 2.*

Notandum 2. Conjux quocunque tempore allegare poteſt alterius conjugis impotentiam, quia temporis tractu non firmatur matrimonium irritum: idque probatur ex *c. fin. h. t.* Ubi auditur mulier poſt octo annos reclamans, & allegans impotentiam mariti, & in *c. Fraternitatis* præcedente, poſt multos annos auditur, *Abb. in cit. c. ult. n. 2.* quod intelligendum eſt, modò tricunium experientiæ jam tranſierit, & quando uterque fatetur impedimentum, vel adſunt evidentes probationes. At verò *cap. 1. h. t.* negans, mulierem audiendam eſſe, quando non ſtatim proclamat, intelligendum eſt, donec triennium transactum ſit, ſed poſt triennium cohabitationis audienda eſt, *Sanch. l. 7. diſ. 109. n. 11. & 14.*

Notandum 3. Etſi in hoc cap. dicatur, mulierem confitentem, unà cum viro, impotentiam, poſt lapſos octo cohabitationis annos fuiſſe inſpectam per matronas, & obſtetrices: id tamen non eſt neceſſarium, quia in *c. Laudabilem. 5. h. t.* ubi de hoc agitur, id non requiritur, ſed ad abundantiorem cautelam hoc factum eſt, *Sanch. libr. 7. diſ. 108. num. 6.*

XXXII. Notandum 4. In maleficii impedimento computatur triennium à die copulæ attentatæ, ſicut in impedimento frigiditatis, & ideo in *cit. c. fin.* diximus eſt inter hujusmodi conjuges matrimonium, ſi intra illos octo annos per triennium cohabitârint continuò: neque ſemper impedimentum maleficii ex peccato conſurgit, nec oportet tantæ hujusmodi triennium pœnitentiam eſſe peractam, quia in *cit. c. fin.* factum ſolùm narratur, nec jus ſtatuitur: ſed ſolùm exigitur toto illo annorum tempore, ex quo initum erat matrimonium, conjuges triennio continuo cohabitâſſe, *Sanch. l. 7. diſ. 110. n. 5.* Quamvis aliqui apud *Barb in Collect. hic n. 7.* teneant, hoc triennium currere à die cohabitationis, vel à tempore aſſignationis per Judicem factæ.

Notandum 5. Quando non poteſt conſtare, num perpetuum ſit, an temporale maleficium, præſumitur eſſe perpetuum, ac diſſolvitur matrimonium, poſtquam triennio conjuges dederunt operam carnali copulæ, nec eam perficere potuerunt, juxta *c. fin. h. t. Sanch. l. 7. diſ. 94. n. 12.* & alii apud ipſum.

XXXIII. Notandum 6. Si impotentia conſurgens ex maleficio ſit perpetua, dirimit ſubſequens matrimonium, ut conſtat ex *c. fin. h. t.* quod ferè omnes Interpretes de impedimento maleficii intelligunt: nam matrimonium, quod ſemel ratum fuit, etſi nondum conſummatum, per nullam ſupervenientem impotentiam dirimitur. *c. Hi qui. 25. cauſ. 32. q. 7.* & dictum ſuprà. Tum quia vir ille in *cit. c. fin.* petens ſeparari matrimonium, allegavit, ſe quod omnes fœminas eſſe potentem, præterquam ad propriam uxorem, quod repugnat frigiditati, in qua vir eſt impotens quoad omnes fœminas. Tum etiam quia ibi utrique conjugi injunctum fuit, ut pœnitentiam de peccatis agerent: at per pœnitentiam non tolluntur impedimenta naturalia, ſed ſolùm quæ inſtigante diabolo proveniunt. Ratio eſt, quia ſi impotentia illa ſit perpetua, non poteſt quis tradere poteſtatem ſui corporis alteri, obligando ſe ad actum conjugalem, quippe qui eſt ipſi ob maleficium perpetuum impoſſibilis. Denique quia falſum eſt nullum maleficium eſſe perpetuum: nam ſi dæmon ſemel, vel ſæpius poteſt impedire copulam carnalem, permittente DEO, cur non ſemper, cùm per voluntatem operetur: & falſum eſt maleficium ſemper poſſe tolli à ſuo auctore, *Sanch. l. 7. diſ. 94. n. 8.* & alii apud ipſum.

Notandum 7. Quamvis non exigatur neceſſariò aſpectus matronarum ad ſententiam divortii matrimonii propter maleficii impedimentum: requiritur tamen juramentum ſeptimæ manûs propinquorum, juxta *cit. c. fin. h. t.* ubi Papa formam diſſolvendi matrimonium, ratione impotentiæ, aſſignat tanquam prærequiſitum hoc juramentum, & cùm ſit forma probationis Jure præſcripta, propter ejus omiſſionem vitiatur ſententia: ubi etiam eſt ſermo de impedimento maleficii, ut ſuprà dictum, quamvis idem ſit de frigiditate, in quâ idem juramentum exigitur, *c. Laudabilem. 5. h. t.* de quo ſuprà, *Sanch. l. 7. diſ. 108. n. 9.*

Notandum 8. Si poſt diſſolutionem, ſeu divortium factum matrimonii propter maleficium, aliud matrimonium maleficiatus iniit cum alia muliere, eámque cognoverit, non ideo reſtaurari debet primum matrimonium, quoad primam uxorem, quia maleficium ſæpe ad unam perſonam reſtringitur, nempe ad uxorem, ita ut hanc vir non poſſit cognoſcere, etſi poſſit alias mulieres, licèt aliud ſit quoad frigiditatem, *Abb. in c. 1. in fine h. t.* Quòd ſi tamen vir cum priore conjuge, à qua ob maleficium ſeparatus fuit, privatim eam carnaliter cognoſcat, matrimonium prius reſtitui debet, ſicut de frigido ſuprà dictum, *Henric. Canif. in cit. c. ult. n. 7. h. t.* Atque hæc ſufficiunt pro explicatione capitulorum hujus Tituli: nam reliqua, quæ huc pertinent, proſequi non eſt noſtri inſtituti, & nimis prolixum foret, de quibus videri poteſt *Sanch. l. 7. de matr.* ubi de impedimento impotentiæ agitâ *diſp. 92.* usque ad finem illius Libri.

TITV-

Digitized by Google

TITVLVS XVI.

DE MATRIMONIO CONTRACTO CONTRA INTERDICTUM ECCLESIÆ.

Actum eſt in ſuperioribus Titulis de variis impedimentis dirimentibus matrimonium, nunc ſequitur, ut agatur de impedimentis, quæ impedientia tantùm appellantur, eò quòd matrimonium licitè contrahi impediant, at contractum cum illis eſt firmum, & validum. Quale eſt inprimis matrimonium contractum contra Interdictum Eccleſiæ, de quo in hoc Titulo agitur.

§. I.

An, & quâ ratione matrimonium contractum contra Interdictum Eccleſiæ dirimatur, vel impediatur?

I.

Quæritur 1. Quod dicatur Interdictum Eccleſiæ, & quibus modis fiat? Reſp. Interdictum Eccleſiæ circa matrimonium, fieri poteſt tribus modis, ut notat *Barboſ. in Collect.* ſuper *Rubr. h. t.* ſcilicet per Canonem, ſeu legem Eccleſiaſticam, quæ certis temporibus nuptias celebrari prohibet, de quibus in *c. Non oportet.* 10. *cauſ.* 33. *q.* 4. *c. Capellanus.* 4. *de feriis*, quæ tempora reſtricta ſunt per *Concilium Trident. Seſſ* 24. *c.* 10. *de reform. matr.* quibus tamen temporibus, non ipſa matrimonia, ſed ſolemnitates nuptiarum, & traductio ſponſæ in domum mariti prohibentur, ut dictum ſuprà *libr.* 2. *tit.* 9. *n.* 2. *&* 4. Secundo modo fit interdictum matrimonii, per Judicem Eccleſiaſticum, qui ob legitimam cauſam interdicit ad tempus matrimonium iniri inter aliquos, vel quia alter eorum antea cum alia tertia perſona ſponſalia contraxit, quæ non debent violari, ſine gravi cauſa: vel quia Eccleſiaſticus Judex inter contrahentes ſubeſſe impedimentum conſanguinitatis, vel aliud putat; ideóque interdicit matrimonium ad tempus, donec veritas ſit cognita. Et hoc interdictum impedit matrimonium licitè contrahi, non autem dirimit contractum, *Sanch. l.* 7. *de matr. diſ.* 6. *n.* 6. Tertio modo fit interdictum matrimonii per Parochum, quia licèt is non poſſit cauſas matrimoniales cognoſcere, ſeu pertractare, quippe quæ judicialem indaginem, ac jurisdictionem requirunt, & ad Judicem Eccleſiaſticum pertinent, *c.* 1. *De conſang.* poteſt tamen Parochus matrimonium impedire, & interdicere ad tempus, ut ſi opponatur matrimonio contrahendo impedimentum Canonicum, vel timeantur orituræ magnæ rixæ, ſi matrimonium permitteatur ſtatim celebrari, ut colligitur ex *c. ult. de clandeſt. deſponſat. in fine princ.* ibi: *contractus interdicatur.* ubi agitur de Parocho, & clariùs §. *fin.* ibi: *Sanè ſi Parochialis Sacerdos tales conjunctiones prohibere contempſerit*; ergo ſupponitur Parochi eſſe matrimonia ad tempus prohibere, *Sanch. l.* 3. *de matr. diſ.* 15. *n.* 3. *&* *l.* 7. *diſ.* 6. *n.* 6.

II. Quæritur 2. Quænam præterea ſtatuta ſunt Jure Canonico circa matrimonium contractum contra Interdictum Eccleſiæ, vel Judicis? Reſp. De hoc agitur inprimis in *c. Litteræ. i. h. t.* Nam cùm quidam juraſſet, ſe cuidâ daturum ſororem ſuam jam nubilem in uxorem (futurum ſcilicet per ſponſalia) eâ præſente, & conſentiente (expreſsè, *Gl. hic V. Præſente.*) & illa munera, ac dona, ſecundùm morem Regionis, ab illo recepiſſet, ipſum tanquam proprium virum (id eſt, ſponſum, ſpe futuri matrimonii, *Gl. hic V. Tanquam.*) ſæpe fuit amplexata. Tandem mortuo ſuo fratre, à proprio viri ſui, id eſt, ſponſi fratre permiſit ſe deſponſari, quod facere non debuit, quia non poteſt quis habere ſponſam fratris ſui. *c. Ad audientiam. 4. & c. Sponſam. 8. ſupr. de ſponſal.*) & quòd ab eo cognita fuſſet, mendaciter aſſeruit. Cùm autem Epiſcopus loci ei prohibuiſſet, ne alicui illorum, aut alteri ſe copularet, ipſa ſpreto mandato Epiſcopi, alii (ſcilicet tertio) nupſit. Sed ad domum matris ab Epiſcopo redire juſſa, ipſa ad Sedem Apoſtolicam appellavit. Quare mandat Papa Alexander III. ut ſi ita eſt, Epiſcopus prædictam mulierem ad domum matris redire compellat, ne mandatum ipſius contemptibile videatur: & impoſitâ eidem mulieri condignâ pœnitentiâ, ob tantum exceſſum, ſeu delictum (quia ſcilicet fidem violavit priori ſponſo, & ſe deſponſari permiſit à proprio fratre ſponſi ſui, & quia mandatum Eccleſiæ contempſit, *Gl. fin. hic*) poſtquam in domo matris per menſem ſtetit, ad tertium virum reverti permittat.

III. Pro explicatione hujus cap. notandum 1. matrimonium contra Interdictum Eccleſiæ, vel Judicis contractum, non ideo dirimitur; ſeparantur tamen ſic contrahentes, non quoad vinculum matrimonii, quia hujusmodi matrimonium non eſt firmum, ſed tenet, niſi aliud Canonicum impedimentum obſiſtat: ſed ſeparantur ſolùm quoad torum, donec cauſa Interdicti cognoſcatur: & imponitur eis pœnitentia ob contemptum mandati Eccleſiæ, ſeu Judicis, *Abb. hic num.* 1. *&* *Alex. de Nævo num.* 1.

Notandum 2. Sponſalia de futuro non tranſeunt in matrimonium de præſenti, per receptionem munerum, oſcula, & amplexus, quia nec nilus, ſeu co-

Digitized by Google

natus ad copulam ad hoc ſufficit, ſed requiritur, ut mulier plenè cognoſcatur, *c. Is qui. 30. & c. ult. ſupr. de ſponſal.* Secus eſt de ſponſalibus contractis per verba de præſenti ab impuberibus, quæ propter defectum ætatis contrahentium, Juris interpretatione, finguntur de futuro, quia hæc, perfectâ ætate, transeunt in matrimonium per receptionem munerum, oſcula, vel amplexus, aut alia hujuſmodi ſigna, quod contrahentes ab initio intendebant, juxta *eit. c. 1. h. t. Alex. de Nævo hic n. 3. Covarr. in 4. Decret. p. 1. c. 4. §. 1. n. 2. & 3.* Porro hæc procedunt, ſpectato Jure antiquo Canonico: ſed cùm hodie ex Decreto Concilii Trident. *Seſſ. 24. c. 1. de refor. matr.* matrimonia aliter contracta, quàm præſente Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi, aut Ordinarii licentia, ſint irrita, Sponſalia ſive de præſenti, ſive de futuro non tranſeunt ampliùs in matrimonium, nec per ipſam copulam; imò nec per conſenſum expreſſum, ſed oportet iterum contrahere matrimonium, ſervatâ formâ à Concilio præſcriptâ, ut ſæpius reſpondit S. Congregatio Concilii apud *Fagnan. in cit. c. 1. n. 4. h. t.* ubi addit, quòd ubi Decretum Concilii non eſſet receptum in Parochia, ſervanda eſſet prædicta diſtinctio.

IV. Notandum 3. Matrimonium diſſolvit præcedentia ſponſalia, etiamſi præceſſerit interdictum Eccleſiæ, vel Judicis factum ſponſo de futuro, ne contrahat matrimonium cum alia: ac proinde inà matrimonium vincit ſponſalia, & interdictum, etiam ſimul conjuncta, imò & jurata, *Abb. hic n. 4. & Alex. n. 6.* quia interdictum non diſſolvit ſponſalia, nec dirimit matrimonium contra illud contractum, reddit tamen obnoxium pœnæ, ut patet ex textu, ubi in pœnam prohibetur, ne mulier iſta poſſit contrahere cum viro, cui fuerat deſponſata, neque cum illius fratre, propter violatum mandatum Epiſcopi: permittitur tamen permanere cum tertio, cui ſe poſtmò copulavit, non obſtante ullo impedimento ex prioribus deſponſationibus, ut habetur in fine hujus cap.

Notandum 4. Eſt tamen hìc, ne interdictum Judicis impunè contemnatur, aut eluſorium ſit, diſtinguendum: vel enim agitur de impedimento perpetuo, quale v. g. eſt impedimentum conſanguinitatis, vel affinitatis & ſimilium; & tunc matrimonium, quoad mutuam cohabitationem, interim ſeparatur, donec de impedimento conſtiterit: quo probato, matrimonium omnino diſſolvitur, vel potiùs declaratur, nullum inter eos contractum fuiſſe matrimonium. Vel agitur de impedimento ſolùm temporali, ut de ſponſalibus, quæ perpetuam cauſam non habent, ſed pluribus modis tæpe diſſolvuntur, præſertim per matrimonium ſubſequens; & tunc contrahentes non debent quidem à ſe invicem ſeparari, ſed pœnitentia illis imponitur, pro arbitrio Judicis, vel etiam ad tempus à mutua cohabitatione ſejunguntur, *Henric. Canif. h. t. n. 3.* Quo ſenſu autem intelligendum ſit *c. pen. de ſponſa duorum*, in quo dicitur, matrimonium contractum contra interdictum Judicis Eccleſiaſtici, irritari poſſe, dictum eſt ſuprà *eod. Tit. 4. n. 10. in fine.* ubi ſermo erat de iis, qui pendente appellatione ſuper prioris matrimonii valore, ad aliud tranſierunt. Videri poteſt *Sanch. l. 7. diſ. 2. num. 1.*

V. Notandum 5. probabilius eſt, ſpeciale eſſe in parentibus, ut ſi pro filiis contrahant ſponſalia, vel matrimonium, ſufficiat eorum taciturnitas, & præſentia: non item ſi extranеus pro extraneo; tunc enim requiritur aliud ſignum conſenſum internum exprimens, ut valeant ſponſalia, vel matrimonium: tum quia in *c. unic. §. fin. de deſponſ. impub. in 6.* tanquam quid ſpeciale, hoc ſtatuitur de parentibus: tum quia quamvis matrimonium ſit per ſe appetibile, & favorabile, ideóque præſumi poſſe videatur, ſi quis etiam extraneus pro aliquo præſente, & tacente, ſponſalia, vel matrimonium contrahat, eum tacitè conſentire: at rectiùs id negatur, quia contrahere cum certa perſona, viro, vel muliere, poteſt eſſe noxium, vel moleſtum: quare cùm parentum velut officium ſit filios in matrimonio collocare, ideque propter magnum amotem, & affectum erga illos, præſumuntur optimo, quo fieri poteſt, modo, id facturi; ideo meritò Judicatur, ſi pater pro filio præſente, & tacente, ſponſalia, vel matrimonium contrahat, eum tacitè conſentire: quæ ratio non habet locum in aliis extraneis, ut in caſu hujus cap. ubi ſponſalia de futuro contracta ſunt à fratre pro ſorore ſua, tacitè ſolùm conſentiente, qui conſenſus colligebatur ex præcedentibus muneribus, & frequentibus amplexibus: ſed tunc requiritur ratificatio ſaltem tacita per ſignum aliquod, *Sanch. l. 1. de ſponſal. diſ. 23. n. 7. & 8.* ubi *n. 9.* ait, idem eſſe de matre, quia in *cit. c. unic.* de parentibus eſt ſermo, ſub quo nomine uterque parens comprehenditur, & innititur non patriæ poteſtati, ſed amori paterno, qui in matre eſt ardentior.

Notandum 6. Quamvis cauſa interdicendi matrimonium ſit temporalis, & matrimonium contra prohibitionem initum ſit validum; at quando prohibitio Judicis fuit legitima, ipſi conjuges ad tempus ſeparari debent, in pœnam delicti, ne ſcilicet ob impunitatem delicti, juſtum mandatum Judicis contemnere audeant, ut habetur in *c. 1. h. t. in fine. Sanch. l. 7. diſ. 2. n. 14.* ubi addit, etſi in eo cap. aſſignetur unus menſis, per quem ſeparari debent; eſt tamen hoc tempus arbitrarium, & ponitur ille menſis ſolùm exempli gratiâ, non autem ad reſtringendam Judicis facultatem. Nec obſtat *c. 2. h. t.* quia id loquitur de perpetua ſeparatione, ut notat *Sanch. c. l.*

VI. Præterea in *c. Ex litteris. 2. h. t.* talis caſus proponitur: Cùm G. filiam ſuam M. abſentem (quæ poſtea conſenſit, aliàs non tenuiſſent ſponſalia, *Gl. hic V. Abſentem*) cuidam R. nomine deſponſâſſet (per verba de futuro) & ſuſpicio eſſet orta, illum velle aliam ducere in uxorem, Archiepiſcopus Cantuarienſis ſub interminatione, ſeu comminatione anathematis, prohibuit, ne antequam de ipſa cauſa conſtaret, dictus R. aliam in uxorem acciperet. Sed ipſe, contemptâ illâ prohibitione, aliam quandam ſolemniter ſibi matrimonio copulavit. Verùm cùm Archiepiſcopus vellet de primo matrimonio, ſeu deſponſatione cognoſcere, dicta M. ad Sedem Apoſtolicam appellavit: cujus appellationi Archiepiſcopus deferens, interdixit eidem mulieri, ſub pœna excommunicationis, ne alicui nuberet, donec cauſa illa finem debitum ſortiretur: ipſa tamen de appella-

tione

» tione conſtat, cuidam alii V. nomine nupſit. Re
» delatâ ad Papam, is mandavit, ut ſi nihil præceſ-
» ſiſſe conſtiterit inter prædictos R. & M. quod im-
» pediat, præter conſenſum de futuro, qui dicitur
» inter eos interveniſſe, ſecundum matrimonium
» inviolabiliter obſervandum judicet, non obſtan-
» te appellatione: licèt enim prædicta mulier ad ſe-
» cunda vota, ſeu nuptias, contra interdictum Ec-
» cleſiæ, tranſiſſe non debuerit; non tamen matri-
» monium debet ob id ſolum diſſolvi: pœnitentia
» tamen eis debet imponi, quia contra prohibitio-
» nem Eccleſiæ hoc fecerunt.

VII. Notandum 1. Solum interdictum Eccleſiæ factum propter impedimentum non perpetuum, ſed temporale ſolùm, non dirimit matrimonium poſtea contractum, prout ſumitur ex hoc c. ubi expreſsè dicitur, non eſſe diſſolvendum matrimonium, eò quòd contra Eccleſiæ prohibitionem eſt initum, & eſt ibi ſermo de iis, quibus interdictum fuit à Papa, ne tranſirent ad alias nuptias, donec de priorum ſponſalium veritate cognoſceretur, *Abb. hîc n. 3. Alex. de Nævo n. 2. Sanch. l. 7. de matr. diſ. 2. n. 1.* Ideo autem in hoc c. interdictum Eccleſiæ non diſſolvit matrimonium ſubſequens, quia cauſa prohibitionis non fuit perpetuum impedimentum, ſed temporale ſolùm, tunc enim valet matrimonium, *Sanch. c. l. num. 4.*

Notandum 2. Judex Eccleſiaſticus poteſt præcipere ſponſæ, ne matrimonium cum alio contrahat, etiamſi ſponſalia non ſint jurata, quia ſponſalia, etiam ſine juramento, efficaciter obligant, *Abb. hîc n. 2. & Alex. n. 1.*

Notandum 3. Is, qui contra prohibitionem à Superiore Eccleſiaſtico, ex juſta cauſa factam, contrahit matrimonium, graviter peccat, & ideo pœnitentia illi imponi debet, ut habetur in fine hujus cap. niſi certò conſtet, nullum ſubeſſe impedimentum, ut ex Reginaldo tradit *Barb. in Collect. hîc n. 3.*

Notandum 4. Quamvis Judex deferat appellationi, poteſt tamen appellanti interdicere, ne attentet id, propter quod appellavit, ut patet ex hoc cap. ubi Epiſcopus interdixit, ne appellantes ad Sedem Apoſtolicam contraherent matrimonium, ante cauſam tetminatam, & ſic appellatio non tuetur appellantem, ut poſſit id facere, propter quod appellavit, & Judex à quo poteſt facere omnia ea, quæ tendunt ad faciliorem exitum cauſæ appellationis, *Abb. hîc n. 4. & Alex. n. 3. & 5.*

Notandum 5. Quando Judex, ſeu Superior aliquid præcipit, vel prohibet ſub pœna excommunicationis, ut in caſu hujus cap. non fert excommunicationem in contrafacientem, ipſo facto, ſi ulteriùs non procedat, ſed ſolùm comminatur pœnam, *Gl. hîc V. Interminatione, & Abb. n. 5.*

VIII. Poſtremò in *c. De muliere. 5. & ult. h. t.*
» ſtatuitur, illos, qui propter conſanguinitatem
» prohibentur matrimonio conjungi, ſi poſtea con-
» tra interdictum Eccleſiæ, ne contrahant, matri-
» monio jungantur, excommunicati debent, & ab
» invicem ſeparari, quouſque legitimè cognoſcatur,
» an de jure poſſint, ac debeant ſimul remanere, &
» matrimonium eorum jure ſubſiſtat.

IX. Ubi notandum 1. Judex debet interdicere matrimonium, ſi adſit vehemens ſuſpicio de impedimento conſanguinitatis inter contrahentes, vel alio ſimili: quòd ſi interdictum ſit factum propter ſuſpicionem perpetui impedimenti, ſed poſtea non probetur, vel reperiatur non ſubeſſe, valet matrimonium contractum contra interdictum, *Abb. hîc n. 2. & 3. & Alex.* Hodie verò conſanguinei contrahentes ſcienter in gradu prohibito ſunt ipſo jure excommunicati, *Clem. unic. de conſang. & affinit.* de quo ſuprà.

Notandum 2. Si tales ſuſpecti de conſanguinitate cõtra interdictũ ineant matrimoniũ, ſunt ſeparandi, & per excommunicationem compellendi, ut maneant ſeparati, donec cauſa cognoſcatur: ſeparantur autem, non per ſententiam definitivam, cùm nondum cognitum ſit de cauſa, ſed per præceptum, ut ſtent ſeparati, donec appareat, & declaretur, matrimonium eſſe validum, & detur illis licentia ſimul tanquam legitimis conjugibus cohabitandi, *Alex. de Nævo hîc n. 3. & 4. Vivian. in Ration. hîc.*

§. II.

De aliis impedimentis, quæ non dirimunt, ſed impediunt tantùm matrimonium contrahendum.

X. Impedimenta, quæ mattimonium ſubſequens non irritant, ſed impediunt tantùm, ſive illicitum reddunt, numerantur ſequentia. Primum eſt interdictum, ſive prohibitio Eccleſiæ, vel Judicis Eccleſiaſtici, de quo dictum §. *præced.* Secundum eſt tempus feriatum, quibus prohibentur nuptiæ publicè, & ſolemniter celebrati, quamvis id non ſit interdictum, ſi abſque magna ſolemnitate, & pompa fiat, ut probat *Sanch. l. 7. de matr. diſ. 7. n. 12.* de quo dictum ſuo loco. Tertium eſt, ſponſalia cum aliqua priùs validè contracta, quæ antequam legitimè diſſolvuntur, obſtant, quominùs licitè ineatur matrimonium cum alia, ut patet etiam ex alibi dictis. Quartum eſt, cognatio ſpiritualis, quæ contrahitur ab eo, qui pro baptizando, ſive adulto, ſive parvulo, Sacerdoti interroganti reſpondet in Catechiſmo, qui præmitti ſolet: quod tamen impedimentum hodie omnino ſublatum eſſe dictum ſuprà, *Sanch. l. 7. diſ. 10. num. 12.* Quintum impedimentum eſt votum ſimplex caſtitatis perpetuæ, vel ingrediendi Religionem, vel ſuſcipiendi Ordines Sacros, vel matrimonii non ineundi, quia hujuſmodi vota è diametro adverſantur ſtatui matrimonii, ac proinde illud impediunt, non tamen dirimunt, de quo videri poteſt *Sanch. cit. l. 7. diſ. 11. n. 4. & ſeqq. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 15. in fine.*

XI. Sextum impedimentum ſunt crimina quædam, ob quæ quaſi pœnitentiæ loco, jure antiquo decreta erat abſtinentia à conjugio. Primum eſt, levatio, ſeu ſuſceptio propriæ prolis de ſacro fonte, in fraudem debiti conjugalis facta, ne poſſit alter conjux petere debitum: quo caſu, etiam non licet ſuſceptori petere debitum, etſi reddere poſſit, ac debeat: & talis ſuſceptio impedit, ne ſi matrimonium diſſolutum fuetit, aliud iniri poſſit; ſi tamen ſic levans aliud inierit, validum erit, ut conſtat ex *c. De eo. 5. cauſ.*

Digitized by Google

cauſ. 30. q. 1. quod eſt deſumptum ex Concilio Moguntino, ubi in fine dicitur, *ſi conjuges legitimi, unus, vel ambo ex induſtria fecerint, ut filium ſuum de fonte ſuſciperent, ſi prævaricator conjugii ſupervixerit, ſine ſpe conjugii manebat.* Idémque eſt, ſi alter conjux fuit Patrinus filii tenens eum in Confirmatione, animo infidiandi matrimonio, *Sanch. l. 7. diſ. 6. n. 8.* 2. interfectio injuſta Sacerdotis etiam impedit matrimonium, non tamen dirimit, *c. 2. de pœnit. & remiſſ.* Ratio eſt, quia cùm Sacerdos intereſſe debeat Sacramento matrimonii, æquum eſt, ut interfector Sacerdotis hoc Sacramento ptivetur, dummodo ſit convictus in Judicio contentioſo de eo crimine, *Sanch. cit. diſ. 6. n. 9.* 3. ſolemnis, & publica pœnitentia impedit matrimonium, ſed non dirimit, ut conſtat ex *c. De his, 12. & c. fin. cauſ. 33. q. 2.* ſed nonniſi quamdiu durat illa pœnitentia; cùm enim illud tempus ſit deſtinatum luctui, & pœnitentiæ, dedecent tunc nuptiæ, *Sanch. cit. diſ. 6. n. 10.* ubi tamen addit, cùm jam pœnitentia ſolemnis non ſit in uſu, ceſſare hoc impedimentum. 4. qui ſcienter, & ſacrilegè contraxit matrimonium cum Moniali, prohibetur matrimonium contrahere cum alia, *c. Hi ergo. 13. cauſ. 27. q. 1.* quia delinquens in Sponſam Chriſti indignus eſt matrimonio, contractum tamen tenet, *Sanch. c. l. n. 11.* 5. uxoricidium impedit quoque, ne vir aliam ducere poſſit, non tamen dirimit matrimonium poſtea initum, ut conſtat ex *c. Interfectores. 5. & c. Quicunque. 7. cauſ. 33. q. 2.* niſi in adulterio ea deprehenſa fuiſſet, *c. Admonere. 8. eâd. cauſ. & q.* At verò viticidium non eſt impedimentum ad matrimonium ineundũ, ut probabilius cenſet *Sanch. l. 7. diſ. 16. n. 6.* quia Canones hoc impedimentum ſtatuentes loquuntur de ſolo uxoricidio: nec eſt eadem ratio de viricidio, quia hoc eſt rariſſimum, virique ſunt audaciores, & procliviores ad uxores occidendas, quàm vice verſâ. 6. Raptus alienæ ſponſæ dirimit matrimonium cum rapta, quamdiu hæc eſt in poteſtate raptoris, de quo alibi: ſed impedit tantùm matrimonium cum quacunq; alia, *c. Statutũ. 34. cauſ. 27. q. 2.* quod eſt deſumptũ ex Concil. Tolet. 7. inceſtus cum conſanguineis uxoris ſuæ, ſaltem adhuc viventis, intra ſecundum gradum impedit, ſed non dirimit matrimonium, ut conſtat ex *c. 1. 2. & c. Tranſmiſſæ. 4. de eo, qui cognovit conſang. & c.* quia nullus repetitur textus, qui id eſſe dirimens diceret, *Sanch. l. 7. diſ. 15. n. 1.* non autem impedit matrimonium contrahendum inceſtus cum propriis conſanguineis, quia textus, qui id impedimentum ſtatuunt, non loquuntur expreſsè de inceſtu cum conſanguineis propriis: & hic inceſtus non ita repugnat mattimonio impediens ejus uſum, *Sanch. cit. diſ. 15. n. 16.* quæ ratio cùm procedat, ſi uxor ſit defuncta, ideo probabile eſt, inceſtum commiſſum cum conſanguineis uxoris, eâ defunctâ, non eſſe impedimentum matrimonii, *Laym. c. l. n. 2. §. Quartum locum*, contra *Sanch. cit. diſ. 15. n. 12.* qui pro ſe habet text. in *cit. c. Tranſmiſſæ. 4. de eo, qui cognovit conſang. & c.* Denique ſi quis cum matre, aut filia fornicatus fuerit, à conjugio deinceps abſtinere debet, ut ſtatutum videtur in *c. Si quis cum matre. 9. cauſ. 34. q. 2. Sanch. cit. diſ. 15. num. 7. Laym. c. l.*

XII. Cæterùm omnia hæc impedimenta Jure Eccleſiaſtico inducta (præter ſponſalia, & votum, quæ Jure Divino, & naturali obligant, & impediunt matrimonium, & præter interdictum ſpeciale Superiorii) omnino hodie ſublata ſunt per diuturnam conſuetudinem, ſecundùm quam, ſic impediti, nullâ petitâ diſpenſatione, conſciis, & videntibus Prælatis, paſſim ineunt matrimonium, ut teſtatur ex Navarro *Sanch. l. 7. diſ. 17. n. 8.* Quòd ſi aliquando in hujuſmodi impedimentis non dirimentibus, majoris ſecuritatis causâ, petatur diſpenſatio, poterit in iis diſpenſare etiam Epiſcopus, quia licèt id nullo Jure exprimatur, niſi de inceſtu impropriè dicto commiſſo cum conſanguineis ſponſæ nondum cognitæ, juxta *c. 2. de eo, qui cognovit conſang. & c.* in quo poterit diſpenſare Epiſcopus, quia cùm ibi in hoc caſu concedatur, ex diſpenſatione initi poſſe matrimonium, eáque non reſervetur Papæ, cenſetur commiſſa Epiſcopo, juxta regulam communiter traditam à Doctoribus apud *Sanch. diſp. 17. n. 10.* at conſuetudo interpretatur ex ſimilitudine rationis id extendi quoque ad alia impedimenta, *Sanch. cit. diſ. 17. num. 15. Tanner. cit. q. 4. dub. 2. num. 30.*

TITVLVS XVII.

QUI FILII SINT LEGITIMI?

Poſt varia impedimenta in ſuperioribus Titulis explicata, agitur nunc de filiis legitimis, qui nonniſi ex legitimo matrimonio naſcuntur. Filii autem hîc propriè dicuntur, qui ſunt nati ex viro, & muliere juſtis nuptiis, ſeu legitimo matrimonio junctis: & ſolet hoc nomen uſurpari, prout à nepotibus diſtinguuntur, & aliis ulterioribus deſcendentibus, Barboſ. hîc in princ. n. 5. Sub nomine verò filiorum hîc comprehenduntur, non ſolùm filii, ſed etiam filiæ, quia generaliter receptum eſt, maſculinum concipere, ſive continere fœmininum, quamvis aliqui apud Barboſ. hîc n. 10. dicant, filii appellatione in numero ſingulari non contineri fœminam ex vi verbi, ſed per interpretationem extenſivam: filiorum tamen nomine in plurali comprehendi etiam filias, ſaltem ex commu-

Digitized by Google

communi modo loquendi, Barb. c. l. n. 11. Porro etſi in Rubrica, ſeu inſcriptione hujus Tituli ſolùm fit mentio de filiis legitimis, agitur tamen etiam in eo de filiis illegitimis. De quibus & nos agemus.

§. I.

De filiis legitimis, & illegitimis in genere.

I.

ASSERTIO 1. Filij quidam ſunt legitimi, quidam illegitimi. Legitimi vel ſunt legitimi tantùm, quales ſunt filii adoptivi, qui non à natura, ſed à ſola lege filii ſunt facti. Vel ſunt legitimi, & naturales ſimul, qui ex legitimo matrimonio nati ſunt, lege, & naturâ matrimonium approbantibus, id eſt, qui ex juſtis nuptiis veris, vel putativis ſunt procreati. *Inſtit. de patr. poteſt. in princ. l. Filium. 6. ff. De his, qui ſui, vel alieni &c. Molin. tom. 1. tract. 2. diſ. 165. n. 1. Suar. diſ. 50. de cenſur. ſec. 1. n. 1. Gregor. Tholoſ. ſyntagm. jur. univerſ. p. 2. libr. 10. c. 3. n. 6.*

II. ASSERTIO 2. Filii illegitimi ſunt, qui non ex juſtis nuptiis veris, vel putativè nati ſunt, ſed extra matrimonium, *Auth. Quibus modis natur. effic. ſui. §. Quod verò.* Et hi alii ſunt naturales, alij non naturales, qui etiam ſpurij vocantur. Filii naturales tantùm de Jure Canonico dicuntur illi, qui nati ſunt à parentibus, inter quos matrimonium tempore conceptionis (vel ſaltem nativitatis, ſecundùm probabilem ſententiam) abſque impedimento dirimente conſiſtere poterat. Non naturales verò, & ſpurij Jure Canonico dicuntur, qui nati ſunt ex his parentibus, qui matrimonium contrahere non poterant, nec tempore nativitatis, nec tempore conceptionis: quare ijdem ex damnato coitu nati dicuntur, *Laym. l. 5. tr. 10. p. 3. c. 5. n. 3.* Sed Jure Civili, ſeu Cæſareo filii illegitimi, alii ſunt naturales, alii non naturales. Naturales cenſebantur ij ſoli, qui ex ſoluto concubitu, ſive unicâ uxoris loco domi retentâ nati fuerunt, cum qua matrimonium contrahere potuiſſet. Non naturales verò cenſebantur nati ex damnato coitu, ſi cum eorum matre matrimonium contrahi non potuit: reliqui autem nothi dicebantur, qui in eo differunt à naturalibus, ſeu ex concubina domi habita natis, quòd iſti naturales cenſeantur habere patrem certum, donec contrarium probetur: Nothi verò incertum, niſi certus demonſtretur, quare iſti ſpurii, ſeu vulgò concepti appellari ſolent, *Laym. c. l. num. 3.*

III. Porro hodie multi DD. apud *Barboſ. hic in princ. num. 16. & 17.* negant, quoad hoc eſſe differentiam faciendam inter utrumque Jus, ac proinde raros eſſe, vel nullos filios naturales; cùm enim concubinatus lege Canonicâ ſit reprobatus, ideo filij illegitimi naturales, qui ſcilicet ex concubina domi retentâ ſunt geniti, vix, vel rarò reperiuntur: Spurij verò ſunt omnes ex illis geniti, qui matrimonium inter ſe contrahere non potuerunt, juxta *l. Vulgò. 23. ff. De his, qui ſui, vel alieni &c.* ubi dicitur, vulgò concepti dicuntur, qui patrem demonſtrare non poſſunt: vel qui poſſunt quidem, ſed eum habent, quem habere non licet, qui & ſpurij appellantur. Ubi JCtus diſtinguit inter duplicis generis ſputios: nam alii ſunt, qui non habent certum patrem, ut ſunt nati ex meretricibus, vel aliis, qui cum multis fornicantur. Alij verò ſunt ſpurij, qui certum patrem habent, ſed talem, quem leges habere prohibent, ut ſunt nati ex ijs parentibus, inter quos matrimonium contrahere lex vetat, quales ſunt conſanguinei, conjugati, vel voto ſolemni obſtricti. Rurſum hi, vel ſunt ſpurii ſimpliciter, qui naſcuntur ex conjunctione, quam leges humanæ nullâ exteriori pœnâ afficiunt, ut eſt filius natus ex conjugato, & ſoluta; nullâ enim pœnâ hujuſmodi coitus punitur, *l. 1. C. Ad leg. Iul. de adult.* Vel ſunt ſpurij ex damnato coitu, cujuſmodi ſunt nati ex conſanguinea, vel conjugata, vel Moniali, de quibus agitur in *Auth. Quib. modis nat. filii effic. legit. & ſui. §. ult collat. 6. Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 8. §. 5. n. 16. Barboſ. in princ. n. 17.*

§. II.

Quinam in ſpecie iudicandi ſint filii legitimi?

IV. De his agitur inprimis in *c. Cùm inter. 2. h.t.* ubi talis caſus proponitur: Joannes cum Teberga contraxit matrimonium in facie Eccleſiæ, de qua filios concepit: cùm autem facta eſſet gravida, accuſatum fuit matrimonium de conſanguinitate; ideòque canonicè lata fuit inter eos ſententia divortij: unde dubitatum fuit, an filij nati ante ſententiam eſſent legitimi? Conſultus Papa Alexander III. reſpondet, quòd filij exinde non debent ſuſtinere jacturam, cùm parentes eorum publicè, & ſine contradictione in facie Eccleſiæ matrimonium contraxerint. Quare ſtatuit Papa, ut filii eorum, quos ſuſceperunt ante divortium, & qui concepti fuerunt, ante latam ſententiam, legitimi habeantur, & in bona paterna hæreditario jure ſuccedant, & de parentum facultatibus alantur.

V. Pro explicatione hujus cap. notandum 1. filii concepti, ante ſententiam divortij, à parentibus, qui publicè, & ſine contradictione, ac bonâ fide utriúsque, vel ſaltem alterius parentis, matrimonium contraxerunt, habentur pro natis, quando de eorum commodo agitur, quia ſunt verè, & propriè legitimi filii, licèt inter tales parentes exiſtat latens impedimentum Canonicum, v. g. conſanguinitatis, vel affinitatis, propter quod poſtea tale matrimonium judicio Eccleſiæ fuit ſeparatum, quippe invalidum, ut habetur hîc, *Abb. hic n. 2. Alex. de Nevo n. 2. & 7. Covarr. in 4. Decret. p. 2. cap. 8. §. 2. n. 1. & 2.* & alij. Ratio eſt, quia quando parentes in facie Eccleſiæ publicè, & bonâ fide matrimonium contraxerunt, ignorantes impedimentum ſubeſſe, tunc excuſantur à peccato, etiamſi poſtea impedimentum detegatur, quia tunc potiùs in favorem prolis ſuſceptæ, judicandum eſt illud eſſe legitimum, quàm ut ſententia di-

vortij postea lata illi debeat nocere, prout habetur in textu hic. Ut autem filii ex tali putativo matrimonio suscepti habeantur legitimi, duo copulativè requirunrur, nempe quòd matrimonium publicè, & in facie Ecclesiæ sit celebratum, & quòd bonâ fide; si enim utrumque, vel alterum tantùm desit, non erunt filii legitimi. *Covarr. c. l. e. §. 1. n. 2.* Quòd si unus parentum sciat impedimentum, adeóque sit in mala fide: alter verò ignoret, & sit in bona fide: nihilominus filii ex tali matrimonio nati legitimi habentur, non solùm quoad parentem habentem bonam fidem, sed etiam quoad habentem malam fidem, dummodo in facie Ecclesiæ matrimonium sit contractum, idque in favorem liberorum statutum fuit, *c. fin. §. Si quis. de clandest. desponſ.* & ibi *Gl. V. Si ambo parentes*: quia esset monstrum, si quis esset partim legitimus, & partim illegitimus, sicut si quis esset partim liber, partim servus, *l. Duobus. 30. ff. de liber. cauſ. Sanch. l. 8. de matr. diſ. 34. n. 46.* ubi tamen id limitat, quòd hoc verum sit, respectu filii, & in ejus favorem, & respectu parentis, qui in bona fide fuit: non verò respectu parentis, qui malam fidem habuit, hic enim non gaudet jure legitimi parentis: neque verò monstrosum censeri debet, si filius sit legitimus respectu patris sui; non autem vicissim pater habeat legitima jura patris, respectu filii. Ratio disparitatis est, quia proles, quæ nihil mali fecit, jure merito ratione bonæ fidei alterius parentis, reputatur plenè legitima, juráque omnia legitimæ prolis habet. At verò parens in mala fide constitutus, qui scienter cum impedimento contraxit matrimonium, adeóq; culpæ reus fuit, meritò jure legitimi parentis privatur, ne ex suo delicto commodum reportet; & ideo jus in prolis favorem concessum ad hujusmodi parentem extendi non debet, *Sanch. c. l.*

VI. Notandum 2. Si matrimonium contrahatur non præmissis denunciationibus, dicitur clandestinum, quoad pœnas incurrendas clandestinis matrimoniis appositas, etiamsi fiat coram Parocho, ac testibus; unde filii suscepti à parentibus clandestinè contrahentibus, non præmissis denunciationibus, illegitimi censentur, quia in iis scientia, & mala fides semper præsumitur, *Sanch. l. 3. de matr. diſ. 42. n. 6. Barboſ. de Offic. Epiſc. alleg. 32. n. 8.* ubi præterea observandum, etsi matrimonium contractum coram Parocho, & testibus sit validum, licèt denunciationes sint omissæ, ut tamen licitè, & justè contrahatur, requiritur insuper, ut denunciationes præmittantur, alioquin matrimonium clandestinum censeri debet, quia in *cit. c. ult. in princ. de clandeſt. desponſ.* solemnitas denunciationum præscribitur, *Avila de cenſur. p. 7. diſ. 3. dub. 6. Barboſ. in c. 2. h. t. n. 20.*

Notandum 3. Ex eo, quòd filii concepti, ante sententiam divortij, à parentibus, qui publicè, & bonâ fide contraxerunt matrimonium, sunt verè, & propriè legitimi, sequitur, eos ad Ordines Sacros, & dignitates Ecclesiasticas admittendos esse, *Barboſ. in Collect. in c. 2. n. 5. h. t.* Item admittuntur tales filii legitimi ad successionem hæreditatis paternæ, etiam in feudis, & Majoratibus, *Covarr. c. l. §. 1. n. 3. Barboſ. c. l. n. 7.* saltem si Majoratus sit simpliciter institutus, *Barb. c. l.*

VII. Notandum 4. Filii nati, post litem contestatam, super matrimonio publicè contracto, quod per sententiam divortij postea invalidum declaratum fuit, sunt legitimi, nonminùs, quàm si ante litem essent concepti: quia lite etiam contestatâ, præsumitur bona fides in matrimonio: nam lite pendente super matrimonio, permittitur carnale commercium inter conjuges, *c. 2. Vt lite pendente &c.* quod non permitteretur ab Ecclesia, si mala fides præsumeretur, neque facilè debet præsumi delictum, *l. Meritò. 51. ff. Pro Socio, Abb. hic n. 6. & Alex. de Nævo n. 5. Covarr. c. l. n. 5.* cùm ergo usus matrimonii, pendente lite, non sit interdictus, non debet ex eo, quod legitimè factum est, ulla pœna sequi, neque filii, pendente lite, concepti propterea illegitimi censeri. Similiter, pendente appellatione à sententia lata contra matrimonium, filii concepti sunt legitimi, *Covarr. c. l. n. 7.*

Notandum 5. Duo jura debentur filiis legirimis, ut habetur in *cit. c. 2. h. t.* scilicet hæreditas paterna, & jus petendi alimenta: si verò sint illegitimi, debetur illis jus tantùm petendi alimenta, *Alex. de Nævo hic n. 6.*

VIII. Secundò in *c. Perlatum. 8. h. t.* refertur, quòd cùm quidam H. nomine habens uxorem I. » ad partes Constantinopolitanas se contulisset, ibi- » que per decem annos, & ampliùs moratus, ad uxo- » rem suam non redijsset, ipsa coram Diœcesano » Episcopo adversus eum querelam deposuit, & » quòd eum diutiùs exspectare non posset, allegavit. » Episcopus mandavit parentibus viri (& amicis, *Gl. hic V. Parentibus*) ut ipsum ad propria revocarent. » Cùm ergo diutiùs exspectatus fuisset, nec rediret, » Episcopus, auditis rationibus mulieris (id est, pro- » bationibus, *Hoſtienſ. hic V. cod.*) inter eos senten- » tiam divortii promulgavit (probato impedimen- » to perpetuo, *Gl. hic V. Promulgavit*) & mulieri a- » lium virum ducendi facultatem concessit. Con- » sultus Papa Alexander III. mandat quibusdam, ut » si constiterit, quòd Episcopus iniret eos senten- » tiam divortii tulerit, filios, quos ex alio, ad cujus » copulam auctoritate Ecclesiæ transivit, sustulit, » legitimos judicent, eósque hâc occasione ab hæ- » reditate paterna excludi non patiantur. Ratio » hujus decisionis est, quia ista mulier, bonâ fide, in fa- cie Ecclesiæ contraxit, tam cum primo, quàm cum secundo viro; ideo filii ex quoliber eorum geniti censeri debent legitimi, quamvis unum ex illis matrimoniis postea nullum declaretur: potiùs enim in favorem prolis sic susceptæ judicandum est, eam esse legitimam, quàm attendenda sententia divortii super nullitate matrimonii postea lata, *Vivian. in Ration. hic.*

IX. Notandum præterea 1. Si mulier per judicium Ecclesiæ sit separata à primo viro, & vivente illo, de licentia Ecclesiæ, contrahat matrimonium cum alio, proles suscepta ex secundo viro legitima erit, & capax hæreditatis, prout sumitur ex hoc cap. & traditur communiter DD. hic.

Notandum 2. Absentia conjugis, quantumvis diuturna, non est per se sola sufficiens causa legitima separandi matrimonium, etiamsi uxor aliqet incontinentiam, unde dici debet, quòd mulier in casu hujus cap. allegabat impedimentum perpetuum, v. g. consanguinitatis, vel maritum esse mortuum, *Abb. hic n. 2. & Alex. de Nævo n. 2.*

Notan-

Notandum 3. Eccleſia, ſeu Judex Eccleſiaſticus, poſtquam cognovit de legitimatione, poteſt, & debet ſe interponere, & curare, ne is, quem pronuntiavit legitimum, ab hæreditate excluditur, & ſic immiſcere ſe etiam temporalibus negotiis, quando veniunt acceſſorie ad ſpirituale, *Abb. hic n. 4. & Alex. de Nævo n. 4.*

X. Sed hîc gravis occurrit difficultas, cùm ex hoc cap. conſtet, ſententiam divortii fuiſſe nullam propter Ordinem judiciarium non ſervatum; proceſſit enim Judex contra primum maritum abſentem, nec perſonaliter citatum, & lite non conteſtatâ, ſed debuiſſet exſpectari, donec verisimilis præſumptio haberetur de ipſius obitu; ideóq; ſententia divortii nulla fuit, nec prodeſſe debebat ad excuſandam malam fidem mulieris, quæ non certa de morte prioris conjugis cũ ſecundo contraxit. Verùm Pontifex non attendit, utrùm ſententia divortii, ejúsque proceſſus validus fuerit, an vitioſus: ſed in favorem prolis ſtatuit, prolé ex ſecundo matrimonio ſuſceptã eſſe legitimã, quod ejus auctoritate parentes publicè in conſpectu Eccleſiæ contraxerunt, de qua re ſolùm Pontifex interrogabatur, *Covarr. cit. c. 8. §. 1. n. 10.* & alii apud *Barbos in Collect. hic n. 2. & 3.* Accedit, quòd hujusmodi matrimonium publicè fuit contractum: ex eo autem, quòd aliquid publicè factum fuit, probatur, & præſumitur bona fides, *Barbos. c. l. in fine.*

» XI. Tettiò in *c. Quod nobis. 9. h. t.* dicitur, » quòd geniti ex clandeſtino matrimonio, ſed poſt- » ea ab Eccleſia approbato, legitimi filii, & hæredes » ſunt judicandi. Idque procedit, etiamſi poſtea matrimonium juſta ex cauſa ſeparetur, ut addit *Gl. hic V. Fuerint.* Ratio deciſionis eſt, quia approbatio Eccleſiæ poſtea ſuperveniens retrotrahitur, & cenſetur in favorem matrimonii ab initio adfuiſſe, & perinde eſt, ac ſi ab initio matrimonium in conſpectu Eccleſiæ fuiſſet contractũ, *c. 2.* & ibi *Gl. in fine de cland. deſponſ.* & ideò, licèt filii illi non fuiſſent legitimi, ſi matrimonium poſtea per Eccleſiam non fuiſſet approbatum, per ſubſequentem tamen approbationẽ Eccleſiæ legitimi ſunteffecti, *Vivian. in Ration. in hoc c.*

XII. Ubi præterea notandum 1. quando matrimonium clandeſtinum, quod reverà fuit nullum ob impedimentum bonæ fidei ignoratum, approbatum fuit ab Eccleſia tanquam validum, ſed poſtea impedimentum detectum fuit; tunc filii geniti poſt approbationem matrimonii, antequam impedimentum detegeretur, ſunt legitimi, in quo conveniunt DD. teſte *Sanch. l. 3. de matr. diſ. 43. n. 1.* quia tunc ceſſat ratio *cit. c. ult. §. Si quis vero de deſponſ. clandeſt.* habent enim parentes juſtam cauſam ignorandi impedimentum. An verò etiam filii nati ante Eccleſiæ approbationem, ſint legitimi, dubitatur, nec conveniunt DD. Probabilius eſt, filios conceptos, ante detectum impedimentum, licèt ante approbationem Eccleſiæ nati ſint, eſſe legitimos, ſi matrimonium publicatum fuerit, & tanquam validum auctoritate Eccleſiæ approbatum, etſi poſtea impedimentum detegatur, *Sanch. cit. diſ. 43. n. 4.* & conſtat ex *cit. c. Quod nobis. h. t.* cujus ſenſus eſt, ſi qui ex matrimonio clandeſtino generati fuerint, illúdque poſtmodum ab Eccleſia approbetur, tunc filii ſunt legitimi.

Idque probatur 1. ex *c. 2. de clandeſt. deſponſ.* ubi habetur, quòd approbatio clandeſtini matrimonii hoc operatur, tanquam ſi à principio in conſpectu Eccleſiæ eſſet contractum: ſed tunc filii eſſent legitimi, licèt poſt detectum impedimentum, matrimonium ſeparetur, *c. pen. h. t.* ergo quamvis ab initio clam contractum ſit, approbatio tamen Eccleſiæ ſubſequens efficiet, ut omnes filii antea geniti ſint legitimi. Confirmatur, quia per Eccleſiæ approbationem purgatur omne vitium matrimonii clandeſtini, ſicut per matrimonium ſequens purgatur turpitudo filiorum, qui ex fornicatio concubitu ſunt geniti, & tollitur præſumptio ſcientiæ, ſeu affectatæ ignorantiæ, quæ fuit motivum, cur proles ex tali conjunctione genita cenſeatur illegitima, ut expreſsè dicitur in *cit. c. ult. §. Si quis verò de clandeſt. deſponſ.* ergo filii efficiuntur legitimi, *Sanch. cit. diſ. 43. n. 4.* Probatur 2. Quia conſtat natos ex clandeſtino matrimonio valido eſſe verè legitimos, prout habetur in *c. 2. de clandeſt. deſponſ.* ubi dicitur: *ſi matrimonia ita occultè contrahantur, quòd exinde legitima probatio non appareat:* & paulò poſt: *ſi perſonæ contrahentium hæc voluerint publicare* (niſi rationabilis cauſa præpediat) *ab Eccleſia recipienda ſunt, & comprobanda, tanquam à principio in Eccleſiæ conſpectu contracta.* Sed hoc poſteriore caſu filii inde nati eſſent legitimi, ergo etiam tunc, quando ſunt nati ex clandeſtino matrimonio valido, *Sanch. l. 3. diſ. 42. n. 8.* & plures alii apud ipſum.

Notandum 2. Judex Eccleſiaſticus, qui pronuntiat aliquem eſſe legitimè natum, poteſt ſimul etiam pronuntiare eſſe hæredem, prout ſumitur ex fine hujus cap. quia filius præſumitur hæres, juxta illud Apoſtoli, *ad Galat. 4. Si filius, ergo hæres*, quod tamen intelligi debet, ſi velit eſſe hæres, quia hodie habet beneficium abſtinendi ab hæreditate patetna, unde ut filius conveniri poſſit tanquam hæres, probari debet, quòd ſe immiſcuerit hæreditati paternæ, *Abb. hic n. 3. & 4. Alex. de Nævo ibid. n. 4.*

XIII. Quattò in *c. Ex tenore. 14. h. t.* Quædam vidua G. nomine, petebat hæreditatem R. » quondam mariti ſui filii, & pupillo filio ſuo reſtitui (quia turrix erat, *Gl. hic V. Reſtitui.*) ſed pars » adverſa petitionem ejus nitebatur repellere, quia » R. maritum iſtius viduæ ex adulterio genitum eſſe » aſſerebat, & quòd pater dicti R. vivente legiti- » mâ uxore, aliam quandam M. nomine ſuperin- » duxit, ex qua dictum R. maritum ejusdem viduæ » ſuſcepit: ſed pars adverſa, vidua ſcilicet dicebat, » quòd ipſa neſciens patrem dicti R. aliam habere » uxorem, cum eo in facie Eccleſiæ matrimonium » contraxit: unde dictus filius ipſius legitimus debeat reputari, cùm illegitimi dici non debeant, » qui ex adultera conſcia non naſcuntur, prout habetur in integra lectione hujus cap. ut refert *Gl. hîc in caſu.* Conſultus ſuper hac re Papa reſpondit: cùm pater prædicti R. matrem ejus in facie » Eccleſiæ ignaram, quòd ipſe ſibi aliam matrimonialiter copulâſſet, duxerit in uxorem, & dum » legitima putaretur uxor, ipſum R. ex eadem ſuſcepit, ideo in favorem prolis, ſe dictum R. legitimum judicare. »

XIV. Notandum 1. Si conjugatus, vivente primâ uxore, in facie Eccleſiæ ducat aliam, quæ probabiliter ignorat illum eſſe conjugatum, proles

Digitized by Google

inde nata judicatur legitima, etiamſi ſubſit occultum impedimentum dirimens, propter quod matrimonium poſtea declaretur nullum, ut in caſu hujus cap. in quo vir duxit ſecundam uxorem, vivente adhuc primâ: imò quod plus eſt, etiamſi ex parte alterius conjugis committatur adulterium, quia alter habet conjugem, *Alex. de Nevo hic n. 4.* Ratio eſt, quia cùm legitimatio filiorum ſit favorabilis, attendenda eſt potiùs in favorem prolis bona fides utriúsque, vel ſaltem alterius parentis impedimentum inter eos ad contrahendum matrimonium ignorantis, quàm mala fides alterius conjugis ſcienter contra legem contrahentis, ut habetur in fine hujus cap. *Vivian. in Ration.*

Notandum 2. Ignorantia impedimenti dirimentis matrimonium ad legitimandam prolem non ſufficit, ſi adſit tempore contractûs matrimonii, ſed requiritur, ut ſubſit tempore ſuſceptionis, ſive conceptionis prolis, vel nativitatis. Unde ſi ambo parentes, vel alter eorum, tempore conceptionis filii, ignorabant impedimentum, filius naſcitur legitimus, quia bona fides attenditur tempore conceptionis filii: nam is, qui eſt in utero, pro nato habetur, quando agitur de commodo ipſius, *l. Qui in utero. 7. ff. De ſtatu hom.* & dictum ſuprà, *Alex. de Nevo hic num. 5.*

Notandum 3. Ad legitimandam prolem propter bonam fidem parentum, vel ſaltem alterius tantùm, requiritur, ut matrimonium inter eos in facie Eccleſiæ fit contractum, prout conſtat ex hoc cap. nam cùm matrimonium, de quo hîc agitur, ſit nullum, quippe à conjugato, vivente primâ ejus uxore, contractum, & ut illi filii nati cenſeantur legitimi, fundat ſe textus in eo, quòd non ſit clandeſtinum, ſed publicè in facie Eccleſiæ contractum, cum ignorantia impedimenti, ſaltem ab altero conjuge: nam ſi præter impedimentum ligaminis, ſive vinculum prioris matrimonii fuiſſet quoque matrimonium clandeſtinum; tum filii geniti ex tali matrimonio inter prohibitos contracto non eſſent legitimi, juxta *c. ult. §. Si quis vero de clandeſt. deſponſ.* quia ex matrimonio clam, & occultè contracto præſumitur ſcientia impedimenti, & dolosè matrimonium contractum. Unde quando dicitur, ex matrimonio putativo genitos filios non effici legitimos, niſi publicè in facie Eccleſiæ fuerit contractum, id intelligendum eſt, quando ob aliquod impedimentum dirimens matrimonium eſt nullum, tametſi illud conjugibus non fuerit notum, *Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 6. in princ. n. 12. Barb. in Collect. hic n. 3.* Et quamvis Canon ille in *cit. c. ult. §. 1.* ſit pœnalis, non tamen ideo reſtringi debet, cùm favore animæ ſit conditus, adeoque ampliari, *Abb. hîc n. 6. & Covarr. c. l.*

XV. Quintò in *c. Gaudemus. 15. & ult. h. t.* ſtatuitur: filii, qui ex infidelium (ſcilicet paganorum, vel Judæorum conjunctionibus, ſeu conjugiis) geniti ſunt, ſi illorum parentes in ſecundo, vel tertio, vel ulteriore gradu ſecundùm opinionem eorum, matrimonium contraxerunt, poſt fidem receptam (id eſt, poſtquam ad fidem ſunt converſi) utilitate publicâ ſuadente, legitimi ſunt cenſendi.

XVI. Notandum 1. Inter infideles verum, & legitimum matrimonium poteſt conſiſtere, quia matrimonium, non tantùm eſt Sacramentum, ſed etiam contractus naturalis: quamvis ergo matrimonium non poſſit conſiſtere inter infideles, quatenus eſt Sacramentum; cùm enim non ſint baptizati, Sacramenti capaces non ſunt: poteſt tamen, quatenus eſt contractus naturalis, inſtar aliorum contractuum, *Sanch. l. 7. de matr. diſ. 73. n. 2.*

Notandum 2. Matrimonium infidelium eſt validum, in quo non adeſt impedimentum jure naturali, vel Divino dirimens matrimonium, quamvis Jure Canonico dirimat, quia lex Canonica non aſtringit infideles, *Sanch. cit. diſ. 73. n. 3.* ideóque ſi tales contraxerunt matrimonium in gradu non prohibito lege Divinâ, vel naturali, filii ex eo nati ſunt legitimi, licèt patentes contraxerint matrimonium in gradu prohibito à Lege Canonica, *c. De infidelibus, 4. de conſang. Vivian. in Ration. hic.*

XVII. Notandum 3. Filii converſorum ad fidem Chriſtianam ab Eccleſia reputantur legitimi, idque in favorem fidei, & ſuadente publicâ utilitate, quia eis ſic favendo, alii faciliùs convertentur, *Gl. fin. hic.* Idque confirmatur, quia matrimonium, quod ab infidelibus contractum eſt in gradibus ſolâ lege Canonicâ prohibitis (de quo communiter intelligitur hoc cap.) poſt eorum converſionem, remanet indiſſolubile, & perfectam Sacramenti rationem ſortitur, *c. De infidelibus. 4. de conſang. & affin.* Et conſequenter cùm matrimonium tale à principio fuerit validum, & poſt converſionem conjugum infidelium validum maneat, nihil obſtat, cur poſſit, vel debeat dubitari, filios inde natos eſſe legitimos, *Barbos. in cit. l. fin. n. ult. h. t.*

Notandum 4. Alia expoſitio hujus cap. eſt, quòd loquatur de prole ſuſcepta ex ſecundo matrimonio, repudiatâ primâ conjuge, & tale matrimonium initum cum ſecunda, vivente primâ, non valet, quia ſubeſt impedimentum Juris Divini, cùm Chriſtus expreſsè prohibuerit, vivente primâ uxore, ducere aliam, ſive duas ſimul habere uxores, *c. pen. de divort.* ideóque quando infideles, repudiatâ primâ uxore, contrahunt cum ſecunda, matrimonium tale non tenet, tametſi convertantur ad fidem, quia ignorantia Juris Divini non excuſat ſic contrahentes matrimonium à peccato: ob favorem tamen dilatationis fidei, & quia contrahentes fuerunt in bona fide; contraxerunt enim infideles ſecundùm legem ſuam, ſi poſtea convertantur ad fidem Chriſtianam, filii eorum ſiunt legitimi, auctoritate hujus Canonis, *Alex. de Nevo hic n. 4. & 5.* Nec videtur diſſentire *Abbas hic in fine.* Plura de his infrà *Tit. 19.*

§. III.

Quinam in ſpecie reputandi ſint filii illegitimi?

XVIII. Inprimis matrimonium contractum contra publicæ honeſtatis juſtitiam non tenet, & filii ex eo nati ſunt illegitimi, & ab hæreditate paterna excludendi, prout ſumitur ex *c. Referente. 10. h. t.* Nam cùm quidam, ut refert *Gloſſ.* ibi in caſu, ſponſalia de futuro cum aliqua contraxiſſet, illa poſtea, mutatâ voluntate, per verba de præſenti con-

Digitized by Google

» contraxit matrimonium cum alio, & ſic ſoluta » fuerunt priora ſponſalia: ille verò, qui ſponſalia » cum ea contraxerat, matrimonium iniit cum quadam illius conſanguinea, ex certa ſcientia utriuſque, ex quo nati ſunt filii, quæſitum fuit, an hi eſſent legitimi? Reſpondet Papa Cæleſtinus III. » quòd matrimonium inter eos contrahi non potuit, probibente id publicæ honeſtatis juſtitiâ, & » contractum debuit ſeparari: filios verò, cùm nec » per Eccleſiæ permiſſionem (id eſt, diſpenſationem, quia Eccleſia cum eis non diſpenſavit, adeoque tale matrimonium non approbavit, *Gl. hic V. Permiſſionem.*) nec per paternam ignorantiam excuſentur (hæc enim utriuſque parentis, vel alterius tantùm excuſat filios, & legitimos reddit, *Gl. hic V. Ignorantiam.*) ad ſucceſſionem bonorum » paternorum non eſſe admittendos.

XIX. Notandum 1. Impedimentum publicæ honeſtatis, non tantùm impedit matrimonium contrahendum, ſed etiam dirimit contractum contra publicam honeſtatem, & invalidum reddit, & filii ex tali matrimonio nati ſunt illegitimi, nec ſuccedunt in bonis patentum, *Abb. hic n. 3. & Alex. num. 2.*

Notandum 2. Eccleſia poteſt diſpenſare in impedimento publicæ honeſtatis, quia illud non eſt à Jure Divino, ſed poſitivo inductum; diſpenſando autem ſuper matrimonio, per conſequens etiam diſpenſat ſuper legitimitate filiorum, etiam quoad hæreditatem, *Abb. hic n. 3. & 4. & Alex.*

Notandum 3. Si poſt ſponſalia de futuro cum certa perſona inita contrahat ſponſus matrimonium de præſenti cum ejus ſorore, ſed nondum conſummavit, obligatur ad ſervandam priori fidem, eámque recipere debet, quia matrimonium cum ſecunda propter impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis fuit nullum. Quòd ſi matrimonium cum poſteriore conſummâſſet, cum neutra poſſet illud validè contrahere: non cum priore, propter impedimentum affinitatis conſurgens ex copula cum ſorore habita. Non cum poſteriore, propter impedimentum publicæ honeſtatis ortum ex ſponſalibus validè contractis cum ejus ſorore, *Navarr. in Man. Prael. c. 22. n. 57. Sanch. l. 7. diſ. 68. n. 24.*

XX. Præterea ſi mulier aliqua, vivente marito, alteri viro matrimonialiter de facto conjungatur, proles ex tali matrimonio nata illegitima cenſeri debet, prout decernitur in *c. Cauſam, quæ. 4. h. t.* » Nam quia, ut refert *Gl.* ibi in caſu, dicebatur, » quòd Agatha, de cujus hæreditate agebatur, non » eſſet ex legitimo matrimonio nata, mandat Papa » de hoc inquiri: & ſi conſtiterit, quòd Agatha nata ſuit ex Anelina, eo tempore, quo illa cum Alano viro ſuo morabatur, non eſſe Agatham legitimam ejus filiam cenſendam, vel ſi Rudlophus pater dictæ Agathæ Anelinam virum habentem publicè tenebat (tanquam uxorem) & eo tempore » nata fuit Agatha, eam non fuiſſe legitimam ejusdem Rudolphi filiam judicandam: quia non potuit eſſe uxor, quæ viri ſui (ſcilicet Alani) totum » maculans, alii (nempe Rudolpho ſcienti, quòd » illa (Anelina) habebat alium virum (Alanum, » *Gl. hic V. Alii.*) dum ille viveret, copulari præſumpſit. Ratio deciſionis patet, quia cùm Agatha nata fuerit ex adulterio, non potuit eſſe legitima proles. »

XXI. Notandum 1. Si conſtet, quòd uxor concepit filium, eo tempore, quo ejus maritus non poterat habere copulam cum illa, non debet cenſeri filius mariti, ſed alterius, prout ſumitur ex hoc cap. & *l. Filium. 6. ff. De his, qui ſui, vel alieni jur. ſunt.* ſive talis filius moretur, & habitet apud maritum, ſive apud virum adulterum; non enim infertur ex habitatione, quòd ille ſit filius mariti, ut hìc & *cit. l. Filium.* Si tamen dubitetur, an natus ex uxore, quæ rem habuit cum alio viro, poſſit eſſe filius mariti, præſumitur potiùs filius legitimus mariti, quàm ex adulterio natus, quia cùm talis poſſit eſſe filius utriuſque, potiùs in favorem mattimonii præſumi debet eſſe legitimus. Poteſt tamen quis probari eſſe filius illegitimus natus ex adulterio, etiamſi mater habitet cum marito, dummodo probari poſſit, quòd maritus tempore conceptionis non habuerit commercium carnale cum uxore ſua, *Abb. hic n. 2. Alex. de Nevo n. 3.*

Notandum 2. Excluſo ab hæreditate aſcendente, v. g. avo tanquam illegitimo, excluduntur etiam deſcendentes, etſi ſint legitimi, ut in caſu hujus cap. non Agatha, ſed filius ejus, ut colligitur ex *c. Cauſam. 7. h. t.* litigavit, cùm enim ſi peteret hæreditatem avi ex perſona matris Agathæ, diſputabatur hîc de legitimatione Agathæ, an fuerit legitima, *Abb. hic n. 3.* Ex quo infert, licèt filius ſit legitimus, ſi tamen pater fuit illegitimus, non debet admitti ad hæreditatem avi, & aliorum aſcendentium: nam ex prole illegitima non poteſt naſci proles legitima quoad aſcendentes, quia omnes deſcendentes ex patente non legitimo oriuntur ex radice infecta, & ſic eiſi ipſi ſint legitimi; excluduntur tamen ab hæreditate illorum, quibus pater illegitimus non poteſt ſuccedere, quò facit *text. in l. fin. C. De natural. liber. Abb. hic in fine, & Alex. de Nevo n. 4. & 5.*

XXII. Cæterùm huc pertinet alia ſimilis Conſtitutio, quæ habetur in *c. Cauſam, quæ. 7. h. t.* & olim fuit pars Decretalis *cauſam, quæ 4.* ſuprà allata, & explicatæ. In poſteriore verò *c. Cauſam, quæ*, quod debetet præcedere *cap. Cauſam. 4.* ut cenſet *Abb.* idem caſus poſitus in priore *cap. Cauſam*, pleniùs proponitur, & declaratur his verbis. R. & F. erant duo fratres. R. iſte ſuſcepit Agatham ex Anelina uxore » Alani: Agatha verò ex legitimo matrimonio ſuſcepit iſtum R. de quo ſit hîc mentio, & ſic Rudolphus fuit avus iſtius R. qui profectus eſt ultra » mare, & reliquit iſtum R. de quo hîc habetur, & » Agatham matrem Rudolphi in poſſeſſione omnium bonorum ipſius; poſtquam audivit, quòd » Rudolphus mortuus eſſet ultra mare, F. iſte ſtatim ſpoliavit ipſum R. poſſeſſione omnium bonorum Rudolphi avi ſui, in quorum poſſeſſione » manebat, quando ivit ultra mare, quia dicebat, » Agatham neptem ſuam matrem iſtius Rudolphi » non fuiſſe natam ex legitimo matrimonio (*c. Cauſam, quæ. 4. ſupr.*) & ſic nec ipſa, nec R. ejus filius » debebat ſuccedere Rudolpho fratri ejusdem F. » ſed ipſe F. Unde iſte R. ſic ſpoliatus ab F. avunculo ſuo impetravit litteras ad Epiſcopos Exonienſem, Londonenſem, & Vigorienſem, ut cognoſcant ſuper eo, quòd mater ipſius R. dicebatur ex »

Digitized by Google

» matrimonio non legitimo nata, ita tamen ut ante » ingreſſum, ſeu exordium principalis cauſæ, de- » beant ei reſtituere hæreditatem avi ſui. Sed quia » Rex Angliæ turbatus fuit, quòd Papa judicium » poſſeſſorium commiſerat dictis tribus Epiſcopis, » revocavit judicium iſtud de reſtitutione, quod ad » Regem pertinet: & mandat, ut procedat ſuper » quæſtione nativitatis ipſius Agathæ, an ſcilicet » nata ſit ex legitimo matrimonio; licèt Incongru- » um videatur, ut matrimonium, ex quo nata fuit » Agatha genitrix dicti R. impetatur, quod eâ vi- » vente (ut dicitur) non fuit impetitum (quia cri- » mina morte extinguuntur, *l. 1. & 2. C. Si reus, vel accuſ. mort. fuer. Gl. hic V. Incongruum.*) Sed quia » Judices iſti fortè non procedebant in cauſa, iſte » R. impetravit eandem cauſam commiſſi prædictis » tribus Epiſcopis: quia verò F. Epiſcopum Lon- » donenſem ſuſpectum habuit, fecit illum remove- » ri, & loco illius ſubſtitui Abbatem Herforden- » ſem. Ita refertur à *Gloſſ. & Abbate in caſu cit. c. Cauſam. 7. h. t.*

XXIII. Ubi notandum 1. Summus Pontifex, vel alius Judex Eccleſiaſticus non cognoſcit de cau- ſa civili, ſeu temporali inter laicos, niſi ſint pau- peres, vel aliæ perſonæ miſerabiles: quia in cauſis temporalibus inter laicos, extra dominium tempo- rale Eccleſiæ, regulariter eorum cognitio ſpectat ad Poteſtatem ſæcularem, *Gl. hic V. Ad Regem, & Abb. n. 2.* Cognoſcit tamen Eccleſia, ſeu Judex Eccleſia- ſticus, an quis natus ſit ex matrimonio legitimo, quia matrimonium, & cauſa legitimitatis acceſſo- riè ab illa dependens, ſunt cauſæ ſpirituales; ideo illarum cognitio ſpectat ad Judicem Eccleſiaſticum, & ſæcularis non poteſt de illis cognoſcere. *Vivian. in Ration. hic*, de quo plura infrà.

Notandum 2. Ad Reges ſpectat cognoſcere de omnibus cauſis ad Regnum pertinentibus, & ſic Rex habet jure communi fundatam jurisdictionem per totum ſuum Regnum, niſi quis oſtendat, ſe habere jurisdictionem in aliquo Caſtro, vel Civitate ſita in Regno per ſpeciale privilegium, vel præſcriptio- nem, *Abb. hic n. 3. & Alex. de Nævo n. 5.*

§. IV.

Coram quo Judice, ſæculari, an Eccleſiaſtico tractari debeat, vel poſſit quæſtio nativitatis, ſeu natalium?

XXIV. De hac quæſtione agitur in *c. Lator. 5. h. t.* Ubi talis caſus proponitur: Quidam R. no- » mine accedens ad Papam, coram ipſo propoſuit, » avum ſuum duas habuiſſe uxores, de quarum una » patrem ipſius (ſcilicet R.) de altera H. patruum » ſuum ſuſcepit, qui hæreditatem avi ſui totam ſi- » bi retinebat, nec partem debitam voluit ipſi R. » exhibere. Unde cùm ipſe R. patruum ſuum H. ſu- » per parte hæreditatis paternæ coram Judice ſæcu- » lari conveniſſet, idem patruus ei objecit, quòd pa- » ter ipſius ex legitimo matrimonio non fuerit na- » tus: & ideo de hæreditate ipſius nihil poſſet hæ- » reditario jure ſibi vendicare. Poſtea cùm ſuper » quæſtione natalium coram Epiſcopo Norvicenſi » fuiſſet actum, tandem ad Papam fuit appellatum: » quare Pontifex mandavit Judicibus à ſe delega- » tis, ut quæſtionem nativitatis, ſeu natalium partis » ejusdem R. intra duos menſes, remotâ appella- » tione, terminent. Si verò intra hoc tempus, præ- » dictus Hugo, quod objecit, legitimè non proba- » verit, ex tunc læculari Judici, coram quo hære- » ditas cauſa vertitur, eam debeant intimare, ut » propter quæſtionem nativitatis non omittat cau- » ſam hæreditatis audire, & decidere.

XXV. Pro explicatione hujus cap. notandum 1. quæſtio natalium oppoſita petenti hæreditatem coram Judice ſæculari, remittenda eſt ad Judicem Eccleſiaſticum ab eo cognoſcenda, etiamſi de illa non principaliter, ſed incidenter agatur, ut in caſu hujus cap. inciderat quæſtio ſuper legitimitate, quia petenti partem hæreditatis avi objectum fuit, quòd pater ejus non eſſet ex legitimo matrimonio natus: & tamen Pontifex mandat, ut hæc quæſtio natalium coram Judice Eccleſiaſtico priùs terminetur: & interim ſuperſedeatur in cauſa principali hæredi- tatis agitata coram Judice ſæculari, ita ut pendente cauſâ natalium, Judex ſæcularis non poſſit in cauſa principali hæreditatis procedere. Ratio eſt, quia cauſa natalium eſt meré ſpiritualis, cùm ſit acceſſo- riè annexa ipſi matrimonio, quod eſt ſpirituale, ide- òque Judex ſæcularis nec principaliter, nec inci- denter poteſt de illa cognoſcere, *c. Cauſam. 7. h. t.* ſic- ut nec de annexo ſpirituali, *c. Quanto. 3. de Judic. Abb. hic n. 3. & Alex. de Nævo n. 3.* Concordat textus in *c. Tuam. 3. de Ord. cognit.* de quo dictum ſupra *libr. 2. Decret. Tit. 10. §. 3.*

XXVI. Veruntamen pleriquehoc intelligunt, quòd procedat, quando cauſa legitimitatis, ſeu na- talium pendet ex aliqua quæſtione juris, veluti u- trùm matrimonium ſit legitimè contractum, & va- lidum, necnè: non item ſi verſetur circa factum tantùm, quia dubitatur, an matrimonium de facto fuerit contractum inter perſonas habiles ad contra- hendum; tunc enim Judex laicus non prohibetur de quæſtione natalium incidenter cognoſcere. Sed hanc Decretalem procedere ajunt, in priore caſu, quia H. objecit defectum natalium provenientem ex invaliditate matrimonii, & ſic erat incidens quæ- ſtio juris, & non facti, quia dubitabatur, an matri- monium validum eſſet initum inter avum iſtius a- ctoris, & aviam maternam, *Abb. hic n. 2. & Alex. n. 3. Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 8. §. 12. n. 3.* quam- vis aliqui hanc diſtinctionem non admittant.

Sed obſtare videtur, quòd quæſtio ſtatûs, v. g. an quis filius ſit, vel ſervus, ſi incidat in petitio- nem hæreditatis, coram Judice ſæculari, apud eun- dem Judicem decidirur, etiamſi principaliter Judex de quæſtione ſtatûs cognoſcere non poſſit. Nam quæſtio ſtatûs non eſt cauſa ſpiritualis, ſeu Eccleſia- ſtica, ſed civilis; ideòque etiam Judex ſæcularis poteſt de ea cognoſcere. Unde ſi civilis cauſa inci- dat in ſpiritualem, reſtè etiam illa tractatur coram eodem Judice Eccleſiaſtico, quia hic eſt capax etiam jurisdictionis civilis, ſeu ſæcularis, & poteſt cogno- ſcere, & decidere cauſas civiles: non autem laicus eſt capax jurisdictionis Eccleſiaſticæ, *Henric. Caniſ. hic n. 2.*

Notan-

Digitized by Google

Notandum 2. Si nepos petat hæreditatem avi ſui defuncti, ſed patruus, ſeu frater patris (ut in caſu hujus c.) contra eum excipiat, quòd pater ejuſdem non erat ex legitimo matrimonio genitus, adeóque incapax ſucceſſionis; tunc nepos quippe legitimus eſt capax hæreditatis avi ſui, quia nepos legitimus ex filio naturali tantùm, non ſuccedit avo ex perſona patris ſui, qui cùm ſit illegitimus, excluditur ab hæreditate patris ſui, extantibus legitimis liberis, tanquam veniens ex radice infecta: ipſe verò filius legitimè natus ex patre naturali tantùm ſuccedit avo paterno, non ex perſona patris ſui, ſed ex ſua perſona, *Abb. hic n. 2. & Gloſſat. ejus lit. B.* Et hæc quæſtio natalium priùs cognoſci, & decidi debet, cùm ſit præjudicialis ad cauſam hæreditatis, quippe quæ ex legitimis natalibus pendet, ptout decidituir in hoc cap.

XXVII. Notandum 3. Si quæſtio intentata coram Judice ſæculari ſit temporalis, & profana, qualis eſt quæſtio hæreditatis; tunc illa non debet per Judicem Eccleſiaſticum, ad quem delata eſt cauſa incidens natalium, cognoſci, & terminari: ſed poteſt, ac debet Judex Eccleſiaſticus opponenti exceptionem nativitatis, ſeu illegitimorum natalium præfigere terminum peremptorium, intra quem probare debet illam exceptionem, ita ut eo elapſo, non ampliùs audiatur; idque facere debet Judex Eccleſiaſticus, quando vehementer præſumitur de calumnia excipientis, *Abb. hic n. 4. & Alex. n. 4.*

Notandum 4. Quando quæſtio principaliter fuit intentata coram Judice ſæculari, non poteſt Judex Eccleſiaſticus, qui cognovit de quæſtione incidente, poſtea cognoſcere de principali, ſed debet partes remittere ad Judicem ſæcularem, quia cùm cauſa principalis jam fuerit inchoata coram Judice ſæculari, non poteſt Judex Eccleſiaſticus acceſſoriè cognoſcere de cauſa incidente. Si verò nulla quæſtio mota ſit coram Judice ſæculari, ſed principaliter eſſet quæſtio mota de legitimitate natalium coram Judice Eccleſiaſtico; tunc incidenter etiam poſſet Judex Eccleſiaſticus de cauſa principali hæreditatis cognoſcere, *Abb. hic n. 5. Alex. de Nævo n. 8.*

Notandum 5. Exiſtens in quaſi poſſeſſione legitimæ nativitatis, in petitione hæreditatis, relevatur ab onere probandi, ſe eſſe legitimè natum, & onus probandi defectum natalium incumbit ei, qui eum opponit, ut notat *Gl. hic V. Probare legitimè*, quia in *cit. c. Lator*, pater actoris erat in poſſeſſione legitimæ filiationis; habebatur enim pro filio legitimo, & poſſidebat bona paterna, & fuerat natus ex ea, quæ credebatur uxor, ideo opponens quæſtionem natalium tenebatur probare defectum eorum, quamvis non omnia hæc tria requirantur ad conſtituendum in quaſi poſſeſſione legitimitatis, ſed quodlibet ex illis disjunctivè ſufficit, *Fagnan. hic n. 4.*

§. V.

De legitimatione prolis illegitimæ per ſubſequens matrimonium.

XXVIII. De hac agitur inprimis in *c. Conqueſtus. 1. h.t.* Nam cùm quidam Henricus nomine, quandam in uxorem duxiſſet, patruus ejusdem mulieris voluit eam exhæredare (id eſt, ab hæreditate paternâ excludere) eò quòd nata fuiſſet antequam pater illius matrem ejus accepiſſet in uxorem; ideóque prætendit eam illegitimam eſſe, & conſequenter incapacem hæreditatis paternæ. Relatâ ad S. Pontificem Alexandrum III. is mandavit, ut ſi ita eſt, ea legitima filia patris ſui judicetur, patruóque inhibeatur, ne occaſione paternæ hæreditatis, ei moleſtia inferatur, ſub pœna excommunicationis inferendæ, ſi contrà fecerit.

XXIX. Ubi notandum 1. filius naturalis tantùm natus ex ſoluto, & ſoluta, inter quos tempore generationis non erat impedimentum dirimens conjugium, legitimatur per ſubſequens matrimonium, *Abb.* & Canoniſtæ hîc communiter in ſumma, quia tales filii ex juris fictione, ſeu diſpoſitione reputantur, ac ſi ex legitimo matrimonio nati eſſent. 2. Judex Eccleſiaſticus poteſt cognoſcere inter laicos de legitimatione, quando venit acceſſoriè ad cauſam matrimonialem: nam cùm ad aliquem ſpectat cognitio cauſæ principalis, ſpectat etiam cognitio acceſſorii, vel à principali dependentis; legitimatio autem pendet à matrimonio rato, & valido, *Abb. hic & Alex. n. 2.* 3. Filius genitus, ante matrimonium contractum, legitimatur per matrimonium ſubſequens etiam quoad ſucceſſionem in hæreditate temporali, ita ut talis filius præferatur patruo in hæreditate paterna; ſi enim filius eſt, ergo & hæres, *Abb. hic n. 3. & Alex. n. 4.* Sed de his mox plura.

XXX. Præterea in *c. Tanta. 6. h.t.* idem Pontifex ita reſcribit: Tanta eſt vis (id eſt, virtus, & potentia) matrimonii, ut qui antea ſunt geniti, poſt contractum matrimonium, legitimi habeantur. Si autem vir, uxore ſuâ vivente, aliam cognoverit (ſcilicet conſciam adulterii, ſecùs ſi ignorantem *Gl. hic V. Aliam.*) & ex ea prolem ſuſceperit: licèt poſt mortem uxoris, eandem duxerit; nihilominus ſpurius erit filius, & ab hæreditate repellendus: præſertim ſi in mortem prioris uxoris alteruter eorum aliquid fuerit machinatus.

XXXI. Ubi notandum 1. Quòd tanta ſit vis, & potentia matrimonii, ut antea illegitimi fiant legitimi per ſubſequens matrimonium inter eosdem parentes contractum. Ratio eſt, quia matrimonium ſubſequens purgat omnia præcedentia, adeóque etiam præcedens vitium turpitudinis tollit, *Gl. hic V. Legitimi.* ita ut non ſolùm habeantur, ut in textu dicitur: ſed etiam verè, ac propriè ſint legitimi, quia quando aliqui auctoritate Juris fiunt legitimi ab habente poteſtatem legitimandi; tunc paria ſunt dicere, ſint legitimi, & habeantur pro legitimis, *Abb. hic n. 4. & Alex. de Nævo n. 4. & 5. Azor p. 2. Inſtit. l. 2. c. 13. q. 6.* Et quamvis ſecundùm leges Civiles, matrimonium non ſufficiat ad legitimandos filios antè genitos, niſi interveniat inſtrumentum dotale, *§. fin. Inſtit. de nupt.* de Jure tamen Canonico id non eſt neceſſarium, quia iſtud cap. ſe fundat ſuper virtute, & potentia matrimonii, ad cujus eſſentiam non requiritur inſtrumentum dotale, *Abb. hic n. 2.* & alii. *Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 8. §. 2. n. 8.*

Notandum 2. Legitimatio, quæ fit per ſubſequens matrimonium, juris fictione retrotrahitur ad tem-

Digitized by Google

ad tempus conceptionis, vel etiam ſecundùm alios, ad tempus generationis, ſeu nativitatis, ita ut qui antea illegitimi concepti, vel etiam nati ſunt, per matrimonium poſtea ſubſecutum, non tantùm ex tunc legitimi fiant, ſed antè, & à tempore conceptionis, vel nativitatis, habeantur, & ſint legitimi. *Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 8. § 2. n. 2. & 7.*

XXXII. Notandum 3. Non omnes filii ex iisdem parentibus, ante matrimonium, nati, per ſubſequens matrimonium legitimantur, ſed filii naturales tantùm, qui ſcilicet ſunt orti ex perſonis, inter quas poterat conſiſtere matrimonium, ſaltem eo tempore, quo proles concepta eſt, ita ut parentes tunc fuerint habiles ad contrahendum matrimonium inter ſe, ſeu nullo Canonico impedimento obſtricti fuerint, alioquin proles per ſubſequens matrimonium non legitimabitur, *Covarr. cit. c. 8. §. 2. n. 2. Azor cit. c. 13. q. 2. Sanch. l. 8. diſ. 7. num. 19. Laym. libr. 5. tr. 10. p. 3. c. 5. n. 2.* Spurii verò, ſive nati ex adulterio, non legitimantur per ſubſequens matrimonium; tum quia parentes peccârunt contra matrimonium; & ideo non debet eis in prolis legitimatione ſubveniri: tum quia in illis matrimonium non retrotrahitur ad tempus conceptionis, vel generationis, ita ut Jus fingat, inter tales fuiſſe matrimonium, eo tempore, quia cùm talis fictio juris habeat principium prohibitum, & vitioſum, non fingitur retrotractum tale matrimonium, ad tempus conceptionis, *Alex. de Nevo n. 7.* ſed de hoc pluta infrà.

Notandum 4. Legitimatus per ſubſequens matrimonium, non debet repelli ab hæreditate, ſed in ea ſuccedere, ſicut ij, qui ab initio fuerunt legitimè nati. Spurii autem, ſeu nati ex adulterino coitu, debent repelli ab hæreditate, præſertim ſi alteruter ſit machinatus in mortem prioris uxoris, id eſt, *maximè*, quia idem eſt hoc caſu, etiamſi non fuerit machinatus; non enim legitimatur per ſubſequens matrimonium filius conceptus, vel natus ex adulterio, dato etiam quòd matrimonium teneat inter adulterum, & adultetam, mortuâ legitimâ uxore: multò magis talis ſpurius non poſſet legitimari, ſi matrimonium non teneat: quòd ſi inter adultetum, & adulteram interveniſſet machinatio mortis, non poſſet inter eos matrimonium eſſe, *c. ult. de eo, qui duxit in matr. Alex. de Nevo hic n. 8.*

XXXIII. Porro pto majore declaratione hujus famoſi cap. proponemus plures quæſtiones occurrentes circa legitimationem per ſubſequens matrimonium, quæ tractari hîc ſolent ab Interpretibus.

Quæritur 1. Quo tempore parentes debeant eſſe habiles ad contrahendum matrimonium, ut proles ab eis nata legitimetur per ſubſequens matrimonium, utrùm tempore conceptæ prolis, vel natæ? In qua te certum eſt, ut legitimentur liberi ſuſcepti ex parentibus ſolutis, ſatis eſſe, quòd inter eos ſaltem tempore conceptionis, nullum erat impedimentum contrahendi matrimonii, etſi fortè tempore nativitatis tale impedimentum exiſtat, quia talis proles non eſt ſuſcepta ex coitu damnabili: Jura autem ſolùm ſtatuunt, prolem per ſubſequens matrimonium non legitimari, ſi ex coitu damnabili inter perſonas inhabiles, ſeu contrahere impeditas ſuſcepta ſit. Unde ſi proles ſuſcepta ſit ex parentibus ſolutis; tempore verò nativitatis mater nupta ſit alii viro, & poſt hujus mortem, ſecundum matrimonium ineat cum illo viro, ex quo proles olim concepta erat, ea legitima erit, non obſtante matrimonio intermedio, *Abb. in cit. c. Tanta. n. 3. h. t. Covarr. cit. c. 8. n. 15. Suar. diſ. 50. de cenſur. ſec. 1. num. 4. Laym. cit. c. 5. num. 2.*

XXXIV. An verò ſufficiat ad legitimandam prolem per ſubſequens matrimonium; ſi vice verſâ, hoc conſiſtere potuerit inter parentes, tempore natæ prolis, etſi tempore conceptionis inhabiles fuerint ad contrahendum, dubitatur? Ut ſi quis ex conjugata conceptus fuit, natus autem poſt mortem mariti: vel ſi conceptus ex Clerico in Sacris conſtituto, natus verò, poſtquam cum eo diſpenſatum fuit à S. Pontifice. Affirmant *Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 8. §. 2. n. 2. Molin. tom. 2. tract. 2. diſ. 172. n. 2. Azor p. 2. l. 2. c. 13. q. 3. Fachin. l. 3. contr. c. 50.* videlicet ſufficere, ſi tempore concepta, vel natæ prolis matrimonium inter parentes contrahi potuiſſet, quæ ſententia favorabilis eſt, & ob auctoritatem DD. probabilis, quia Jure ſtatutum eſt in *l. Qui in utero. 7. ff. De ſtatu hom.* ut qui in utero eſt, habeatur pro nato, in ſui commodum. Contrarium tenent *Silveſt. V. Filii. q. 8. n. 10. Suar. cit. diſ. 50. ſec. 1. n. 3. Laym. cit. c. 5. n. 2.* nempe ſi contingat tale impedimentum inter parentes exiſtere, tempore copulæ, ſeu conceptionis; tempore autem nativitatis filii jam ſit ablatum per diſpenſationem, filium non fieri legitimum per ſubſequens matrimonium, ut colligitur ex *cit. c. Tanta. h. t.* in quo ſolùm requiritur, ut copula intervenerit exiſtente impedimento, quia ibi ſolùm videtur haberi ratio copulæ, ita ut ſi illa habita ſit inter perſonas impeditas, ſeu inhabiles ad contrahendum, proles non legitimetur per ſubſequens matrimonium, quia lex non reſpexit ad nativitatem filii, in qua non intervenit culpa, ſed ad copulam ita turpem, ut noluerit illam purgari per ſubſequens matrimonium, ad quod partùm refert, quòd impedimentum ſublatum ſit tempore nativitatis. Secùs verò eſt, ſi è contrario, tempore conceptionis non adfuit impedimentum; tempore autem nativitatis exiſtat; nam hoc non obſtante, proles legitima efficitur, *Suar. c. l. n. 4.* quæ ſententia juri conformior videtur. Textus autem in *cit. l. Qui in utero*, intelligendus eſt de filio legitimè concepto, vel ſaltem ex concubina, cum qua poterat conſiſtere matrimonium, *Canif. hic num. 13.* Atque hinc ulteriùs colligitur, quando tempore conceptionis impedimentum exiſtit inter parentes, ditimens matrimonium, etiamſi ab altero eorum ignoretur, prolem tamen inde natam non fieri legitimam, propter matrimonium ſubſequens, ablato impedimento, quia in *cit. c. Tanta*, generaliter dicitur, ſi vir, vivente uxore, aliam cognoverit, & ex ea prolem ſuſceperit, ſive mulier ſciverit, virum, cui copulata eſt, eſſe conjugatum, ſive ignoraverit, filium inde natum ſemper eſſe ſpurium, neque per ſequens matrimonium legitimari, quia illa limitatio in nullo Jure eſt fundata, *Suar. cit. diſ. 50. ſec. 1. n. 5. Laym. c. l.*

XXXV. Quæritur 2. An filii illegitimi omnia legitimorum jura aſſequantur, ſubſecuto matrimonio? Reſp. conſequi omnia jura, tum ſpiri-

tualia,

cuſalia & Eccleſiaſtica, tum civilia, & profana, ita ut in omnibus habeantur, & ſint legitimi, perinde ac ſi ab initio ex legitimo matrimonio concepti fuiſſent, & ſuis Majoribus, ſeu aſcendentibus, & cognatis collateralibus ſuccedere poſſint, ex teſtamento, & ab inteſtato, *Gl. in cit. c. Tanta V. Legitimi*, ubi ait, quòd ſunt legitimi quoadomnia, quia matrimonium omnia præcedentia purgat, & *Abb. ibid. n. 7. Azor p. 2. libr. 2. c. 13. q. 14. Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 8. §. 2. n. 21.* & eſt communis ſententia.

Hinc infertur 1. Legitimatos per ſubſequens matrimonii ſuccedere etiam in feudis, *Covarr. in cit. c. 8. §. 2. n. 27. Azor cit. c. 13. q. 14. Gabriel in Concl. commun. lib. 6. de legitimatione concl. 1. n. 22.* quamvis aliqui id limitent, niſi feudum concederetur pro filijs legitimè natis ex matrimonio, *Gabr. c. l. n. 23. & 27.* Succedunt etiam in Majoratibus, ita ut præferendi ſint ſecundis filijs, qui nati ſunt ex eiſdem parentibus legitimo matrimonio jam conjunctis, ut docent plures apud *Barbos. in. cit. c. Tanta n. 22.* Tertiò ſuccedit legitimatus per ſubſequens matrimonium in Emphyteuſi Eccleſiaſtica, quam pater habuerat, *Covarr. cit. §. 2. n. 23. Gabr. c. l. n. 29.* Quartò filij legitimati per ſubſequens matrimonium, abſque alia diſpenſatione, poſſunt promoveri ad Sacros Ordines, & dignitates Eccleſiaſticas, & in Epiſcopos eligi, *Covarr. c. l. n. 24. Azor cit. c. 13. q. 14. §. Præterea*, non autem poſſunt promoveri ad Cardinalatum, prout ſtatuit Sixtus V. in Conſtitutione editâ anno 1590. quæ incipit: *Poſtquam*, ut ex Sayro refert *Barbos. in Collect. in cit. c. Tanta h. t. n. 24.* Quintò in Fideicommiſſo filius legitimatus per ſubſequens matrimonium excludit ſubſtitutum ſub illa conditione, ſi abſque liberis legitimis, & naturalibus, vel abſque liberis ex legitimo conjugio ſuſceptis, deceſſerit, *Covarr. c. l n. 30. Azor cit. c. 13. q. ult. Gabr. cit. concl. 1. num. 32.* Sextò gaudent parentum nobilitate, *Barbos. in cit. c. Tanta n. 28.*

XXXVI. Quæritur 3. Quibuſnam præterea aſſibus filij legitimentur per ſubſequens matrimonium? Reſp. illegitimi, ſeu extra matrimonium nati, per ſubſequens matrimonium ſunt legitimi, etiamſi tale matrimonium non ſit verum, ſed tantùm putativum, ut ſi quis ex conſanguinea fornicatio concubitu ſuſcipiat filium, & poſtea ignarus conſanguinitatis, cum ea contrahat matrimonium, filius hic erit legitimus, ratione matrimonij, *Arg. c. pen. h. t. Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 8. §. 2. Gabriel in commun. concl. l. 6. de legitim. concl. 1. n. 4. & 5.* de quo dictũ ſuprà. Secundò per talem legitimationem cenſentur legitimi filij antenati, etiamſi tempore matrimonij, extent filij legitimi, & naturales, *Gabriel c. l. n. 7.* Tertiò etſi contrahentes matrimonium ſint inæqualis conditionis, ut quia vir eſt nobilis, & honeſtus, fœmina autem vilis conditionis, aut meretrix, non enim Jure Cæſareo, nec Pontificio, matrimonium inter perſonas nobiles, & ignobiles eſt invalidum, *Covarr. c. l. n. 9.* & alij apud *Barbos. in. cit. c. Tanta n. 3.* Quartò per ſubſequens matrimonium clandeſtinum legitimatur proles antea concepta, modò fuerit validum, *Sanch. l. 3. diſ. 44. n. 2.* uti eſt in locis, ubi Concilium Tridentinum non eſt receptum.

Quintò, matrimonium contractum ptimùm in articulo mortis, vel à ſæpe decrepito habet vim legitimandi filios antea genitos, quia in *cit. c. Tanta* generaliter ea vis vero matrimonio tribuitur, *Covarr. cit. c. 8. §. 2. n. 10. Sanch. l. 7. diſ. 105. n. 5. & 6. Azor cit. c. 13. q. 11.* Sextò, etiamſi matrimonium non fuerit conſummatum, ſed ſolùm ratum, nihilominus illegitimus fit legitimus, ut docent plures apud *Barbos. in cit. c. Tanta, n. 10.* Septimò, filij extra matrimonium nati per ſubſequens matrimonium legitimi fiunt, non obſtantibus intermedijs parentum nuptijs, ut ſi is, qui ſuſcepit filios ex concubina, contrahat matrimonium cum alia fœmina, eâque mortuâ, in uxorem ducat concubinam, filij antea ex ea ſuſcepti fiunt legitimi per ſubſequens matrimonium cum concubina contractum, non obſtante matrimonio cum aliâ fœminâ inito, antequam proles naſceretur, *Covarr. cit. §. 2. n. 15. Azor cit. c. 13. q. 5.*

XXXVII. Quæritur 4. Quinam præterea ſint effectus hujus legitimationis per ſubſequens matrimonium? Reſp. talis legitimatus rumpit teſtamentum patris, perinde, ac ſi natus eſſet poſt teſtamentum. Secundò filio ſic legitimato debetur legitima, ſicut filio legitimè nato ex matrimonio. Tertiò ob filios naturales legitimatos per ſubſequens matrimonium revocatur donatio omnium, vel majoris partis bonorum, ſicut per ſupervenientiam liberorum. Quartò ſi ingreſſus Monaſterium ſuſcipiat filium intra annum probationis, is legitimus efficitur, *Gabr. cit. concl. 1.*

XXXVIII. Quæritur 5. Quinam liberi per ſubſequens matrimonium non legitimentur? Reſp. filius ex adulterio natus, qui à viro, vivente uxore ſuâ, ex alia muliere eſt ſuſceptus, non legitimatur, uxore mortuâ, per matrimonium initum poſtea cum adultera, ſed manet ſpurius, & illegitimus, ut conſtat ex *cit. c. Tanta*, & ſuprà etiam dictum fuit. Similiter ſi mulier, vivente adhuc marito ſuo, filium ex alio ſuſcepit, hic filius per matrimonium cum adultero initum non legitimatur. Quod tamen communiter limitant, ut procedat, quando filius, ſciente utroque parente, ſuſceptus eſt ex adulterio; non autem ſi unus ex parentibus ſcivit, alter ignoravit: tunc enim bona fides alterius parentis ignorantis adulterium facit, ut filius ille legitimus fiat, ſubſecuto inter eoſdem parentes matrimonio, ut conſtat etiam ex ſuprà dictis. Si verò utroque parente ſciente, filius ex adulterio ſuſceptus ſit, ille non legitimatur per ſubſequens matrimonium, quia matrimonium inter eos tempore conceptionis conſiſtere non potuit, *Canis. in cit. c. Tanta num. 9.* Plura de his videri poſſunt apud *AA. citt.*

§. VI.

De legitimatione illegitimorum facta per privilegium, ſeu conceſſionem Papæ.

Alius modus legitimandi eſt, qui fit per Reſcriptum, ſeu privilegium Principis ſupremam poteſtatem habentis, per quam non ſolùm naturales filij, ſed etiam ſpurij, & ex damnato coitu geniti, ut ex adulterio, inceſtu, vel ſacrilego concubitu cum Monialì, legitimis natalibus reſtituuntur; nam cùm inhabilitas, ſeu defectus natalium, ſolo jure humano

sit introductus, non Divino, aut naturali, decreto, seu voluntate Principis supremi tolli potest, *Azor p. 2. Instit. libr. 2. c. 14. Molin. tom. 1. de justit. tr. 2, in princ.*

XXXIX. Quæritur nunc 1. Quid sit legitimatio in genere, & quomodo à dispensatione, seu relaxatione differat? Resp. in eo differre, quòd per legitimationem, seu restitutionem natalium consequitur quis omnia jura legitimorum, ita ut non tantùm ex parte, sed ex toto sit legitimus; at per relaxationem, sive dispensationem non fit quis habilis ad omnia jura, quæ legitimis competunt, sed solùm ad unum aliquem actum, vel ad certa quædam jura, ut ex communi docet *Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 8. §. 8, n. 1. Azor cit. c. 14. q. 2.* Unde filius per privilegium Principis legitimus factus habetur pro legitimo, ita ut transeat in patriam potestatem, & habeat jus dicendi testamentum patris nullum, vel inofficiosum, & jus succedendi parentibus ab intestato, & ei debita sit legitima portio ex bonis patentum, sicut filijs ex legitimo matrimonio natis: secùs est de eo, qui per dispensationem est effectus legitimus, ut succedat v. g. patri in certa portione hæreditatis; is enim non succedit patri ab intestato, ut legitimus, *Covarr. c. l. num. 3.*

XL. Quæritur 2. Qualis potestas legitimandi filios illegitimos competat Romano Pontifici? Resp. de hac agitur in *c. Per venerabilem. 13. h. t.* ubi talis casus proponitur: Quidam nobilis vir in Gallijs, dimissâ suâ legitimâ uxore, aliam mulierem sibi ascivit, ex qua cùm filios suscepisset, petijt à S. Pontifice, ut filios suos legitimaret, ne ipso mortuo, natalium defectus dictis filijs suis obijceretur, & illi ab hæreditate suâ repellerentur. Quòd autem cum ijs dispensari possit, ostendit Pontifex pluribus rationibus. Et primò quidem, quòd Apostolica Sedes aliquando dispensaverit, non solùm cum naturalibus, sed etiam cum adulterinis liberis, quoad actus spirituales, ut possent in Episcopos promoveri: ergo multò magis dispensare posse videbatur, & eos legitimare ad actus sæculares v. g. ad hæreditarium successionem, eos præsertim, qui præter Romanum. Pontificem, alium Superiorem inter homines non recognoscunt; quod enim in majori conceditur, licitum etiam esse videtur in minori. Secundò idem probat à simili, quia per Episcopalem dignitatem liberatur filius à patria potestate (Auth. *Constitutio, quæ dignitatibus &c. §. Palam coll. 6. nov. 81.*) Item si Episcopus scienter servum alterius ordinet in Presbyterum, is liber efficitur, licèt Ordinator satisfacere Domino teneatur, *c. Si servus 19. dist. 54.* nam monstrosum videretur, ut qui ad actus spirituales legitimus fieret, quoad actus sæculares illegitimus remaneret. Unde eo ipso quòd in spiritualibus dispensatur, consequenter intelligitur etiam in temporalibus dispensatum; quò fit, ut si ad Ordines libeti legitimentur, censeantur quoque legitimati quoad successionem patris sui. Id autem in Patrimonio D. Petri Sedes Apostolica liberè facere potest, in quo & Summi Pontificis, & summi Principis exercet potestatem. Tertiò quia Rex Franciæ Reginam Francorum uxorem suam dimisit, & aliam superinduxit, ex qua liberos, puerum, & puellam suscepit: sicut ergo cum filijs Regis ejusdem Papa dispensavit, ita etiam cum filijs Nobilis illius, post dimissam legitimam uxorem susceptis videbatur ex benignitate Sedis Apostolicæ esse dispensandum. Ad hæc respondet Papa, exemplum Regis Francorum esse valde dissimile; Rex enim Franciæ à Legato Sedis Apostolicæ per sententiam (cui standum erat, donec contrarium probaretur, *Gl. hic V. Per sententiam.*) fuit separatus. Sed iste Nobilis, temeritate propriâ, uxorem suam à se ablegavit (quod facere non debuit, etsi causa fuisset manifesta, cùm talis separatio sit pœna, quæ nonnisi per Judicem inferri debet, *Gl. hic V. Separâsti.*) & Rex Franciæ, antequam ad eum prohibitio perveniret de non contrahendo cum secunda, aliam superinduxit, ex qua geminam prolem suscepit: sed iste Nobilis in contemptum Ecclesiæ aliam superinduxit. Præterea Rex Franciæ contra matrimonium impedimentum affinitatis obiecit, & coram Legato Pontificio testes induxit, qui sententiam tulit, quæ reprobata fuit solùm propter judiciarium Ordinem non servatum: at verò Nobilis iste nihil objecit, propter quod divortium ab uxore fieri, sive ab ea separari deberet: nam etsi fides tori unum sit ex tribus bonis conjugij: non tamen ipsius violatio conjugale vinculum dissolvit, quia in nullo casu dissolvitur matrimonium per carnalem copulam consummatum, de quibus infrà *Tit. 19. Gl. hic V. Violâsset.* Et utrùm filij Regis ex alia muliere suscepti legitimi fuerint, vel illegitimi, non immeritò dubitari potest, quamdiu pendet quæstio affinitatis oppositæ: quia si affinitas opposita fuerit probata, apparebit, quòd quæ prior dimissa fuit, non erat legitima uxor Regis, & per consequens apparebit, alteram superinductam esse legitimam uxorem, & filios ex ea susceptos esse legitimos. Præterea cùm Rex Superiorem in temporalibus nullum recognoscat, poterat se sine injuria alicujus Sedi Apostolicæ subijcere (*l. Est receptum 14. ff. de jurisdict.*) in quo videri posset aliquibus, quòd per se ipsum, non tanquam pater cum filijs, sed tanquam Princeps cum subditis posset dispensare; iste verò Nobilis alijs est subjectus.

His igitur rationibus permotus Papa dispensavit cum filijs Regis Franciæ, occasione etiam sumptâ, tam ex Veteri, quàm Novo Testamento, quia Papa non solùm in patrimonio Ecclesiæ, in quo plenam habet potestatem in temporalibus, sed etiam in alijs Regionibus, certis causis inspectis, casualiter temporalem jurisdictionem exercet; non tamen vult præjudicare alieno juri, & hoc ostendit per legem Veteris Testamenti Deuteron. *c. 17. Vers. 5. & pluribus seqq.* Et tandem exponit auctoritatem illius loci Deuteronomij, quid per illum sit intelligendum. Quia verò per Deuteronomium lex secunda, seu nova significatur ex vi vocabuli (quia lex nova interpretatur antiquam, *Gl. hic V. Ex vi vocabuli.*) quod ibi decernitur, etiam in novo Testamento debet observari: Locus autem judicij, quem elegit Dominus, Apostolica Sedes est (quæ nunc est Roma) Unde fugiens Petrus jussus est redire à Christo ei apparenti ad Vicarij Christi judicium, qui habet alios Sacerdotes officij sui Coadiutores. Subiungitur postea, tria esse judicia

» dicia diſtinguenda, primum inter ſanguinem, & » ſanguinem (per quod denotatur cauſa criminalis » fori civilis) & inter lepram, & leptam, per quæ » verba denotatur cauſa criminalis fori Eccleſia- » ſtici (ut exiſtimat *Abb. hîc n. ult.*) medium autem » inter cauſam, & cauſam, quod ad utrumque re- » fertur, tam Eccleſiaſticum, quàm ſæculare fo- » rum, in quibus ſi quid fuerit difficile, vel ambi- » guum, ad judicium Sedis Apoſtolicæ eſt recur- » rendum, cui qui contemſerit obedire, mori de- » bet (id eſt, per ſententiam excommunicationis, » velut mortuus à communione fidelium ſeparari) » Huc pertinet illud Pauli 1. *Cor. 6. Neſcitis, quo- » niam Angelos judicabitis, quanto magis ſæcularia,* » ubi hujus poteſtatis plenitudinem exponit.

» Denique concludit Papa Innocentius III. licèt » cum filiis dicti Regis, de quibus, an legitimi fue- » rint, ab initio dubitabatur, duxerit diſpenſan- » dum: quia tamen tam lex Moſayca, quàm Cano- » nica (locis à *Gl.* hîc allegatis *V. Canonica.*) ſobolem » ex adulterio ſuſceptam deteſtatur (niſi cum ea » fuerit diſpenſatum, *Gl. hîc V. Deteſtatur.*) dicente » Domino, quòd Manſeres, & ſpurii uſque ad de- » cimam generationem, non intrabunt Eccleſiam, » & Canon vetat tales ad Sacros Ordines promoveri » (*c. Cùm in cunctis. 7. de Electi.*) ſæculares verò le- » ges, non ſolùm repellunt eos à ſucceſſione pater- » na, ſed etiam negant ipſis alimenta (*Auth. licèt » patri C. de natur. liber. & Auth. Ex Complexu. C. De » inceſt. nupt.*) ideo Papa petitioni iſtius nobilis non » duxit annuendum, ſcilicet ut diſpenſaret cum il- » lius filiis illegitimis, eòsque legitimaret.

XLI. Pro intellectu hujus prolixi, & difficilis, ac famoſi cap. notandum 1. S. Pontifex habet poteſtatem legitimandi quoscunque illegitimos, non ſolùm quoad Ordines Eccleſiaſticos, aliáque ſpiritualia, ubique terrarum: ſed etiam quoad ſucceſſionem hæreditatis in bonis temporalibus, in terris temporali ſuæ jurisdictioni ſubjectis; idque probatur ex eo, quia S. Pontifex in ſubjectos ſibi temporaliter, Supremi Principis auctoritatem exercet, ut habetur in hoc cap. §. *Id autem in patrimonio*: Superemum autem Principem, qui in temporalibus Superiorem non agnoſcit, poſſe ſupplere defectum natalium certum eſt, ut infrà dicetur.

Notandum 2. Cauſæ difficiles, & ambiguæ, ſeu dubiæ ad Judicium Sedis Apoſtolicæ, cui Romanus Pontifex præeſt, deferendæ ſunt, ut auctoritate *Deuteron. c.* 17. probatur in hoc cap. præſertim verò quando agitur de veto ſenſu, & interpretatione SS. Scripturarum, ut definivit Concilium Tridentinum *Seſſ. 4. de editione, & uſu SS. Librorum* §. *Præterea.*

XLII. Sed jam hîc ulteriùs quæritur 3. an Pontifex diſpenſando in radice matrimonii, id eſt, ab initio irriti, ob impedimentum Jure ſolùm Canonico inductum, poſſit illegitimam prolem legitimate, etiam quoad officia ſæcularia, & ſucceſſionem bonorum temporalium, & in locis Papæ temporaliter non ſubjectis: id eſt, an poſſit efficere, ut legitimatio illa retrotrahatur ad tempus, quo id matrimonium invalidè contractum fuit, ita ut cenſeatur, quaſi à principio validè initum fuiſſet, mediante illâ diſpenſatione. Plures negant, ſed communior, ac verior ſententia habet, Pontificem id poſſe, non quidem directè, ſed indirectè, ut docet *Abb. in cit. c. Per venerabilem. n. 22. Alex. de Nevo ibid. num. 18. Sanch. l. 8. de matr. diſ. 7. num. 4.* & alii apud ipſum. Ratio eſt, quia radix, & origo, ex qua oritur, ut proles ſit illegitima, adeoque incurrat damna illegitimitatis, ſive Eccleſiaſtica, ſive civilia, eſt lex Eccleſiaſtica, quæ ſtatuit impedimentum dirimens matrimonium inter conſanguineos, & affines intra quartum gradum, quo ſublato, matrimonium fuiſſet validum, & proles legitima. At verò Papa poteſt ſuam legem irritare, & revocare, non tantùm quoad impoſterum ſecuturos effectus, ne incurrantur, ſed etiam quoad ſecutos, eosdem abolendo, ac ſi lex edita non fuiſſet, ut conſtat ex *Clem. Quoniam un. de immunit. Eccleſ.* ubi Clemens V. revocat quasdam Conſtitutiones Antecеſſorum, etiam quoad effectus antea productos, ibi: *quicquid ex eis ſecutum eſt, vel ob eas, penitus revocamus, & eas haberi volumus pro infectis.* Similiter ergo ſi Pontifex diſpenſando tollat, & revocet impedimentum dirimens matrimonium, abrogando legem Eccleſiaſticam ſtatuentem tale impedimentum, facit ut diſpenſatio retrotrahatur ad initium matrimonii, ac ſi ab initio fuiſſet validum, nullo impedimento dirimente exiſtente, tunc verò proles eſſet verè legitima quoad omnia. Quare non dicimus, Pontificem poſſe efficere, ut matrimonium ab initio invalidum, ex tunc fuerit validum, vel nunc incipiat valere, abſque novo contrahentium conſenſu; vel ut ex eo non ſint ſecuti effectus Jure Civili ſtatuti in illegitimos, ſed id ſolùm dicimus, poſſe Pontificem, diſpenſando in impedimento matrimonii à ſe inducto, revocare, & tollere omnia damna jure humano illata ob illegitimitatem, ac in eum ſtatum prolem reſtituere, quem haberet, ſi ex matrimonio valido nata fuiſſet. Durante enim Legis Eccleſiaſticæ valore, cui tanquam fundamento illegitimitas, & cætera damna innitebantur, illa omnia corruunt. Quamvis ergo non poſſit Pontifex directè diſpenſare in effectibus illegitimitatis ex jure Civili provenientibus: poteſt tamen indirectè & per quandam conſequentiam, tollendo legem ſuam Eccleſiaſticam per diſpenſationem, ex qua tanquam fundamento illa omnia pendebant, *Sanch. c. l. n. 4.*

XLIII. Hinc infertur 1. Si proles ſuſcepta fuit, nullo præcedente matrimonio inito, ex copulâ manifeſtè fornicariâ, non poteſt Pontifex eam, ne indirectè quidem, legitimare quoad ſæcularia, & temporalia extra loca ſuæ temporali jurisdictioni ſubjecta: quia cùm nulla adſit radix matrimonii, in qua directè diſpenſando, indirectè, & per conſequentiam legitimet prolem, teipſâ directè legitimaret ad temporalia: quia ſicut Princeps ſæcularis nequit legitimare, quoad Eccleſiaſtica, cùm careat jurisdictione Eccleſiaſticâ: ita nec Pontifex directè, quoad bona temporalia, cùm non habeat jurisdictionem temporalem, extra loca ſuæ jurisdictioni ſubjecta, niſi indirectè, ad ſupplendam negligentiam Principum ſæcularium, quando id exigit bonum ſpirituale, *Sanch. l. 8. de matr. diſ. 7. n. 1. & 7.* Infertur 2. neque poteſt Pontifex indirectè legitimare, quoad temporalia, & ſæcularia, quando tale matrimonium initum fuerat ob impedimentum juris Divini,

sit introductus, non Divino, aut naturali, decreto, seu voluntate Principis supremi tolli potest, *Azor p. 2. Institut. libr. 2. c. 14. Molin. tom. 1. de justit. tr. 2, in princ.*

XXXIX. Quæritur nunc 1. Quid sit legitimatio in genere, & quomodo à dispensatione, seu relaxatione differat? Resp. in eo differre, quòd per legitimationem, seu restitutionem naralium consequitur quis omnia jura legitimorum, ita ut non tantùm ex parte, sed ex toto sit legitimus; at per relaxationem, sive dispensationem non fit quis habilis ad omnia jura, quæ legitimis competunt, sed solùm ad unum aliquem actum, vel ad certa quædam jura, ut ex communi docet *Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 8. §. 8, n. 1. Azor cit. c. 14. q. 2.* Unde filius per privilegium Principis legitimus factus habetur pro legitimo, ita ut transeat in patriam potestatem, & habeat jus dicendi testamentum patris nullum, vel inofficiosum, & jus succedendi parentibus ab intestato, & ei debita sit legitima portio ex bonis parentum, sicut filijs ex legitimo matrimonio natis: secùs est de eo, qui per dispensationem est effectus legitimus, ut succedat v. g. patri in certa portione hæreditatis; is enim non succedit patri ab intestato, ut legitimus, *Covarr. c. l. num. 3.*

XL. Quæritur 2. Qualis potestas legitimandi filios illegitimos competat Romano Pontifici? Resp. de hac agitur in *c. Per venerabilem, 13. h. t.* ubi talis casus proponitur: Quidam nobilis vir in Gallijs, dimissâ suâ legitimâ uxore, aliam mulierem sibi ascivit, ex qua cùm filios suscepisset, petijt à S. Pontifice, ut filios suos legitimaret, ne ipso mortuo, natalium defectus dictis filijs suis obijceretur, & illi ab hæreditate sua repellerentur. Quòd autem cum ijs dispensari possit, ostendit Pontifex pluribus rationibus. Et primò quidem, quòd Apostolica Sedes aliquando dispensaverit, non solùm cum naturalibus, sed etiam cum adulterinis liberis, quoad actus spirituales, ut possent in Episcopos promoveri; ergo multò magis dispensare posse videbatur, & eos legitimare ad actus sæculares v. g. ad hæreditariam successionem, eos præsertim, qui prætet Romanur. Pontificem, alium Superiorem inter homines non recognoscunt; quod enim in majori conceditur, licitum etiam esse videtur in minori. Secundò idem probat à simili, quia per Episcopalem dignitatem liberatur filius à patria potestate (Auth. *Constitutio, quæ dignitatibus &c. §. Palam coll. 6. nov. 81.*) Item si Episcopus scienter servum alterius ordinet in Presbyterum, is liber efficitur, licèt Ordinator satisfacere Domino teneatur, *c. Si servus 19. dist. 54.* nam monstrosum videretur, ut qui ad actus spirituales legitimus fieret, quoad actus sæculares illegitimus remaneret. Unde eo ipso quòd in spiritualibus dispensatur, consequenter intelligitur etiam in temporalibus dispensatum; quò fit, ut si ad Ordines liberi legitimentur, censeantur quoque legitimati quoad successionem patris sui. Id autem in Patrimonio D. Petri Sedes Apostolica liberè facere potest, in quo & Summi Pontifices, & summi Principis exercet potestatem. Tertiò quia Rex Franciæ Reginam Francorum uxorem suam dimisit, & aliam superinduxit, ex qua liberos, puerum, & puellam suscepit: sicut ergo cum filijs Regis ejusdem Papa dispensavit, ita etiam cum filijs Nobilis illius, post dimissam legitimam uxorem susceptis videbatur ex benignitate Sedis Apostolicæ esse dispensandum. Ad hæc respondet Papa, exemplum Regis Francorum esse valde dissimile; Rex enim Franciæ à Legato Sedis Apostolicæ per sententiam (cui standum erat, donec contrarium probaretur, *Gl. hic V. Per sententiam.*) fuit separatus. Sed iste Nobilis, temeritate propriâ, uxorem suam à se ablegavit, quod facere non debuit, etsi causa fuisset manifesta, cùm talis separatio sit pœna, quæ nonnisi per Judicem inferri debet, *Gl. hic V. Separâsti.*) & Rex Franciæ, antequam ad eum prohibitio perveniret de non contrahendo cum secunda, aliam superinduxit, ex qua geminam prolem suscepit: sed iste Nobilis in contemptum Ecclesiæ aliam superinduxit. Præterea Rex Franciæ contra matrimonium impedimentum affinitatis objecit, & coram Legato Pontificio testes induxit, qui sententiam tulit, quæ reprobata fuit solùm propter judiciarium Ordinem non servatum: at verò Nobilis iste nihil objecit, propter quod divortium ab uxore fieri, sive ab ea separari deberet: nam etsi fides tori unum sit ex tribus bonis conjugij: non tamen ipsius violatio conjugale vinculum dissolvit, quia in nullo casu dissolvitur matrimonium per carnalem copulam consummatum, de quibus infrà *Tit. 19. Gl. hic V. Violâsset.* Et utrùm filij Regis ex alia muliere suscepti legitimi fuerint, vel illegitimi, non immeritò dubitari potest, quamdiu pendet quæstio affinitatis oppositæ: quia si affinitas opposita fuerit probata, apparebit, quòd quæ prior dimissa fuit, non erat legitima uxor Regis, & per consequens apparebit, alteram superinductam esse legitimam uxorem, & filios ex ea susceptos esse legitimos. Præterea cùm Rex Superiorem in temporalibus nullum recognoscat, poterat se sine injuria alicujus Sedi Apostolicæ subijcere (*l. Est receptum 14. ff. de jurisdict.*) in quo videri posset aliquibus, quòd per se ipsum, non tanquam pater cum filijs, sed tanquam Princeps cum subditis posset dispensare; iste verò Nobilis alijs est subjectus.

His igitur rationibus permotus Papa dispensavit cum filijs Regis Franciæ, occasione etiam sumptâ, tam ex Veteri, quàm Novo Testamento, quia Papa non solùm in patrimonio Ecclesiæ, in quo plenam habet potestatem in temporalibus, sed etiam in alijs Regionibus, certis casus inspectis, casualiter temporalem jurisdictionem exercet; non tamen vult præjudicare alieno juri, & hoc ostendit per legem Veteris Testamenti Deuteron. *c. 17. Vers. 5. & pluribus seqq.* Et tandem exponit auctoritatem illius loci Deuteronomij, quid per illum sit intelligendum. Quia verò per Deuteronomium lex secunda, seu nova significatur ex vocabuli (quia lex nova interpretatur antiquam, *Gl. hic V. Ex vi vocabuli.*) quod ibi decernitur, etiam in novo Testamento debet observari: Locus autem judicij, quem elegit Dominus, Apostolica Sedes est (quæ nunc est Roma) Unde fugiens Petrus jussus est redire à Christo ei apparenti ad Vicarij Christi judicium, qui habet alios Sacerdotes officij sui Coadiutores. Subjungitur postea, tria esse judicia

» dicia diſtinguenda, primum inter ſanguinem, & » ſanguinem (per quod denotatur cauſa criminalis » fori civilis) & inter lepram, & leprам, per quæ » verba denotatur cauſa etiminalis fori Eccleſia- » ſtici (ut exiſtimat *Abb, hic n. ult.*) medium autem » inter cauſam, & cauſam, quod ad utrumque re- » fertur, tam Eccleſiaſticum, quàm ſæculare fo- » rum, in quibus ſi quid fuerit difficile, vel ambi- » guum, ad judicium Sedis Apoſtolicæ eſt recur- » rendum, cui qui contemſerit obedire, mori de- » bet (id eſt, per ſententiam excommunicationis, » velut mortuus à communione fidelium ſeparari) » Huc pertinet illud Pauli 1. *Cor. 6. Neſcitis, quo- » niam Angelos judicabitis, quanto magis ſæcularia,* » ubi hujus poteſtatis plenitudinem exponit.

» Denique concludit Papa Innocentius III. licèt » cum filiis dicti Regis, de quibus, an legitimi fue- » rint, ab initio dubitabatur, duxerit diſpenſan- » dum: quia tamen tam lex Moſayca, quàm Cano- » nica (locis à *Gl.* hìc allegatis *V. Canonica.*) ſobolem » ex adultetio ſuſceptam deteſtatur (niſi cum ea » fuerit diſpenſatum, *Gl. hìc V. Deteſtatur.*) dicente » Domino, quòd Manſeres, & ſpurii uſque ad de- » cimam generationem, non intrabunt Eccleſiam, » & Canon vetat tales ad Sacros Ordines promoveri » (*c. Cùm in cunctis. 7. de Elect.*) ſæculates verò le- » ges, non ſolùm repellunt eos à ſucceſſione pater- » na, ſed etiam negant ipſis alimenta (*Auth. licèt » patri C. de natur. liber. & Auth. Ex Complexu. C. De » inceſt. nupt.*) ideo Papa petitioni iſtius nobilis non » duxit annuendum, ſcilicet ut diſpenſaret cum il- » lius filiis illegitimis, eòsque legitimaret.

XLI. Pro intellectu hujus prolixi, & difficilis, ac famoſi cap. notandum 1. S. Pontifex habet poteſtatem legitimandi quoscunque illegitimos, non ſolùm quoad Ordines Eccleſiaſticos, aliáque ſpiritualia, ubique terrarum: ſed etiam quoad ſucceſſionem hæreditatis in bonis temporalibus, in terris temporali ſuæ jurisdictioni ſubjectis; idque probatur ex eo, quia S. Pontifex in ſubjectos ſibi temporaliter, Supremi Principis auctoritatem exercet, ut habetur in hoc cap. §. *Ià autem in patrimonio*: Supremum autem Principem, qui in temporalibus Superiorem non agnoſcit, poſſe ſupplere defectum natalium certum eſt, ut infrà dicetur.

Notandum 2. Cauſæ difficiles, & ambiguæ, ſeu dubiæ ad Judicium Sedis Apoſtolicæ, cui Romanus Pontifex præeſt, deferendæ ſunt, ut auctoritate *Deuteron. c.* 17. probatur in hoc cap. præſertim verò quando agitur de veto ſenſu, & interpretatione SS. Scripturarum, ut definivit Concilium Tridentinum *Seſſ. 4. de editione, & uſu SS. Librorum §. Præterea.*

XLII. Sed jam hìc ulteriùs quæritur 3. an Pontifex diſpenſando in radice matrimonii, id eſt, ab initio irriti, ob impedimentum Jure ſolùm Canonico inductum, poſſit illegitimam prolem legitimare, etiam quoad officia ſæcularia, & ſucceſſionem bonorum temporalium, & in locis Papæ temporaliter non ſubjectis: id eſt, an poſſit efficere, ut legitimatio illa retrotrahatur ad tempus, quo id matrimonium ſuvalidè contractum fuit, ita ut cenſeatur, quaſi à principio validè initum fuiſſet, mediante illâ diſpenſatione. Plures negant, ſed communior, ac verior ſententia habet, Pontificem id poſſe, non quidem directè, ſed indirectè, ut docet *Abb. in cit. c. Per venerabilem. n. 22. Alex. de Nevo ibid. num. 18. Sanch. l. 8. de matr. diſ. 7. num. 4.* & alii apud ipſum. Ratio eſt, quia radix, & origo, ex qua oritur, ut prolesſit illegitima, adeoque incurrat damna illegitimitatis, ſive Eccleſiaſtica, ſive civilia, eſt lex Eccleſiaſtica, quæ ſtatuit impedimentum dirimens matrimonium inter conſanguineos, & affines intra quartum gradum, quo ſublato, matrimonium fuiſſet validum, & proles legitima. At verò Papa poteſt ſuam legem irritare, & revocare, non tantùm quoad impoſterum ſecuturos effectus, ne incurrantur, ſed etiam quoad ſecutos, eosdem abolendo, ac ſi lex edita non fuiſſet, ut conſtat ex *Clem. Quoniam un. de immunit. Eccleſ.* ubi Clemens V. revocat quasdam Conſtitutiones Antecеſſorum, etiam quoad effectus antea productos, ibi: *quicquid ex eis ſecutum eſt, vel ob eas, penitus revócamus, & eas haberi volumus pro infectis.* Similiter ergo ſi Pontifex diſpenſando tollat, & revocet impedimentum dirimens matrimonium, abrogando legem Eccleſiaſticam ſtatuentem tale impedimentum, facit ut diſpenſatio rettotrahatur ad initium matrimonii, ac ſi ab initio fuiſſet validum, nullo impedimento dirimente exiſtente, runc verò proles eſſet verè legitima quoad omnia. Quare non dicimus, Pontificem poſſe efficere, ut matrimonium ab initio invalidum, ex tunc fuerit validum, vel nunc incipiat valere, absque novo contrahentium conſenſu; vel ut ex eo non ſint ſecuti effectus Jure Civili ſtatuti in illegitimos, ſed id ſolùm dicimus, poſſe Pontificem, diſpenſando in impedimento matrimonii à ſe inducto, revocare, & tollere omnia damna jure humano illata ob illegitimitatem, ac in eum ſtatum prolem reſtituere, quem haberet, ſi ex matrimonio valido nata fuiſſet. Durante enim Legis Eccleſiaſticæ valore, cui tanquam fundamento illegitimitas, & cætera damna innitebantur, illa omnia corruunt. Quamvis ergo non poſſit Pontifex directè diſpenſare in effectibus illegitimitatis ex jure Civili provenientibus: poteſt tamen indirectè & per quandam conſequentiam, tollendo legem ſuam Eccleſiaſticam per diſpenſationem, ex qua tanquam fundamento illa omnia pendebant. *Sanch. c. l. n. 4.*

XLIII. Hinc infertur 1. Si proles ſuſcepta fuit, nullo præcedente matrimonio inito, ex copulâ manifeſtè fornicariâ, non poteſt Pontifex eam, ne indirectè quidem, legitimare quoad ſæcularia, & temporalia extra loca ſuæ temporali jurisdictioni ſubjecta: quia cùm nulla adſit radix matrimonii, in qua directè diſpenſando, indirectè, & per conſequentiam legitimet prolem, reipſa directè legitimaret ad temporalia: quia ſicut Princeps ſæcularis nequit legitimare, quoad Eccleſiaſtica, cùm careat jurisdictione Eccleſiaſtica: ita nec Pontifex directè, quoad bona temporalia, cùm non habeat jurisdictionem temporalem, extra loca ſuæ jurisdictioni ſubjecta, niſi indirectè, ad ſupplendam negligentiam Principum ſæculatium, quando id exigit bonum ſpirituale, *Sanch. l. 8. de matr. diſ. 7. n. 1. & 7.* Infertur 2. neque poteſt Pontifex indirectè legitimare, quoad temporalia, & ſæcularia, quando tale matrimonium initum fuerat ob impedimentum juris Divini,

Digitized by Google

& naturalis, quia illud nequit Pontifex dispensando tollere, *Sanch. c. l. n. 8.*

Porro posse Papam legitimare illegitimos, etiam in Terris Imperii, vel ex eo patet, quia legitimare est actus jurisdictionis voluntariæ, qui exerceri potest, etiam in non subditum, & extra proprium Territorium, *Abb. in cit. c. Per venerabilem. num. 22. h. t.* Addit tamen *Azor cit. c. 14. q. 6. §. Meo judicio*, etsi Romanus Pontifex habeat absolutè, & simpliciter potestatem legitimandi quoscunque illegitimos, etiam quoad successionem in hæreditate, ac bonis parentum, & in Terris alienis, non tamen solere id facere in locis extra Patrimonium B. Petri, quia non vult temporalibus, & civilibus se ingerere, & immiscere.

§. VII.

De potestate legitimandi illegitimos, quæ competit sæcularibus Principibus.

XLIV. Quæritur 1. Penes quem sit potestas restituendi aliquem legitimis natalibus? Resp. 1. Imperator, & alii Principes, qui in temporalibus Superiorem non habent, possunt quosvis illegitimè natos legitimos facere; idque eis concessum est in signum specialis privilegii, *Auth. Quib. modis natur. effic. & c. §. Illud, Abb. in cit. c. Per venerabilem. n. 23. h. t.* Alii verò Principes inferiores non possunt legitimare eos, qui sunt extra matrimonium nati: quamvis eos possint ad certa quædam jura, & bona habiles facere, v. g. Episcopus ad Ordines minores eos promovere, & ad simplicia beneficia, *Azor p. 2. l. 2. c. 14. q. 5.*

Resp. 2. Etsi Imperator, Rex, vel alius Princeps supremam in temporalibus potestatem habens possit restituere legitimis natalibus, & facere habilem filium naturalem, vel spurium ad dignitates, honores, munera, & officia publica sæcularia: non tamen, nec indirectè quidem, potest legitimare prolem suscepta m ex irrito matrimonio, quoad spiritualia, ut capax sit Ordinum, aut bonorum Ecclesiasticorum, *Azor c. l. q. 7. Tanner. tom. 4. dis. 8. q. 6. dub. 4. num. 87.* Nam quia Princeps sæcularis non habet jurisdictionem spiritualem, nec potest impedimenta dirimentia matrimonium constituere, saltem inter Christianos, ut suprà dictum; non potest in eis dispensando ea tollere, ut matrimonium irritum reddatur validum, & proles ex eo suscepta legitimetur.

XLV. Quæritur 2. Quænam exprimenda sint in petitione legitimationis, ne impetratio judicetur subreptitia? Resp. exprimi debere omne id, quod impediret, quominùs Princeps naturalem, vel spurium restitueret natalibus: vel saltem impediret, ne citò, & facilè restitueret. Unde exprimi debet qualitas, & conditio filii naturalis, vel spurii, an natus sit ex adulterio, incestu, vel sacrilegio: item an ex adulterio duplici, seu geminato, videlicet ex patre conjugato, & matre uxore aliena, *Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 8. §. 9. n. 1. & seqq.* Item si ex incestu, an natus sit ex sorore, vel filio, ex uxu, matre, vel uxore fratris, *Azor c. l. q. 8.* apud quem plura de his videri possunt.

XLVI. Quæritur 3. An in petitione legitimationis sint Agnati, & cognati ipsius parentis vocandi? Resp. ad legitimationem filii, quæ fit, patre vivente, non sunt necessariò vocandi agnati, & cognati ipsius, modò ipse pater consentiat, quia hic potest liberè de bonis suis disponere. At verò filius naturalis tantùm non potest legitimari à Principe, nisi filii naturales, & legitimi vocentur, quia id cederet in magnum eorum præjudicium, ex eo quòd legitima portio eis debita diminueretur; mortuo verò patre, non potest filius illegitimus legitimari, nisi vocentur ipsius successores ab intestato, quibus jus succedendi in bonis ipsius quæritur est, *Covarr. cit. c. 8. §. 9. n. 7. & 9. Azor c. l. q. 10.* Imò etiam vivente, & annuente patre, non potest filius naturalis, vel spurius legitimari, auctoritate Principis, nisi filii naturales, & legitimi ipsius patris consenserint, quia legitima portio eis debita minueretur, absque eorum consensu, *Covarr. c. l. Azor c. l. q. 11.*

XLVII. Quæritur 4. An cùm Princeps aliquem legitimum facit, vocandus sit is, qui est substitutus sub illa conditione, si absque liberis pater hæres institutus decessetit? Resp. vocandum esse, *Covarr. c. l. n. 8. Azor cit. l. 2. c. 15. q. 1.* quia non censetur Princeps rale privilegium concedere, cum damno substituti. Præterea si filii legitimi, & naturales extent, censetur Princeps filium naturalem, vel spurium legitimum reddere, etiamsi ex eo minuatur legitima eorum portio, dummodo dum petitur à Principe legitimatio, facta sit mentio filiorum naturalium, & legitimorum, quia pater, dum vivit, potest ob justas causas id petere, ac proinde potest id Princeps concedere; secùs si non fiat illorum filiorum mentio, *Covarr. c. l. Azor cit. c. 15. q. 4.* Plura de his videri possunt apud *DD. citt.*

XLVIII. Illud postremò hic addendum, quòd filii illegitimi dicuntur legitimari, & fieri legitimi, non quòd, postquam fuerunt ex illegitimo coitu nati, fiant nati ex legitimo coitu, cùm ad præteritum non detur potentia, & factum infectum fieri nequeat: sed dicuntur legitimari, quatenus, damna, quæ filii illegitimi incurrunt, per legis dispositionem, vel Superioris habentis auctoritatem legis tolluntur, *Tanner. c. l. n. 81.*

§. VIII.

De probatione legitimitatis natalium.

XLIX. De hac igitur in primis in *c. Transmissa. 3. h. t.* ubi talis casus proponitur: Cùm N. quendam puerum usque ad juventutem nutrivisset, cohabitante sibi M. quam sibi postea in uxorem desponsavit, & filios ex eadem susceperit; his paternam hæreditatem petentibus, prædictus juvenis contradixit, gerens se pro filio, & hærede; quamvis à vicinia filius eorum spurius credebatur (id est, non legitimus, vel naturalis, quia fortè susceptus fuit ex alia muliere, ante matrimonium, vel eo durante, & sic propriè spurius erat,

Gl. hic

Digitized by Google

» *Gl. hic V. Spurius*) Verùm prædicti, vir, & mulier » juvenem illum eſſe ſuum ſpurium, aut legitimum » filium negârunt, ſed dicebant, quòd eum, intuitu » pietatis, nutriviſſent. Quæſtio igitur ad Archi- » epiſcopum Rothomagenſem fuit delata, qui di- » ctum juvenem, eò quòd juri ſtare coram ſe nole- » bat, excommunicationis vinculo obſtrinxit. Con- » ſultus Pontifex reſpondit, quòd in hoc caſu ſtan- » dum ſit verbo viri, & mulieris, niſi certis indiciis, » & teſtibus conſtiterit, dictum juvenem eſſe filium » eorum.

L. Notandum 1. Ex eo, quòd aliquis ſit nu- tritus in domo alicujus, non probatur eſſe filius, nec tenetur ille, in cujus domo eſt nutritus, & educatus, inſtituere eum hæredem, ut filium; nam ſæpe nutri- untur, & educantur in domo, qui non ſunt filii, ſed pietatis causâ, vel ob aliam, *Abb. hic n. 2.* Si verò e- ducatio, & alimenta præſtentur alicui tanquam fi- lio; tunc filiatio ex eo rectè probatur, *Barboſ. in Col- lect. hic n. 3.*

Notandum 2. Etſi in probanda filiatione mul- tum valet communis fama vicinæ, non tamen ſolâ ſufficit, ſine aliis adminiculis, & præſumptionibus, quia fama ſemiplenam ſolùm probationem facit, non plenam, *Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 8. §. 3. n. 9.* Unde etſi fama vicinæ ſtet pro filiatione, ſi tamen dictum, ſeu teſtimonium parentum ſit in contrari- um, ſtatur aſſertioni eorum, ut patet ex hoc cap. & ibi tradit *Abb. n. 3.* quamvis ex ſola negatione pa- rentum non debeat is, qui eſt in poſſeſſione filiatio- nis, privari jure filiationis, nec excludi ab hæredi- tate paterna, *Abb. ibid. n. 4. Alex. de Nævo n. 6.*

Notandum 3. Si parentes negent, aliquem eſſe filium ſuum, illis credendum eſt, quia non eſt veri- ſimile, quòd parentes negabunt, aliquem eſſe pro- prium filium, cùm nullus affectus vincat paternum, *l. Cùm furioſus. 7. poſt princ. C. de curat. furioſ.* niſi ex indiciis, & teſtibus expreſsè probetur contrarium: non tamen filius tenetur credere parentibus negan- tibus ipſum eſſe filium, ſi ſit in poſſeſſione filiationis, & priùs tractatus fuerit ut filius, *Vivian. in Ration. hic.*

Notandum 4. Filiatio ex tribus plenè probatur. 1. Si ex viro, & uxore, vel concubina domi retentâ ſit natus. 2. Si pater eum filium nominavit, & pro tali agnovit, & tractavit. 3. Si ex communi vici- niæ fama ſemper pro filio fuit habitus, *Barb. in Col- lect. hic n. 2.*

Notandum 5. Ex confeſſione, & nominatione parentum verè principaliter, & propter ſe facta, con- currentibus aliis indiciis, plenè probatur filiatio, *Co- varr. in 4. Decret. p. 2. c. 8. §. 3. n. 7. Barboſ. hic in Col- lect. n. 4.* Videri poſſunt, quæ de probatione filiatio- nis dicta ſunt *libr. 2. Decret. Tit. 19. §. 7. in c. Per tuas. 10. de probation.*

LI. Præterea in *c. Pervenit. 11. h. t.* refertur, » quòd quidam, poſt mortem parentum Luciæ vi- » duæ, nitebantur eam ab hæreditate paterna ex- » cludere, eò quòd non fuiſſet ex legitimo matri- » monio nata: ipſa verò dicebat, quòd inter G. pa- » trem ſuum, & A. matrem ſuam, matrimonium » legitimè fuit celebratum, & quamdiu vixerunt, » quietè ſimul permanſerunt, ſine reclamatione; » & ideo legitima debeat judicari. Re delatâ ad Cæ- » leſtinum III. is mandavit quibuſdam, ut ſi ita eſt, dictam viduam legitimam pronuncient, *Gl. hic* » *in caſu.*

LII. Ubi notandum, ut aliquis habeatur ille- gitimus, non ſatis eſt, ut probetur matrimonium in- ter parentes fuiſſe invalidum, ſed neceſſe eſt, ut pro- betur, parentes, malâ fide, contraxiſſe mattimoni- um, ſeu convenifſe, prout ſumitur ex hoc cap. & do- cet *Suar. diſ. 50. de cenſur. ſec. 4. n. 10.* Ratio eſt, quia bona fides patentum, & auctoritas, ſeu approbatio Eccleſiæ, in cujus conſpectu publicè fuit con- tractum matrimonium, hoc operantur, ut quamvis poſtea impedimentum dirimens in tali matrimonio detegatur, ac proinde illud invalidum fuerit, debeat tamen in favorem prolis ſuſcepræ, ea legitima judi- cari, ob bonam fidem patentum, & quia tale matri- monium in facie Eccleſiæ validum exiſtimatum fuit. Secus eſt, ſi parentes malâ fide in facie Eccleſiæ con- traxiſſent; tunc enim proles illegitima cenſerentur; præſumitur autem bona fides, eo ipſo, quòd in facie Eccleſiæ parentes contraxerunt, nullo contradicen- te, nec Eccleſiâ inhibente, niſi mala fides probetur, *Hoſtienſ. hic V. Legitimè. Vivian. hic in Ration.*

LIII. Porro ulteriùs quæritur, quibus modis poſſit probari legitimitas naralium? Reſp. Etſi fi- liatio quoad patrem difficulter probari poſſit, quia is non eſt certus; poteſt tamen, ac debet, qui aſſerit, ſe legitimum filium eſſe, id probare. 1. Si doceat, parentes ſuos contraxiſſe publicè, & in facie Eccle- ſiæ. 2. Si probet, quòd communi opinione vici- niæ, habebantur, quòd etant maritus, & uxor. 3. Si probet, quòd parentes ſe tractabant, ut maritus, & uxor; ſola autem fama, ſeu communis opinio vici- niæ non ſufficit ad probandum matrimonium legiti- mum, niſi conſtet, vel probetur, quòd parentes etiam tractabant ſe invicem ut conjuges: quamvis aliqui putent ſufficere probare ſolam famam, ſine tractatu, falrem mortuis parentibus, *Alex. de Nævo hic n, 8. & 9.* apud quem plura de hoc videri poſſunt, & a- lios DD.

LIV. Poſtremò in *c. Per tuas. 12. h. t.* alius ca- ſus huc pertinens proponitur: Nam cùm qui- » dam R. nomine, ex quadam muliere, quam ma- » jor pars vicinæ credebat eſſe ipſius concubinam, » prolem ſuſcepiſſet, & quandam poſt, eâque defun- » ctâ, aliam in uxorem duxiſſet, & illa concubina » alium in matitum accepiſſet: progreſſu temporis, » idem R. in præſentia multorum, proprio jura- » mento ſit mavit, quòd eam, quam habere videba- » tur pro concubina priùs affidaverat (id eſt, fidem » ei dederat, quòd eam ducturus ſit in uxorem, *Gl.* » *hic V. Affidaverat*) & poſt fidem datam prolem ex » ea ſuſcepit. Tandem cùm in extremis ageter, il- » lum, quem ex ea ſuſceperat, legitimum filium ap- » pellans, in teſtamento hæredem inſtituit. Sed cùm » dubitaretur, an filius ſic ſuſceptus eſſet legitimus » hæres ipſius R. & ad ejus hæreditatem admitten- » dus, commiſſum eſt cuidam Judici (vel Epiſcopo) » ut de hoc cognoſceret. Ille verò præter id, quod » ex quadam Decretali Alexandri III. habetur (in » *c. Tranſmiſſæ. 3. h. t.* ubi dicitur, ſtandum eſſe ver- » bo viri, & mulieris) teſtes recepit à filio prædicti » R. productos, per quos legitimè comprobavit, di- » ctum R. matrem ipſius affidâſſe (antequam illum » ex ea ſuſcepiſſet. *Gl. hic V. Affidâſſe*) & ita illum »

Digitized by Google

» pronunciavit legitimum hæredem ipſius R. Con-
» ſultus Papa Innocentius III. & conſiderans, quòd
» plus ſit, quod in veritate agitur, quàm quod ſi-
» mulatè concipitur, reſpondet: licèt dictus R. vi-
» deatur, quòd cùm dimiſſâ eâ, quam ut concubi-
» nam habuerat, ad alias nuptias tranſivit, ipſo fa-
» cto denegaverit matrimonium, quod inter eos
» initum fuerat, quia tamen deſponſatio per legiti-
» mos teſtes probata fuit, ſive fuerit facta per verba
» de præſenti, ſive per verba de futuro, carnali co-
» pulâ ſubſecutâ: idem Papa innitens, non tam De-
» cretali Alexandri, quæ in caſu ſimili loquitur,
» quàm productis probationibus, Judicem illum le-
» gitimè proceſſiſſe pronunciat, ejuſque ſententiam
» auctoritate Apoſtolicâ confirmat.

LV. Hinc patet, quòd ſtatur dicto teſtium probantium aliquem eſſe legitimum, quamvis fama viciniæ, & tractatus parentum habeant contrarium, *Abb. hic in Summa*, & alii Canoniſtæ communiter. Ratio eſt, quia quando duæ præſumptiones contrariæ hinc inde concurrunt, ſtandum eſt fortiori, & illi in dubio, quæ favorabilior eſt. At verò probatio per teſtes eſt fortior, quia eſt plena, & ſufficiens, *c. Cùm cauſam. 37. de teſtib.* Fama verò viciniæ non probat plenè, & ſufficienter, *c. Tam litteræ. 33. eod.* imò etiam depoſitio teſtium præfertur tractatui parentum, quia per teſtes fit vera probatio: ex tractatu autem parentum reſultat ſolùm probatio præſumptiva, *Alex. de Nævo hic n. 3.* & ille poteſt eſſe fictitius; & tunc non debet prævalere contrariæ probationi, quia plus eſt, quod in veritate agitur, quàm quod ſimulatè concipitur, ut hîc dicitur. Item cauſa legitimitatis filiorum eſt favorabilis, *c. pen. h. t.* ideóque plus credendum eſt depoſitioni teſtium in favorem legitimitatis, quàm famæ viciniæ, & tractatui parentum contra prolis legitimitatem, *Vivian. in Ration. hic.*

LVI. Ubi præterea notandum 1. Ad probandum aliquem eſſe legitimum, ſatis eſt probare, quòd fama, ſeu opinio viciniæ, vel majoris illius partis, habebat parentes illius fuiſſe legitimo matrimonio conjunctos; ſicut & è contrario, ad probandam illegitimitatem alicujus ſufficit probare, ſecundùm opinionem viciniæ, parentes illius fuiſſe concubinarios, *Abb. hic n. 3. & Alex. n. 2.*

Notandum 2. Dicto parentum ſuper filiatione non ſtatur, etiam cum juramento, ſi tractatus eorum præcedens, & fama viciniæ ſit in contrarium, idque etiamſi fiat in extremis, ut ſi quis in infirmitate inſtituat filium hæredem, & ipſum nominet filium, *Abb. hic n. 3. Alex. n. 4.*

Notandum 3. Eo ipſo, quòd quis filium naturalem in ultima voluntate filium nominat, & hæredem inſtituit, cenſetur eum legitimâſſe. *Auth. Item ſi quis. C. De natural. liber.* ſi alios legitimos filios non habeat, *Gl. hic V. Filium.*

Notandum 4. Caſus, de quo agitur in *c. Tranſmiſſæ. 3. h. t.* quod eſt Alexandri III. eſt diſſimilis caſui hujus cap. Nam ibi parentes teſtimonium ferebant contra illum, qui dicebat, ſe eſſe eorum filium: hîc verò pro ipſo filio, cui multum prodeſt dictum parentum: deinde ibi negabatur filiatio, hîc qualitas legitimationis. Item hîc factum contradicebat verbo, non autem ibi. Denique hîc aſſertio viri tantùm, ibi viri, & mulieris, *Gl. fin. hîc junctâ Gl. Margin. lit. C. Ioann. Andr. ibid. in fine*, & ideo meritò non debet ſtari dicto patris, *Abb. hic in fine.*

TITVLVS XVIII.

QUI MATRIMONIUM ACCUSARE POSSUNT, VEL CONTRA ILLUD TESTIFICARI.

Quia in præcedentibus dictum eſt, qualiter matrimonium contrahatur, & qualiter impediatur; nunc agendum eſt, qualiter ſeparetur, ac diſſolvatur, adeóque de matrimonii ſeparatione, ſive divortio. Sed quia ad divortia pervenitur per accuſationes, & teſtimonia, ideo ante tractatum de divortiis præmittitur iſte Titulus de illis, qui matrimonium accuſare poſſunt, & contra illud teſtificari. Continet autem duas partes, nempe qui ſint idonei accuſatores matrimonii, & qui idonei teſtes contra illud, Abb. in Rubrica hujus Tituli.

§. I.

Quinam admittantur ad accuſandum matrimonium, vel teſtificandum contra illud?

I.

ASSERTIO 1. Si accuſetur matrimonium, ſive contra illud agatur, tanquam illegitimè contractum, vel agitur ad ſeparationem tori, v. g. propter adulterium; & tunc admittitur ad accuſandum ſolùm conjux innocens, quia hujus tantùm intereſt, non autem alterius. Vel agitur ad ſeparationem vinculi matrimonialis: & hoc caſu, ſi accuſatur matrimonium, propter impedimentum conſanguinitatis, primò omnium admittuntur parentes, & his deficientibus, proximiores conſanguinei, cùm agitur de impedimento conſanguinitatis. Poſt cognatos au-

Digitized by Google

tos autem admittuntur ad accuſandum extranei, & inter hos præferuntur maturiores, & antiquiores è vicinia, quibus conſanguinitas nota eſt, *c. 1. & 2. cauſ. 35. q. 6.* niſi ſubſit tale impedimentum dirimens, cui contrahentes poſſunt renunciare, ut eſt impedimentum erroris circa conditionem, ſeu ſtatum, ut quia liber ignorans contraxit cum ancilla, vel è contra libera cum ſervo; nam hoc caſu nullus, præter liberum, & liberam, ad accuſandum admittitur, cùm hunc errorem ſibi invicem remittere poſſint, & de novo in matrimonium conſentire, *c. 2. de conjug. ſervor.* Item ſi matrimonium accuſetur, propter impotentiam, ut quia alter conjux eſt impotens ad exercendum actum conjugalem, ratione frigiditatis, vel maleficii, vel alterius impotentiæ; tunc enim nullus alius ad accuſandum matrimonium admittitur, quàm ipſi conjuges, quia horum tantùm intereſt diſſolvi tale matrimonium, & ipſi invicem cohabitare poſſunt, ſi non ut veri conjuges, ſaltem ut frater, & ſoror, *c. Conſultationi 4. de frigid. & malef. Abb. in Rubric. h. t. Henric. Caniſ. ibid. in princ.*

II. Assertio 2. Omnes, qui ſunt idonei, & admittuntur ad accuſandum matrimonium, admittuntur etiam ad ferendum teſtimonium contra illud, vel pro illo, dummodò aliàs ſint idonei ad teſtificandum, *Innoc. hic in princ. n. 1. & Abb. in Rubr.* Unde ſive agatur de matrimonio conjungendo, ſive diſſolvendo, parentes, & conſanguinei ſunt idonei teſtes ſuper conſanguinitate, prout ſumitur ex c. *Vi-* » *detur. 3. h. t.* ubi Papa Clemens III. reſcribit, pa- » rentes, fratres, & cognatos utriuſque ſexûs, in te- » ſtimonium ſuorum ad matrimonium conjungen- » dû, vel dirimendum admitti debere, tam ſecundùm » antiquas conſuetudines, quàm leges (Canonicas, » *Gl. hic V. Legibus*) Ideo enim maximè parentes, & » ſi hi defuerint, proximiores cognati admittuntur, » quia unuſquiſque ſuam genealogiam, cum teſti- » bus, & chartis, tum etiam ex recitatione Majorum » ſcire laborat: illi enim recipi debent in teſtes, qui » meliùs ſciunt (conſanguinitatem ſcilicet) & quo- » rum intereſt, ita ut ſi non interfuerint, & conſen- » ſum non præſtiterint, ſecundùm leges (Civiles, » *l. 2. ff. de ritu nupt.*) nullum ſit matrimonium (ſe- » cus ſecundùm Canones, ut ſuprà dictum) Quod » verò dicitur, patrem non recipi (in teſtem) in cau- » ſa filij, nec filium in cauſa patris, illud verum eſt in » criminalibus cauſis, & contractibus: ſed in matri- » monio conjungendo, vel diſjungendo, ob ejus » prærogativam, & favorem, in teſtes admittun- » tur.

III. Notandum 1. In cauſa matrimoniali, ſive agatur de conjungendo, ſive ſeparando matrimonio, parentes, & conſanguinei utriuſque ſexûs, & utriuſque conjugis, ſunt idonei teſtes, imò aliis præferuntur, quia præſumitur illos habere plenam notitiam, tam conſanguinitatis, quàm contracti matrimonii; nam utrumque ſcire magis ad eos ſpectat, quàm ad extraneos; idque procedit, non ſolùm ſi agatur de probanda conſanguinitate, ſed etiam de probando contractu matrimonii, ut communiter intelligunt DD. *Abb. hic num. 2. & Alex. de Nevo num. 2.*

Notandum 2. Ille, cujus intereſt ſcire, præſumitur meliùs informatus de re, & talis teſtis præferendus eſt alii extraneo, & præ cæteris, examinari debet.

Notandum 3. Pater non eſt regulariter idoneus teſtis in cauſa filii, *c. Si teſtes. 3. §. Teſtis idoneus cauſ. 4. q. 3. l. Teſtis. 9. ff. de teſtib.* quia ejus teſtimonium eſt ſuſpectum, & vice versâ; quod eſt verum in cauſis criminalibus, & contractibus; patet tamen poteſt eſſe teſtis in matrimonio, niſi ſponſus ſponſam divitiis, aut nobilitate multùm ſuperaret, & multò magis ſi ſponſum ſponſa; tunc enim teſtimonium parentum eſſet ſuſpectum, ſive quæratur de conſanguinitate, ſive an matrimonium fuerit contractum, *Abb. hic n. 6.* ubi in fine addit, quòd non poteſt dari certa regula, an & quando credendum ſit teſtimonio parentum in cauſa matrimoniali, ſed id relinquendum eſſe arbitrio judicantis, ut ex circumſtantiis deprehendat, an eorum teſtimonium ſit ſuſpectum, *l. 3. ff. de teſtib.*

Similiter ſi quæratur, an admittantur parentes ad teſtimonium ferendum ſuper matrimonio, nulla fit diſtinctio, ſive procedatur ſuper conſanguinitate, ſive alio impedimento, in quo militat eadem ratio, *Alex. de Nevo hic n. 11.*

Notandum 4. In cauſa matrimoniali idem poteſt eſſe accuſator, & teſtis, *c. Si duo. 4. c. De parentela. 5. & c. Epiſcopus. 7. cauſ. 35. q. 6.* Idque intelligitur verum, cùm quæritur de conſanguinitate conjugum, *Innoc. hic in princ. n. 2.* Quod tamen *Abb. in Rubrica hujus Tituli* tunc procedere ait, ſi quis non tanquam accuſator, ſed denunciator impedimentum detulit ad Judicium: tunc enim, ſi Judex ex Officio inquirat, etiam is, qui denunciavit, ſimul poteſt eſſe teſtis, *c. Cùm in tua. 27. de ſponſalib, c. In omni. 4. de teſtib.*

§. II.

Quinam ab accuſatione matrimonii ſunt repellendi?

IV. Inprimis qui matrimonium accuſat, propter quæſtum, repelli debet, prout ſumitur ex c. *Significante. 5. h. t.* Nam cùm M. duxiſſet legitimè (id » eſt, in facie Eccleſiæ, & bonâ fide, ac nemine contradicente, *Gl. hic V. eod.*) in uxorem S. & mater ipſius » niteretur matrimonium accuſare (allegando im- » pedimentum conſanguinitatis, vel affinitatis, vel » aliud inter ipſos conjuges) ut ab eo (ponſa) pe- » cuniam extorqueret: & licèt voluntati ſuæ non » poſſent prava opera reſpondere (quia non potuit » probare, quod intendit, *Hoſtienſ. hic V. Opera*) ni- » hilominus voluit habere pecuniam, ut ab accuſa- » tione deſiſteret. Quare mandavit Pontifex Judi- » cibus delegatis, ut ſi ita eſt, dictam mulierem ab » accuſatione matrimonii repellant, & ei ſuper hoc » ſilentium imponant, quia malitiis hominum non » eſt indulgendum. »

V. Hinc patet, quòd repellitur accuſator matrimonii, propter turpem quæſtum. Idque procedit etiam in omni alio accuſatore, *Gl. hic V. Repellentes.* quin imò Judex ex Officio poteſt, non tantùm accuſatores matrimonii, ut in caſu hujus cap. propter periculum animarum, ſed etiam alios accuſatores repellere, parte non opponente, *Abb. hic n. 4.* Porro quòd iſta mulier inſtituerit accuſationem matrimonii

monii, quæſtûs causâ, probari potuit, tum per mediatores, per quos cuiabat tractari, ut ſibi daretur pecunia, & ipſa deſiſteret ab accuſatione: tum per teſtes, quos ipſa corrumpere conabatur, ob dictam cauſam, *Hoſtienſ. hic* §. *Sed quomodo. & Abb. n.* 5.

VI. Præterea repellitur ab accuſatione matrimonii contracti, qui tempore præmiſſæ denunciationis, ſciens, impedimentum dirimens tacuit, & illud non manifeſtavit, niſi denunciationem probabiliter ignorârit, vel juret, ſe poſtea primùm in ejus notitiam deveniſſe, & quòd nihil malitiosè objiciat contra matrimonium, prout conſtat ex *c. Cùm in tua. 6. & ult. h. t.* ubi Papa Clemens III. ita reſcribit: » Si poſt contractum matrimonium, appareat aliquis accuſator, qui non prodijt in publicû, quando banna, ſeu denunciationes, ſecundùm conſuetudinem, in Eccleſia edebantur: tempore autem denunciationis ipſe extra Diœceſin exiſtebat: vel ea ad illius notitiam pervenire non potuit, ut quia gravi infirmitate tunc laborabat: vel quia tunc ſanæ mentis non erat: vel in tali etat ætate, ut ad talia comprehendenda ejus ætas non ſufficeret, vel ex alia legitima cauſa impeditus fuerat; tunc enim accuſatio debet admitti: alioquin tanquam ſuſpectus debet repelli, quia præſumptio eſt contra ipſum, quòd denunciationem publicè factam, dum in Diœceſi exiſtebat, non ignoraverit: niſi proprio jutamento firmaverit, ſe poſtea ea, quæ objecit, didiciſſe, & ad hoc ex malitia non proceſſiſſe: & tunc, etiamſi didiciſſet ab illis, qui tempore denunciationis ſiluerunt, non debet ei claudi, ſeu negari aditus ad accuſandum, quia etſi illi ab accuſatione repellendi forent, propter culpam ſilentii: iſte tamen repelli non debet, cùm culpabilis non exiſtat.

VII. Pro declaratione hujus cap. notandum 1. banna, ſeu denunciationes debent fieri in Eccleſiis, antequam contrahatur matrimonium, nempe ut ſcientes impedimentum Canonicum matrimonii inter contrahentes, illud intra tempus præfixum deferant, *Alex. de Nevo hic n.* 3. idéoque ſi quis, poſt tempus denunciationi præfixum, accuſet matrimonium, tejicitur ab accuſando, quia ſuſpectus habetur, quòd rem in tempus contracti matrimonii maliciosè differendo, velit impedire matrimonium poſtea contractum, *Henric. Caniſ. hic n.* 1.

Notandum 2. Exiſtens in Diœceſi præſumitur habere notitiam eorum, quæ publicè fiunt in civitate, & banna, ſeu Edicta, quæ fiunt publicè in civitate, afficiunt omnes exiſtentes in Diœceſi, ita ut omnes præſumantur ea ſcire, *Abb. hic num.* 2. *& Alex. num.* 4.

Notandum 3. Tres ſunt caſus, in quibus regulariter præſumitur ignorantia eorum, quæ palam fiunt in civitate. Primus eſt, ſi quis exiſtebat tunc temporis, extra Diœceſin. Secundus eſt, ſi quis tunc erat in tenera adhuc ætate, ita ut non poſſet geſta intellectu comprehendere. Tertius, ſi ex infirmitate patiebatur defectum usûs rationis. Idémque dicendum de alia cauſa legitima, ut quia etat excommunicatus, tempore denunciationis, & ſic non fuiſſet admiſſus ad accuſationem matrimonii: niſi tamen fuiſſet in mora petendi abſolutionem, *Abb. hic n.* 3. *& Alex. n.* 5.

Notandum 4. Faciliùs admittitur accuſans matrimonium contrahendum, quàm jam contractum; quia faciliùs impeditur matrimonium, quàm dirimatur, *c. Præterea.* 12. *& c. Cùm in tua.* 27. *de ſponſ.* nec propriè dicitur matrimonium contrahendum accuſari, ſed denunciari, *c. Ad diſſolvendum.* 13. *de deſponſ. impub.* idéoque ante contractum matrimonium, etiam poſt lapſum termini, admittitur quis ad accuſandum, *Alex. hic n.* 2.

VIII. Notandum 5. Impedimentum matrimonii poteſt per proprium jutamentum ptobari, ut conſtat ex hoc cap. ibi: *niſi proprio firmaverit juramento*, ubi *Gl. V. Juramento.* ait, quòd plus valet juramentum unius, quàm præſumptio juris, quia hæc per jutamentum eliditur. Cui tamen obſtat *cap. Ex litteris. 4. de in integr. reſtitut. & c. Cupientes.* 16. §. *Quòd ſi per* 20. *dies de Elect. in* 6. Nam quando fit publicè denunciatio, ſeu proclama impedimenti, præſumptio juris eſt, quòd quis illam ſciat; & tamen admittitur juramentum ejus, qui aſſerit, ſe illam ignotâſſe. Quare hoc cap. ultimum procedit, quando præſumptio illa orta ex publica denunciatione, ſeu proclamate, eſt debilior eâ, quæ oritur ex juramento, vel quando impedimentû non poteſt veriſimiliter probari, quàm per juramentum: at verò textus in contrarium allegati habent locum, quando impedimentum poteſt veriſimiliter probari per teſtes, vel alias legitimas probationes, juxta *Gl in cit. c. Cupientes.* §. *Quòd ſi per* 20. *dies. V. Fidem.* quia tunc non admittitur juramentum partis, ne recedatur à regula juris in *c. Licèt. 47. de teſtib. Menoch. l.* 1. *de præſumpt. præſumpt.* 77. *n.* 10. *&* 11. *Barboſ. hic in Collect. n.* 7. Addit *Abb. in cit. c. ult. n.* 9. *h. t.* Judicem ſecundùm qualitatem præſumptionis debere arbitrari, an juramentum ſit ſufficiens: nam præſumptio quandoque eſt ita levis, ut per juramentum excludatur: quandoque verò præſumptio eſt ita urgens, ac vehemens, ut juramentum proprium non ſufficiat ad eam excludendam.

Notandum 6. Differentia in hoc eſt inter accuſatorem, & teſtem, quòd accuſator admittitur ad accuſandum matrimonium, etiamſi ejus auctor, à quo audivit impedimentum matrimonii, admitti non poſſit. Aliud eſt in teſte, hic enim repellitur à ferendo teſtimonio, ſi ejus auctor repellatur, *cit. c. Licet. 47. de teſtib.* Ratio diverſitatis eſt, quia accuſator fundat ſuam intentionem, non in nuda accuſatione, ſed in teſtibus, vel aliis probationibus; idéoque culpa auctoris ſui non debet ipſi nocere, qui non fuit in culpa. At verò teſtis, qui deponit de auditu, fidem teſtimonii ſui fundat, & collocat in perſona alterius, à qua audivit: quare ſi auctor repellatur, tanquam inhabilis ad teſtimonium, debet ſimiliter & teſtis repelli, *Abb. in cit. c. ult. n.* 10. *h. t. Henric. Caniſ. ibid. n.* 2.

§. III. *Pro-*

Digitized by Google

§. III.

Proponuntur, & resolvuntur nonnulla quæstiones occurrentes circa reliqua tria Capitula huius Tituli.

IX. Quæritur 1. An & quando in causa matrimoniali, etiam lite non contestatâ, testes recipi possunt; & sententia ferri, alterâ parte absente? De » hac re agitur in *c. Relatum. 1. h. t.* Nam cùm quidam filiam suam cuidam civi Parisiensi in uxorem » dedisset, post aliquot annos, quibus cum eadem » permansit, propter homicidium commissum aufugit, timore mortis: postea verò dicebatur, posse » probari, quòd pater puellæ illum de facto fonte levavit: quare Episcopus loci curavit per literas eum » quæri, sed per quinquennium quæritus non » potuit inveniri. Itaque hac de re consultus S. Pontifex Alexander III. respondet, si manifestum sit, » seu notorium, quod asseritur (nempe quòd inter » eos sit cognatio spiritualis) aut legitimi accusatores, & testes appareant, & juvenis ille cum omni » diligentia requisitus non potuit inveniri; tunc » poterunt testes recipi, & judicium Canonicè terminari, ac decidi.

X. Ubi notandum 1. Si agatur de ipso fœdere, seu valore matrimonii, possunt super impedimento matrimonii, contra reum contumaciter absentem testes recipi, etiam lite non contestatâ, dummodo aliàs sint legitimi testes, & juxta eorum depositiones sententia ferri debet; quia licèt regulariter non possint recipi testes super principali, lite non contestatâ, *c. Quoniam. 5. Vt lite non contestatâ &c.* in causa tamen matrimoniali, ut peccatum impediatur, & ne alteri conjugi, sive vito, sive mulieri fornicationis occasio præbeatur, permittitur, imò debent super impedimento matrimonii testes recipi contra reum, qui se malitiosè occultat, seu impedit, ne ad eum citatio perveniat, quamvis iis contra eum priùs non sit contestata, *Vivian. in Ration. hic*, de quo dictum supra *l. 2. Decret. Tit. 6. §. 1. n. 2. & seqq.*

Notandum 2. Si maritus, sinâ culpâ, sit absens, & diligenter quæritus, convenienti tempore (nam quod hîc dicitur de quinquennio, est tantùm narratio facti, non terminus à jure requisitus) non reperiatur, potest contra ipsum procedi ad definitivam sententiam, quia in culpa fuit, non mittendo Procuratorem, & delictum ipsius dedit causam absentiæ, ut in proposito commissum homicidium: secus est, quando ex causa justa, & non malitiosè, seu culpâ suâ, maritus se absentavit. In dubio verò præsumendum est, quòd vir in fraudem uxoris se absentavit, cùm teneatur ei cohabitare, *Abb. hic n. 3. & 6.*

Notandum 3. Inter liberos suscipientis, & susceptum è Baptismo contrahitur spiritualis cognatio, non solùm impediens, sed etiam dirimens matrimonium contractum, *c. 1. de cognat. spirit. in 6.* sed hodie per Concilium Tridentinum *Sess. 24. c. 2. de reform. matr.* hæc cognatio spiritualis restricta est ad personas principales, neque ampliùs inter liberos baptizati, & suscipientis è Baptismo contrahitur.

XI. Quæritur 2. An accusatio, vel testimonium in causa matrimoniali fieri possit per litteras, seu scripturam, absente accusatore, vel testibus? Resp. negativè, prout sumitur ex *c. Anobis. 2. h. t.* ubi » Papa Clemens III. consultus, utrùm aliqui super » accusatione matrimonii, nihil voce propriâ depromentes, debeant per solam chartulam, seu scripturam admitti? Respondet, quòd in talibus, » nisi quantum ad præsumptionem, nullius momenti est conscriptio (sive accusationis, sive testimonii) quoad sententiam proferendam; nisi alia » legitima adminicula suffragentur. Ratio est, quia » in causa matrimoniali Judex diligenter advertere debet, ne per alicujus calumniam, vel falsum testimonium, aliqui in matrimonio invalidò in peccato conjuncti permaneant, & ne legitimè conjuncti contra præceptum DEI separentur, *c. Licèt. 47. in fine de testib.* Et quia accusatores faciliùs possunt calumniari, si absentes possent accusare per scripturam, *c. ult. caus. 2. q. 8.* ubi dicitur, per scripta nullius accusatio suscipitur, sed propriâ voce, præsente eo, quem accusare desiderat, *quia nullus absens, aut accusare potest, aut accusari.* Idémque est de testibus, *c. Testes. 15. caus. 3. q. 9. cùm non sit testimonium, sed testibus credendum, c. Tua nos. 8. de cohabit. Cleric. & mulier. Gl. hic V. Accusatione.* Quare ad evitandam calumniam accusatoris, & falsam depositionem testium, statutum est, ut in causa matrimoniali personaliter, & propriâ, ac vivâ voce debeat fieri accusatio, & testes deponere, non autem per litteras in absentia, *Abb. hic n. 3. & Vivian. in Ration.* Etsi verò scriptura ex talibus accusationibus, vel testimoniis non sufficit ad ferendam sententiam, sine aliis adminiculis, patit tamen aliquam præsumptionem, ut patet ex hoc cap.

XII. Porro plures alii DD. apud *Barbos. in Collect. hic n. 2.* existimant, attestationes testium in scripta redactas, & Judici missas valere, & sustineri, saltem ex privilegio, & longâ consuetudine; nam ut testatur *Gail obser. libr. 1. obs. 101. n. 13. & 14.* in Bohemia, Austria, & aliis locis ex speciali privilegio, & longa observantia receptum est, ut illustres, & nobiles personæ non cogantur personaliter accedere Judicem, ad perhibendum testimonium, sed satis est, quòd per scripturam, sub fide sua, absque corporali juramento, deponant, & depositionem propriâ manu subscriptâ, & obsignatam Judici examinis transmittant, quia in istis personis cessat præsumptio fraudis, & subornationis, aut perjurii, eorúmque sigilla, & propriæ manûs subscriptio sunt loco juramenti.

XIII. Similiter etiam Confessio Sacramentalis non potest fieri in scriptis, sive per litteras, aut per internuncium, Confessario absenti, obtentâ ab eodem absolutione, ex declaratione Clementis VIII. quæ extat apud *Quarantam in Summa Bullarij, V. Confessio Sacramentalis.* ubi contraria opinio, tanquam falsa, temeraria, & scandalosa damnata est; tum quia sigillum confessionis periclitatur; tum quia confitentis erubescentia tollitur, si propria peccata confitentis scripta tradantur, vel mittantur Confessario, *Covarr. l. 2. var. resol. c. 13. n. 6.* ubi addit, mutum, etsi sciat scribere, non teneri ad confitendum propria peccata per scripturam; potest tamen facere, si ita sibi visum fuerit: tenetur autem

Digitized by Google

mutus confiteri per ſigna, quibus ejus peccata percipiantur.

XIV. Quæritur 3. An puella innubilis, quæ invita contraxit matrimonium cum aliquo, ſed poſtea ſponte ab eodem fuit cognita, audiri debeat, ſi reclamet contra matrimonium? Reſp. negativè, » prout ſtatuitur in *c. Inſuper. 4. h.t.* Nam cùm alio quis contraxiſſet matrimonium cum puella quadam infra nubilem ætatem conſtituta, quæ » nubilis facta, & ſæpius ab eo carnaliter cognita, contra matrimonium proclamavit, aſſerens ſe ab initio ſemper diſſenſiſſe: idque per teſtes probare intendit, famâ, & converſatione præclaros. Conſultus Papa Clemens III. reſcripſit, quòd non debet audiri adversùs matrimonium, quia antequam cognoſceretur à viro, jam » nubilis facta, ſeu legitimam ætatem attingens, » cùm potuit, non reclamavit: ſicut enim ante legitimum conſenſum, qui in XII. anno ſpectatur » (in muliere) potuit diſſentire: ſic poſtquam adveniente legitimo tempore, ſemel etiam in copulam carnalem conſenſit, non potuit reclamare, » quia ex ratihabitione ſequenti ſibi ſuper hoc ſilentium indixit. Ratio deciſionis eſt: nam licèt per vim, ſeu metum gravem illatum excluditur conſenſus; ubi autem non eſt conſenſus, non poteſt eſſe validum matrimonium; quia tamen per carnis copulam ſponte ſubſecutam ſublata eſt omnis violentia; ideo matrimonium per vim, ſeu metum ab initio contractum, incipit valere ex tunc, poſtquam puella nubilis facta in copulam liberè conſenſit; ideóque de vi ſibi illata poſtea contra valorem matrimonii nihil opponere poteſt, & ita ratihabitio confirmat, ſive validum facit, quod ab initio non valebat, *Gl. ſup. hîc, & Vivian. in Ration. hîc.*

XV. Notandum 1. Matrimonium nullum, ob defectum ætatis, vel metum, convalidatur per intervenientem ſpontaneam cohabitationem, poſt ætatem legitimam, maximè ſi interceſſit copula carnalis, juxta *c. Ad id quod. 21. & c. Conſultationi. 28. de Sponſal.* de quo dictum ſuprà *tit. 1. hoc libro. Abb. hîc n. 2. & Alex. n. 2.* Requiritur autem, ut copula ſit ſponte affectu maritali habita: nam ſi copula fuiſſet metu gravi extorta, per eam non ratificaretur matrimonium metu initum, *Sanch. l. 4. de matr, diſ. 18. n. 15. & 18.* & dictum ſuprà *Tit. 1.*

Notandum 2. Si mulier ducta in uxorem, ante ætatem legitimam, non vult ratificare matrimonium, debet ſtatim contradicere, adveniente ætate legitimâ, aliàs ſi cohabitet cum viro, non contradicendo, ratificatur matrimonium, maximè ſi copula carnalis intervenit: quin imò etiamſi non intervenit, ut probatur ex hoc cap. ubi dicitur, antequam puella cognita fuit, debet reclamare, cùm attingit ætatem legitimam, & clariùs probatur ex *c. unic. de deſponſ. impub. in 6. Alex. hîc n. 3.*

Notandum 3. Teſtes requiſiti in cauſa matrimoniali debent eſſe omni exceptione majores, *c. Licèt. 47. de teſtib.* id eſt, tales, qui repelli non poſſunt aliquâ exceptione, juxta *Gl. in c. 1. V. Majores de conſang. & affin. Alex. de Nevo hîc num. 4.*

* * *

§. IV.

Quis ſit Judex competens cauſarum matrimonialium?

Quoniam egimus de accuſationibus, & teſtibus, qui adhiberi poſſunt in cauſis matrimonialibus, pauca quædam etiam de Judice addenda hoc loco ſunt.

XVI. Assertio 1. Judex competens in cauſis matrimonialibus eſt Epiſcopus, *c. Accedentibus. 12. de exceſſ. Prælat.* Ex juſta tamen cauſa etiam Prælatis inferioribus delegari poteſt cognitio cauſarum matrimonialium, *Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 8. §. 12. n. 1.* Item ex privilegio, vel conſuetudine legitimè præſcripta poteſt competere aliis, quàm Epiſcopis, cauſarum matrimonialium cognitio, ac definitio, *Covarr. cit. l.* Idque definitum eſt in Concilio Tridentino contra hujus temporis novatores, *Seſſ. 24 c. 12.* ubi dicitur: *Si quis dixerit, cauſas matrimoniales non ſpectare ad Judices Eccleſiaſticos, anathema ſit.* Ratio eſt: quia matrimonium, cùm ſit Sacramentum novæ legis, eſt res ſpiritualis, non temporalis, ac profana, adeoque Judici Eccleſiaſtico, non ſæculari, ſeu profano ſubjecta, *Tanner. tom. 4. diſ. 8. q. 4. dub. 9. n. 164. & ſeq.*

XVII. Assertio 2. Judex ſæcularis non poteſt cauſam matrimonii cognoſcere, etiamſi non tractetur de valore matrimonii, ſed ſolùm de ſeparatione quoad torum, & cohabitationem; & etiamſi conjugalis cauſa incidat in judicium hæreditariæ ſucceſſionis, *Covarr. c. 1. n. 3.* In illis tamen cauſis, quæ ad dotem, hæreditates, & ſucceſſiones pertinent, etiam Judex ſæcularis eſt competens Judex. Item in quæſtionibus facti, ut ſi agatur de punitione adulterii, inceſtûs, aliorúmque criminum, quæ ſunt contra ſanctitatem matrimonii, Judex eſſe poteſt etiam ſæcularis, quia ejusmodi delicta ſunt mixti fori, quæ proinde Judex, qui prævenerit, ſive Eccleſiaſticus, ſive ſæcularis puniet, quia hæc eſt quæſtio facti, non juris, nec opotter ad ea punienda priùs cognoſcere de valore matrimonii, aut Canonum ſenſu, *Sanch. l. 3. de matr. diſ. 54. n. 3. & 6.* Itaque ſi quæſtio ſit, an matrimonium ſit de facto contractum, vel an ſit contractum in faciè Eccleſiæ, vel clam, ut ita conſtet, an filius ſit legitimus ob bonam parentum fidem, de ea poteſt cognoſcere etiam Judex ſæcularis: niſi talis quæſtio facti reſolvatur in quæſtionem juris, ita ut controverſia ſit de ſenſu Canonis, ſeu legis Eccleſiaſticæ, quid ſit matrimonium clandeſtinum, *Tanner. c. l.*

XVIII. Illud hoc loco addendum, ut ex Bellarmino tradit *Tanner. c. l. n. 166.* triplices eſſe cauſas matrimoniales, quædam ſunt omnino politicæ, ſeu civiles, ut de dotibus, hæreditatibus, & ſucceſſionibus; & hæ ad ſæcularem Judicem, ſeu Magiſtratum ſpectant: quædam ſunt ſimpliciter ſpirituales, ut de partibus Sacramenti, de benedictione Sacerdotali; & hæ ad ſolam Eccleſiam, & Eccleſiaſticum Judicem pertinent: quædam ſunt partim civiles, ſeu ſæculares, partim ſpirituales, ut de gradibus cognationis, divortiis, & impedimentis; & hæ poſſunt quidem ad ſæcularem Magiſtratum pertinere, ſed cum ſubordinatione ad Eccleſiaſticum, ut definitum eſt in Concilio Tridentino *loc. ſupr. cit.*

TITV-

Digitized by Google

TITVLVS XIX.

DE DIVORTIIS.

I.

VIsum est in præcedentibus Titulis, qualiter matrimonia conjungantur, & accusentur, nunc videndum est, qualiter dissolvantur, seu separentur. Fit autem divortium dupliciter. 1. Quoad vinculum substantiale matrimonii, quando scilicet separatur matrimonium, propter perpetuum impedimentum dirimens inter contrahentes: quamvis tunc non dissolvatur ipsum vinculum matrimonii quoad substantiam, quippe cùm nullum fuerit inter prætensos conjuges contractum, sed quia per Judicem Ecclesiasticum declaratur matrimonium inter eos fuisse nullum, & omnino separantur ab invicem, sive volentes, sive nolentes. 2. Fit divortium quoad torum, & cohabitationem, ac mutua obsequia, ut propter adulterium alterius conjugis, ex concessione Christi *Matth. c. 5. & 19.* manente tamen vinculo conjugali inter eos, ita ut neutri liceat, nec viro, nec mulieri aliud matrimonium inire, vivente altero, ut infrà magis declarabitur.

Porro in hoc Titulo agitur potissimùm de divortio quoad torum, & cohabitationem; nam per mortem naturalem unius conjugis dissolvitur matrimonium, etiam quoad vinculum, ita ut alter superstes ad aliud matrimonium transire possit, quia mors omnia solvit, imò si mortuus resurgeret, non esset obligatus priore matrimonio, ad *Rom. 7.* nisi de novo cum superstite conjuge contraheret: tum quia obligatio semel extincta non reviviscit: tum quia Sacramentum matrimonii non imprimit Characterem, qui est indelebilis, *Silvest. in Summa V. Divortium. q. 2. n. 5.*

§. I.

An, & quâ ratione licitum sit conjugi instituere divortium ob alterius adulterium?

II. ASSERTIO 1. Conjux innocens, sive vir sit, sive mulier, potest dimittere à suo toro, & cohabitatione conjugem adulterum, vel adulteram, ut constat ex c. 5. *Mat. V. 32.* ubi dicit Christus: *Omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari:* quia si alteri nubat, aut fornicetur, adultera erit, cùm vinculum matrimonii remaneat: qui verò ob fornicationem uxorem dimittit, non facit eam mœchari, quia utitur jure suo, & si ipsa alteri nubat, aut fornicetur, culpa hujus peccati non potest imputari marito, *Menoch. ibid. V. 32.* Ratio est, quia cùm adulterium per se, ac directè fidei conjugali repugnet, ex ipsa natura contractûs matrimonii oritur, ut liceat innocenti discedere ab adultero, idque jure naturæ dictantis, quòd frangenti fidem fides servanda non sit, *Sanch. l. 10. de matr. disp. 3. n. 4.* Neque verò dubium est, conjuges in hoc jure divortii instituendi ob adulterium alterius, esse æquales, ac proinde sicut vir innocens potest discedere ab adultera: ita è contra uxor à viro adultero, ut constat ex 1. *ad Corinth. 7. His, qui matrimonio juncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere: quòd si uxor discesserit* (ita dimittendo virum, ob ejus fornicationem) *manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Ratio est, quia ex violatione fidei conjugalis oritur jus divortii, ad quam conjuges æquali jure obligantur: licèt aliàs gravius peccatum sit adulterium uxoris, quippe quod majorem matrimonio injuriam irrogat: quia satis est, quòd in utroque delicto sufficiens causa infligendæ pœnæ reperiatur, sicut omnia homicidia pœnâ capitis plectuntur, *Sanch. c. l. n. 6.*

III. Porro quod dictum est, licitum esse viro, vel uxori instituere divortium quoad torum, & cohabitationem, ob adulterium alterius conjugis, statuitur etiam inprimis in c. *Significasti. 4. h. t.* Nam « cùm quidam uxorem suam, sine judicio Ecclesiæ, « dimisisset, quia ei dictum fuit, ipsam incestum « cum quodam consanguineo suo commisisse; ideò- « que is excommunicatus fuisset: mulier verò illa, « sobole ex alio viro susceptâ, nihilominus postula- « ret viro suo restitui, eò quòd ab ipso injustè di- « missa fuisset, & ipse ei materiam, seu occasionem « adulterandi dedisset. Consultus super hoc Papa « Alexander III. respondet, quòd si notorium sit, « mulierem illam adulterium commisisse, ad eam « recipiendam prædictum virum cogi non debere: « nisi constaret, ipsum cum alia adulterium com- « misisse. «

IV. Notandum 1. Maritus potest per Ecclesiam excommunicati, si sine justa causa dimittat uxorem, nec creditur ipsi asserenti, uxorem fuisse adulteram, *Abb. hic n. 2.* neque potest, propriâ auctoritate, expellere uxorem propter adulterium, sine judicio Ecclesiæ, *Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 7. §. 5. num. 8.*

Notandum 2. Neque tamen uxor, etsi sine justa causa dimissa à marito, excusatur ab adulterio, quod sic relicta commisit, quia non debuit, prætextu paupertatis, tantum scelus patrare, *Abb. hic n. 3. Alex. de Nævo n. 4. not. 4.*

Notanduni 3. Adulterium uxoris esse notorium potest probari, vel per confessionem ipsius, vel quia peperit filium, postquam recessit à marito XI. menses; tunc enim dicitur notoriè commississe adulterium, quia præsumitur natus ex adulterio, *Alex. de Nævo hic n. 4. not. 3.*

Notandum 4. Conjugi petenti restitutionem obstat exceptio notorii adulterii, quia hoc non dissolvit matrimonium quoad vinculum, sed conjuges solùm debent separati quoad torum, & cohabitationem, propter adulterium alterius. Sive autem agatur judicio petitorio, sive possessorio, justè denegatur restitutio conjugi, si adulterium sit notorium, ita ut negati non possit, nempe quia supersunt unus,

vel plures filii nati ex adulterio, & hoc dicitur notorium adulterium facti permanentis, *Alex. de Nævo hîc n. 5.*

Notandum 5. Si uterque conjux adulterium commisit, neuter potest contra alterum excipere de adulterio, quia tunc fit mutua delictorum compensatio, ut conſtat ex hoc c. in fine, *Sanch. l. 10. diſ. 5. n. 2.* de quo plura infrà *libr. 5. Tit. 16. ſec. 1. §. 6.*

Notandum 6. Si uxor ſine cauſa expulſa à viro petat eum ſibi reſtitui, ſed vir excipiat contra illam de notorio uxoris adulterio, non debet ei reſtitui: & è contra, ſi uxor, quæ ſine juſta cauſa à ſuo marito aufugit, contra virum petentem illam ſibi reſtitui excipiat de notorio viri adulterio, non deber etiam fieri reſtitutio, prout ſumitur ex hoc cap. *Farin. in praxi crim. p. 5. q. 143. n. 53.* & alii communiter.

V. Assertio 2. Non tantùm ob adulterium jus divortii competit conjugi innocenti, ſed etiam propter quemlibet alium illicitum concubitum conſummatum alterius conjugis, cum emiſſione ſcilicet ſeminis cum alia perſona, qualis etiam eſt ſodomia, ſeu activa, ſeu paſſiva, & beſtialitas completa, non item incompleta, ſine ſeminis effuſione: neque peccatum mollitiei, aut pollutio etiam cum alia tertia perſona perpetrata, ſine copula: multò minùs amplexus, & tactus impudici, etiam animo adulterandi habiti ad divortium ſufficiunt. *Sanch. l. 10. de matrim. diſ. 4. n. 3. & ſeqq.* & alii communiter. Ratio eſt, quia juſtum divortium oritur ex eo, quòd conjux carnem ſuam in aliam carnem dividat, contra fidem matrimonialem explicatam *Gen. 2. Erunt duo in carne una*: & ſic gravis injuria infertur matrimonio: talis autem diviſio carnis fit per fornicationem, ſodomiam, & beſtialitatem completam, quia verè caro conjugis dividitur in aliam, nempe in carnem beſtiæ, cui copulatur, nihil enim refert, an miſceatur cum carne ejusdem, aut diverſæ naturæ, *Sanch. c. l. n. 14.* Non autem fit divortium propter peccatum mollitiei, ſive viri, ſive uxoris, quia non dividitur caro conjugis in aliam per concubitum, & ſic non integrè, & conſummatè lædirur matrimonium, quæ diviſio eſt radix divortii, *Sanch. c. l. n. 9. & 10.* & alii communiter.

Et hinc ulteriùs infertur, ſodomiam viri completam cum propriâ uxore, etiam invitâ, non præbere juſtam perpetui divortii cauſam, niſi ad tempus, dum vir à ſcelere illo deſiſtere tenuit, quia vir per talem copulam non dividit carnem ſuam in alſum, *Sanch. c. l. n. 8.* Quamvis alii probabiliter putent, eo caſu locum habere divortium, eò quòd ſit gravis abuſus dominii corporis uxoris ſibi conceſſi, & talis actus etiam circa propriam uxorem graviter repugnat fidei conjugali.

VI. Assertio 3. Matrimonium ſeparatum quoad torum, & cohabitationem propter adulterium mulieris, redintegratur, ſi vir poſtea etiam fornicetur, ſive adulterium committar, ita ut ad priorem uxorem redire debeat, eſque cohabitare, prout ſtatuitur in *c. Exliteris. 5. h.t.* ubi talis caſus propo-
» nitur: Quidam V. nomine duxit quandam in uxo-
» rem, ſed non multò pòſt orta inter eos diſcordiâ,
» dixit, quòd illam per violentiam, ac metum ſibi
» illatum duxiſſet: tandem convenit eandem ſuper
» crimine fornicationis, eâque publicè confeſſa eſt, quòd cùm vir ei negaret de neceſſariis providere, ſe
» id crimen compulſam fuiſſe incurrere. Cúmque
» Epiſcopus eam admoneret, ne tam turpe facinus
» contra ſe proponeret, ipſa illud manifeſtiùs aſſere-
» bat. Quare Epiſcopus, cum conſilio Capituli ſui,
» utrique conjugi privatim injunxit, ut continentiam
» obſervarent, eósque ab invicem ſegregavit. Sed
» cùm dictus V. cum aha furtim, ac temerè ſponſa-
» lia, & nuptias celebraſſet, & Epiſcopo inquirenti
» rei ſeriem explicaſſet, ipſe V. ad Pontificem appel-
» lavit. Qui mandavit Epiſcopo, ut ſi res ita pro-
» ceſſit, prædictum virum ad legitimam uxorem
» redire compellat. Ratio deciſionis eſt, quia pa-
» ria delicta mutuâ compenſatione tolluntur, *c. pen. de adult. Gl. hic in notat.* quod autem hîc dicitur de uxore, intelligi etiam debet de marito, *c. Præcepit. 29. cauſ. 32. q. 5.* ubi dicitur, neque enim adultera uxor dimittenda eſt, & vir mœchus retinendus.

VII. Ubi præterea notandum 1. ſtatur confeſſioni alterius conjugum, quando agitur ad ſeparationem tori, ut patet ex hoc c. non autem ſi agatur ad ſeparationem vinculi matrimonialis; tunc enim non tenet confeſſio contra matrimonium, *c. Super eo. 5. de eo, qui duxit conſang. uxor &c.* Ratio diverſitatis eſt, quia priore caſu agitur de ſolo præjudicio conſtentis, non poſteriore, *Abb. hic n. 2. & Alex. de Nævo n. 2.* Nec obſtat illa regula Jutis communiter recepta apud Clarum in *pract. crimin. §. fin. q. 55. n. 10.* quòd ſi non conſtet aliter de crimine, quàm per confeſſionem ipſius Rei, non debet is ex ſola confeſſione ſua condemnari. Nam quando delictum confeſſum non eſt permanens, ſed factum tranſiens, ut adulterium, furtum &c. tunc poteſt reus ex eo condemnari, ſi cum confeſſione unius concurrat querela alterius partis, ut in propoſito, *Clarus c. l. num. 11.* Cùm igiturin caſu hujus cap. maritus priùs uxorem convenerit de adulterio, & poſtea eadem illud fuerit confeſſa, potuit Judex ex illius confeſſione ad ſeparationem tori procedere, *Barboſ. in Collect. hic n. 2.*

Notandum 2. Maritus poteſt accuſare uxorem de adulterio, licèt tempore commiſſi adulterii renuerit ipſi providere de neceſſariis; non enim propterea excuſatur mulier, ſed debuiſſet agere contra virum, & ab eo petere alimenta, *Abb. hic n. 4. & Alex. de Nævo n. 5.*

Notandum 3. Propter crimen adulterii non ſeparatur matrimonium quoad vinculum, ſed ſolùm quoad torum, & mutuam cohabitationem, ut patet ex hoc c. *Abb. hic n. 5.*

Notandum 4. Uxor ab adulterii pœna non excuſatur, propter ſævitiam mariti, nec propter famis neceſſitatem, nec propter paupertatem, debebat enim potiùs omne malum pati, quàm adulterium patrare, *Clarus §. Adulterium. n. 75. & 2. ſeqq. Farin. in praxi crim. q. 141. n. 60.*

Notandum 5. Si poſt factam ſeparationem quoad torum, propter adulterium mulieris, vir fornicetur cum alia muliere, debet matrimonium redintegrari, mulierque virum ſibi reſtitui petere poteſt, *Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 7. §. 6. n. 5. Sanch. l. 10. de matr. diſ. 9. n. 30.* Ubi ait, in hoc caſu nullam competere conjugi adultero actionem ad repetendum innocentem, qui poſt ſententiam divortii in ſui favorem latam adulteratus fuit; poſſe tamen Judicem ex officio

Digitized by Google

officio suo conjuges illos ad evitandum fornicationis periculum reconciliare, & ad simul cohabitandum cogere.

§. II.

An, & in quibus casibus non liceat divortium instituere, propter conjugis adulterium?

VIII. Assertio 1. Septem communiter numerantur à Doctoribus, qui tamen ad tria capita revocari possunt. Primum est, quia uterque conjux est ejusdem criminis particeps, sive reus adulterii; tunc enim neutri conjugi permissum est divortium celebrare. Secundum est, si adulterium culpâ vacet, quia non est formaliter injuriosum alteri conjugi. Tertium, si conjux innocens injuriam adulterii expresè, vel tacitè remittat, *Sanch. l. 10. de matr. disp. 5. n. 1.* Primum constat ex *c. Significasti. 4. h.t. c. Intelleximus. 7. & c. ult. de adulter.* ubi ratio redditur, quia paria crimina mutuâ compensatione delentur. Nec refert, quòd unus prius altero adulterium commisit, vel unus sæpius, quàm alter, *Sanch. l. 10. de matr. disp. 6. n. 1. & 8.* ubi rationem dat, quia cùm uterque fidem fregerit, delicta censentur paria; nam jura magis habent rationem fractionis fidei conjugalis, quàm numeri. Et quamvis etiam unius conjugis adulterium sit occultum, solique Deo cognitum, alterius verò publicum; nequit tamen adulter occultus divortium petere, sed adhuc in foro conscientiæ compensare tenetur adulteria, quia in hoc foro non requiritur probatio per testes, sed sola veritatis cognitio: in foro tamen externo, seu contentioso adulter publicus contra occultum non compensatur, & causâ cadit propter defectum probationis, *Sanch. c. l. n. 9.* Nec obstat, quòd adulterium mulieris sit gravius, quàm viri adulterium; adeoque non videatur compensari posse cum illo, ad quod requiritur, ut delicta sint paria: nam satis est, quòd per utrùsque adulterium verè violetur fides conjugalis, adeoque quòd sint paria hæc delicta quoad violationem fidei conjugalis, etiamsi ex aliis capitibus, & circumstantiis unum sit gravius altero, quia Jura hac in parte tantùm considerant violationem fidei conjugalis, & divortium concedit ut soli innocenti. Neque verò gravitas fornicationis, quoad divortium, consideranda est in se, cùm odium Dei, & blasphemia longè graviora peccata sint adulterio, & tamen ad divortium non sufficiunt; sed attendendum est, an magis repugnet fidei matrimonii, illiúsque lædat, *Sanch. cit. dif. 6. n. 5. & dif. 4. n. 3.*

IX. Assertio 2. Quando adulterium vacat culpâ, quia non est formaliter injuriosum alteri conjugi, non potest ob illud divortium fieri, *Coning dif. 35. de divort. n. 8.* Ratio est, quia jus divortij competit propter solam injuriosam fidei conjugalis violationem; non enim coniuges se censentur obligâsse, ut diuriùs alteri parti cohabitent, quàm hæc fidem, & totum immaculatum servet, *Coning cit. dif. concl. 2. n. 1.* Veluti 1. Si uxor probabiliter credens virum decessisse, alij nubat, vel vicissim vir bonâ fide credens uxorem decessisse, aliam ducat; tunc enim conjux superstes non potest divortium instituere propter illud adulterium, *c. 1. caus. 34. q. 2.* Ratio est, quia tunc non est adulterium formaliter, culpâque vacat: nisi talis conjux, qui ad secundas nuptias transivit, de vita prioris coniugis certior factus, in secundo matrimonio persistens debitum petat, & reddat, quia tunc jam verè reus est adulterij, adeóque locus est divortio, *Sanch. cit. libr. 10. dis. 5. n. 11.* ubi *n. 12.* addit, si conjux probabiliter putans, alterum conjugem esse mortuum, fornicetur, non potest ratione illius fornicationis, divortium petere, quia fornicatio illa ob probabilem ignorantiam prioris matrimonii, caret culpâ adulterij, nec tale est formaliter, ideóque illius pœnâ plecti non debet.

X. 2. Si uxor fuit violenter cognita, animo non consentiente, juxta *c. Proposito 4. caus. 32. q. 5.* non potest peti divortium, quia non est formaliter adulterium, cùm culpâ vacet, *Sanch. cit. dis. 5. n. 13.* ubi *n. 14.* addit, idem dicendum, etiamsi causam violentiæ mulier dedisset, quia viro nocenti, ut fugiat, ne vi hostium opprimeretur, non paruit; nam nihilominus non potest accusari de illo adulterio, ad institucndum divortium, vel ad aliam pœnam, quia in *l. Vim passam 39. in princ. ff. Ad leg. Iul. de adult.* indistinctè decidituir, non esse mulieri vim passæ adulterium imputandum: neque etiam rea est ullius criminis, quæ coacta fuit, nec prohibere potuit, *l. Nullum 109. ff. de R. I.* Secùs est, si alteruter coniux gravi metu coactus in adulterium consensit, tunc enim secundùm communiorem sententiam apud *Sanch. cit. dis. 5. n. 16.* potest divortium institui: quamvis mulier non possit hoc casu criminaliter accusari à viro. Ratio est, quia est verè, ac formaliter adulterium, cùm metus etiam gravis non excuset à peccato mortali, & teneatur coniux potiùs mori, quàm fidem coniugalem violare, consentiendo in fornicationem; ideóque verè infertur injuria conjugi innocenti: quamvis *Coning cit. dif. 35 n. 9.* putet fore contra charitatem temerè facere divortium, nisi graves causæ ad id urgerent.

XI. Non potest divortium institui, si vir uxorem prostituat, adeóque in adulterium uxoris consentiat expresè, vel tacitè permittendo illud, cùm facilè possit prohibere *c. Discretionem 6. de eo qui cognovit consang. &c.* & ratio est: quia scienti, & volenti non fit injuria: nam qui scit delictum inferioris, & non prohibet, cùm possit, censetur consentire, & ideo talis vir tanquam leno punitur, *l. 2. C. ad leg. Iul. de adult.* Contrà verò taciturnitas uxoris, quæ sciens delictum viri, illud non prohibet, non reputatur pro consensu: tum quia communiter fœminæ non audent reprehendere viros: tum quia cùm uxor sit inferior, non est illius delicta viri prohibere, *Sanch. cit. dif. 5. n. 5.* Id verò extenditur, ut non solùm, si uxor invita, & resistens prostituta sit à viro, sed etiam si volens committat adulterium, non possit ob id à viro dimitti per divortium, ut apertè probatur ex *cit. c. Discretionem.* ibi: *Cùm adulterium eis non possit objicere, qui eam adulterandam tradidit, præsertim invitam*: quia scilicet idem dicendum est, si uxor volens fit prostituta à viro; id enim denotat dictio *præsertim*, quæ est implicativa, & ratio est: tum quia vir prostituendo uxorem eodem crimine implicatur, & perinde est, ac si ipse adulterium commisisset: tum quia injuria illata

viro ob adulterium uxoris, eſt cauſa & fundamentum divortii, quæ ceſſat, ſi ipſe conſentiat in adulterium, nam ſcienti, & volenti non fit injuria, juxta *Reg. Jur.* 27. *in* 6. *Sanch. cit. diſ.* 5. *n.* 4. & plures alii apud ipſum.

XII. Porro ſi vir juſtam cauſam habeat permittendi delictum, ut quia uxorem ſuſpectam habens de adulterio non prohibet, ut deprehenſam dimittat, non cenſetur in id conſentire, etſi indirectè occaſionem adulterii ei præbeat, adeoque etiam poteſt vir ab ea per divortium ſeparari, *Sanch. cit. diſ.* 5. *n.* 6. *Coning. cit. diſ.* 35. *n.* 8. ut conſtat ex *c. Significaſti. 4. h. t.* ubi vir non tenetur uxorem adulteram recipere, etſi ipſa allegavit, & excepit, quòd vir in cauſa fuerit, ipſam injuſtè expellendo, ubi *Gl. V. Materiam*, rationem dat, quia mulier nullâ ratione ad adulterandum induci debet, *c.* 1. *cauſ.* 32. *q.* 5. Etin *c. Ex litteris. 5. h. t.* non auditur uxor allegans, ſe adulterium patraſſe, eò quòd vir ei neceſſaria alimenta denegavit, quia ut air *Gl. ibid. V. Compulſa*, non eſt ignoſcendum ei, quæ prætextu paupertatis turpiter degit, *l. Palam.* 43. §. *Non eſt. ff. de ritu nupt.* ſi tamen vir, eâ intentione uxorem expelleret, vel ei alimenta denegater, ut ob neceſſitatem urgentem adulterium perpetraret, tunc perinde eſſet, ac ſi in adulterium conſentiret, *Sanch. c. l. n.* 6. *in fine.*

XIII. Quartò. Si conjux, ſive vir, ſive mulier, accedentem ad ſe adulterum, bonâ fide, & ex invincibili ignorantia putavit eſſe ſuum conjugem, & ab ipſo fuit cognita, ſicut accidit Jacob cum Lia, *Gen.* 29. tunc enim ſicut talis concubitus conjugis, ob bonam fidem, excuſatur à culpa adulterii, ita etiam pœnam divortii non incurrit, *c. In lectum. 6. cauſ.* 34. *q.* 2. Sufficit autem ad probandam fidem conjugis juramentum illius, ſpectatâ ejus honeſtate, & aliis probabilibus conjecturis, *Sanch. cit. diſ.* 5. *num.* 17.

Quintò. Si inter gentiles, tempore infidelitatis matrimonio inito, poſt libellum repudii datum, quo ipſi putant vinculum matrimonii diſſolvi, unus conjugum, ſive repudiatus, ſive etiam repudians, ad aliud matrimonium transeat; tunc non poterit conjux repudians conjugi repudiato objicere adulterium, quod commiſit, conſummando matrimonium ſecundum, ut ab illo per divortium ſeparetur, ut conſtat ex *c. Gaudemus. 8. h. t. Sanch. c. l. n.* 18. de quo infrà.

XIV. Assertio 3. Si à conjuge innocente expreſsè, vel tacitè remiſſa ſit injuria adulterii alteri, non poteſt is ampliùs inſtituere divortium, *Sanch. cit. diſ.* 5. *n.* 19. & alii. Ratio eſt, quia cùm divortium ſit conceſſum, in favorem conjugis innocentis, poteſt hic cedere jure ſuo, & favori pro ſe introducto renunciare, ac delictum condonare. Hæc autem remiſſio, ſeu condonatio eſt duplex, quædam expreſſa, quæ fit verbis expreſſis, vel per alia ſigna, per quæ conjux innocens adultero reconciliatur, condonando ei delictum. Alia eſt remiſſio tacita, quæ fit re, & facto, ut ſi conjux innocens, conſcius adulterii alterius, ſponte, & omnino liberè copulam carnalem habeat cum conjuge adultero, ſive ante, ſive poſt divortium celebratum; tunc enim cenſetur condonare adulterium, & reconciliari conjugi adultero, ita ut jus divortii perdat, & adulterium, nec ad judicium criminale, nec ad civile defetre poſſit, *Sanch. l.* 10. *diſ.* 14. *n.* 6. Ratio eſt, quia per copulam conjugalem poſt habitam ſponte, & ſcienter cum conjuge adultero, caro adulterio diviſa in aliam, iterum efficitur una caro cum carne innocentis conjugis; ideóque cenſetur abolita prioris adulterii injuria, *Sanch. c. l.* Secùs eſt, ſi conjux innocens ignarus ſit adulterii, aut tantùm ſuſpicionem habeat de eo, vel non omninò voluntariè, ſed redimendæ vexationis gratiâ, copula habeatur, ut ſi uxor innocens metu mariti adulteri ad id compellatur, vel præcepto Judicis, antequam poſſit adulterium probare, cogatur ad concubitum cum conjuge adultero; tunc enim copula habita nihil præjudicat juri divortii, *Sanch. cit. diſ.* 14. *n.* 15. *Coning cit. diſ.* 35. *n.* 11.

Ex quo patet, quòd duæ conditiones requirantur, ut per copulam habiram, poſt adulterium, cum conjuge adultero, illud cenſeatur condonatum, adeoque jus divortii, & accuſationis extinctum. Prior eſt, ut alter conjux innocens ſit conſcius adulterii, quia nulla eſt remiſſio injuriæ, quando hæc ignoratur eſſe illata. Poſterior eſt, ut copula conjugalis ſit liberè, & ſponte habita, quia debet eſſe habita liberali voluntate conjugis innocentis, in neceſſitate enim nemo præſumitur liberalis, *Sanch. cit. diſ.* 14. *n.* 9. & 13.

XV. Præterea ſi adulterium ſit publicum, & notorium, & conjux innocens ſponte, ac ſcienter in conſortio maritali retineat adulteram, nec ab ea ſe ſeparet, cùm facilè poſſet, aut domi retentam familiariter tractet, cum ea ludendo, comedendo, & multò magis ſi oſcula, tactus, & amplexus ſcienter, & ſponte interveniant, præſumitur condonatum adulterium, quia hæc ſunt manifeſta ſigna amicitiæ, & reconciliationis conjugalis, adeoque etiam condonationis adulterii, & conſequenter conjux ſic condonans perdit jus divortii, & accuſandi adulterium, *Sanch. cit. diſ.* 14. *n.* 17. & 2. *ſeqq.*

Illud hîc addendum, ſi in his caſibus conjux innocens reipſâ non habeat animum, ſeu voluntatem remittendi injuriam adulterii, in foro conſcientiæ præſumptio cedet veritati, & ſic revera non erit condonatio adulterii facta, ſed poterit divortium inſtitui, non obſtantibus hujusmodi præſumptis actibus condonationis: quamvis in foro externo judicabitur vera condonatio, in quo animus geſtus contrarius latebat, & ſic non audietur volens inſtituere divortium propter præſumptionem condonationis factæ, *Sanch. cit. diſ.* 14. *n.* 21.

XVI. Ubi præterea notandum 1. quamdiu conjux innocens non eſt moraliter certus de adulterio alterius, non poteſt eum dimittere, & adulter poteſt exigere debitum, & nolentem ad hoc per Judicem compellere, *Coning diſ.* 35. *de divort. dub.* 1. *n.* 4. Ratio eſt, quia antequam moraliter certò conſtat de adulterio, ſaltem per violentam præſumptionem, alter conjux non poteſt privari ſuâ poſſeſſione, cum melior ſit in dubio conditio poſſidentis; ideóque non poteſt pœna hæc infligi ab homine, donec ſaltem moraliter certò conſtet de adulterio perpetrato: cùm ergo adulter non ſit, ipſo facto, privatus jure petendi debitum, per adulterium, antequam privetur per conjugem, licitè utetur matrimonio

Digitized by Google

nio, & liberè non minùs, quàm si crimen non commisisset. Quòd si tamen conjugi adultero constaret, alterum certò scire, ipsum adulterium commisisse, injustè faceret, si conjux adulter ipsum recusantem cogere vellet ad reddendum debitum, etiamsi id probare non posset, *Coning c. l.*

Notandum 2. Quamprimùm conjux innocens certitudinem acquisivit, saltem moralem adulterii commissi ab altero conjuge, habet jus se ab illo separandi, quoad torum quidem, etiam propriâ auctoritate: quoad cohabitationem verò solùm per sententiam Judicis, nisi adulterium sit ita publicum, & notorium, ut nullâ tergiversatione celari possit, *Sanch. l.* 10. *dis.* 12. *n.* 25. Et quidem quòd habitâ notitiâ adulterii, propriâ auctoritate, quoad torum, divortium fieri possit, probatur, quia innocens conjux hoc jus divortii acquirit, non per Judicis sententiam, sed ex ipsa natura contractûs matrimonii, ergo cùm jus naturale, imò & Divinum permittat, hoc casu, divortium conjugi innocenti; & hoc plerumque quoad torum, & debiti negationem fieri possit, sine publico scandalo, propriâ auctoritate licebit id facere, sine sententia Judicis. Idem etiam quoad habitationem probatur, quia quando adulterium est occultum, quamdiu hoc probari non potest, in foro externo, conjux adulter est in pacifica possessione juris conjugalis, ergo non posset conjux innocens, propriâ auctoritate, separare se ab adultero occulto, quoad habitationem, sine gravi scandalo, cùm talis separatio in publicam notitiam venire soleat, sed ad hoc requiritur sententia Judicis; per quam, probato legitimè adulterio, divortium instituendum esse declaretur: quæ ratio scandali cessat, si adulterium publicè sit notum, ut celari non possit, ac proinde tali casu, propriâ auctoritate conjugis innocentis, fieri potest divortium, nec conjux spoliatus petens restitui audietur. Unde si maritus certus de adulterio uxoris, quod tamen in foro externo probare nequit, possit ab uxore adulterâ, sine scandalo, discedere, prætextu v. g. petegrinationis diuturnæ, sed sine revertendi proposito, licitè id faciet, quia cessat tunc scandalum, quod est tota ratio, ob quam prohibitum est divortium propter adulterium occultum, *Sanch. cit. dis.* 12. *n.* 32.

§. III.

An, & qua ratione coniuges propter adulterium separati, si postea reconciliati, unus vel uterque relabatur in adulterium, possint denuo divortium instituere?

XVII. Respondetur si post unius, vel alterius conjugis adulterium, sint reconciliati, & postea alteruter conjux in adulterium relabatur, potest alter divortium instituere, quia cùm per reconciliationem jus matrimonii sit restitutum, ac si nullum adulterium præcessisset, hinc conjux relapsus in adulterium potest denuo de eo accusari, & ratione illius denuo divortium institui, quia præcedens venia non extenditur ad futura delicta, sed sola præterita respicit, nec æquum est, ut reconciliatio facta futuri criminis impunitatem præstet, *Sanch. l.* 10. *dis.* 5. *num.* 20.

XVIII. Sed jam hìc dubitatur 1. Si post utriúsque conjugis fornicationem, reconciliatio mutuo consensu non sit facta, sed unius quidem emendatus sit, alter verò in fornicatione perstiat, an tunc conjux emendatus possit divortium instituere? Resp. affirmativè, si tamen conjux emendatus de emendatione paritet facienda alterum conjugem admonuerit, isque adhuc fornicari pergat, *Sanch. l.* 10. *dis.* 7. *n.* 4. *Coning cit. dis.* 35. *dub.* 2. *n.* 17. *concl.* 6. & alii. Ratio est, quia admonitio illa, per quam offertur reconciliatio alteri, habet vim reconciliationis, & ideo quatenus in favorem admonentis cedit, censetur facta reconciliatio, hoc ipso, quòd dolata fit, sed non acceptata, cùm tamen debuisset; ac proinde prius commissum adulterium conjugi emendato obesse non debet, quominùs petere possit divortium: non autem censetur facta reconciliatio in favorem eam recusantis; ideóque hic jus divortii non habet, si reconciliationem non acceptavit.

XIX. Dubitatur 2. Si postquam sententia divortii est lata, ob adulterium alterius conjugis, innocens quoque in adulterium labatur, an hoc casu conjux adulter jus habeat repetendi innocentem? Resp. valde probabile est, conjugem adulterum nullum jus habere repetendi innocentem, qui post sententiam divortii adulteratus est; adeoque ea delicta hon compensantur, quamvis Judex ex officio suo eos reconciliare possit, & ad hoc cogere, ob vitandum probabile periculum incontinentiæ, *Sanch. l.* 10. *dis.* 5. *n.* 30. & alii. Ratio est, quia per sententiam divortii liberatur conjux innocens ab obligatione conjugalis consortii; nam per illam dissolvitur contractus matrimonii quoad jus tori, & cohabitationis, manente vinculo: quare conjux innocens, si postea fornicetur, reus erit adulterii coram Deo, quia vinculum matrimonii perseverat; non tamen injuriam ullam infert conjugi dimisso, quippe qui privatus est omni jure in illius corpus, & consequenter nullam etiam actionẽ habet ad repetendum conjugem fornicantem post sententiam divortii, cùm injuria cessârit, quæ fundamentum est compensationis delictorum, & actionis ad repetendum. Nec obstat *c. Ex litteris. 5. h. t.* ubi vir, qui post divortium aliam duxit in uxorem, jubetur ad priorem uxorem redire: quia ibi sententia divortii non erat judicialiter lata, ut patet ex eo, quia privatim illis fuit injunctum, ut ab invicem separati continentiam servent, *Laym. libr.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *c.* 7. *n.* 14.

XX. Dubitatur 3. An conjux conscius adulterii alterius conjugis in conscientia obligetur se ab illo separare, illúmque dimittere, & an facto divortio, possit, aut debeat revocare, & recipere alterum conjugem? Resp. 1. Communiter, & per se non tenetur innocens conjux dimittere adulterum, etiam persistentem in adulterio publico, *Sanch. l.* 10. *dis.* 13. *n.* 6. *Coning cit. dis.* 35. *dub.* 3. *n.* 19. Idque constat ex *c.* 5. *& 19. Matth.* ubi Christus permisit divortium tanquam licitum, ratione fornicationis, seu adulterii, sed non id præcepit; & ratio est, quia divortium est inductum in favorem conjugis innocentis, & in odium adulteri, ob injuriam illatam innocenti,

Digitized by Google

nocenti, ergo hic poteſt illi velut proprio renunciare. neque debet, quod pro favore conjugis innocentis ſtatutum eſt, in ejus incommodum retorqueri; durum enim accidere poſſet conjugi, ſi cogeretur cœlebs vivere, & ſolus familiam regere, & adminiſtrare. Idque confirmatur 1. quia divortium eſt pœna adulterii, quam vir innocens ſubire non tenetur. Confirmatur 2. quia vir non tenetur divortium inſtituere, ac dimittere uxorem adulteram, ratione præcepti correctionis fraternæ, cui vir aliter ſatisfacere poteſt uxorem monendo, & moderatè puniendo, ſi ſe emendare velit: neque etiam præcepta charitatis, quale eſt hoc, cum tanto detrimento viri obligant, quia moraliter loquendo, ſi expellat adulteram, ſtimulis carnis agitabitur, ac deſtituetur obſequiis uxoris, ut cuſtodiâ domûs, educatione liberorum, & miniſteriis domeſticis. Veruntamen peraccidens in caſu aliquo raro, ratione publici ſcandali vitandi, ne videatur patrocinari adulterio uxoris, obligari poſſet ad recipiendam uxorem adulteram, ſi emendata ſit, de quo videri poteſt *Sanch. cit. diſ.* 13. *n.* 8. *&* 10. ubi fuſè hanc rem perſequitur.

XXI. Reſp. 2. Facto divortio, etiam per ſententiam Judicis, poteſt conjux innocens revocare conjugem adulterum dimiſſum, & cogere ad redeundum, modò neuter conjugum ſtatum mutâtit, *Sanch. l.* 10. *diſ.* 10. *n.* 3. Ratio eſt, quia conjux innocens per ſententiam Judicis non privatur jure ſuo, quod habet in corpus adulteri, cùm alioquin ſententia prodeſſet reo, contra quem lata eſt, quod iniquum eſſe ait JCtus in *l. Evidenter.* 16. *ff. de except. rei judic.* Ratio verò exceptionis eſt, quia ſi vel conjux innocens, vel adulter ſtatum mutavit, cum conſenſu expreſſo, vel tacito conjugis innocentis, profitendo Religionem, vel SS. Ordines ſuſcipiendo, nullum ſupereſt jus innocenti ad revocandum adulterum, quia aſſumendo ſtatum immutabilem, & incompatibilem cum matrimonio, vel permittendo, ut ab adultero aſſumeretur, omne à ſe jus conjugale abdicavit, *Sanch. c. l. n.* 6. apud quem plura de his videri poſſunt.

XXII. Reſp. 3. Conjux innocens ordinariè non obligatur ad recipiendum conjugem adulterum, etiamſi is ſit emendatus. *Coning cit. diſ.* 35. *dub.* 2. *n.* 18. Ratio eſt, quia is abſolutè liber eſt ab onere conjugali, & adulter violando ſemel fidem matrimonii, omne jus conjugale amiſit. Interdum tamen ex honeſtate, vel etiam charitate recipiendus erit, ſi adulter aliàs in periculo incontinentiæ verſaretur, & ſic intelligi debet text. in *c. Si vir.* 3. *de adult.* ubi dicitur, eum debere id facere, ſcilicet ex quadam æquitate, non neceſſitate, ut explicat *Gl. ibid. V. Debet.*

Reſp. 4. Vir communiter non tenetur uxorem perſiſtentem in adulterio dimittere, quia non tenetur ratione correctionis fraternæ, ut ſuprà dictum, nec ratione ſcandali, quod nullum erit, ſi crimen occultum ſit, vel ſi crimen publicum ſit, ſufficiet, ſi vir publicè conetur eam emendare puniendo, ne videatur in crimen conſentire. Contrà verò uxor non tenetur à viro adultero ſe ſeparare, quia hic per hoc non emendaretur, eáque non habet poteſtatem corrigendi virum, niſi per preces, & admoniciones, *Coning cit. diſ.* 35. *dub.* 3. *n.* 19. *&* 20.

§. IV.

An vir poſſit dimittere uxorem, ſine Judicio Eccleſiæ, etiam propter publicum, ac notorium impedimentum parentelæ, ſeu cognationis?

XXIII. De hoc agitur in *c. Porro.* 3. *h. t.* Nam cùm Comes Pontini, propriâ auctoritate, abſque judicio Eccleſiæ, uxorem ſuam dimiſiſſet, quia eam dicebat fuiſſe cognatam uxoris ſuæ defunctæ, mulier dimiſſa petijt ſibi virum reſtitui. Conſultus Papa Alexander III. reſcribit Epiſcopo loci: etſi parentela, ſeu cognatio eſſet notoria, & publica, abſque judicio Eccleſiæ, ab ea ſeparati non potuiſſet. Quare ipſum Comitem ad eam recipiendam, quæ reſtitutionem ipſius petijt, diſtrictè compellat, quam ſi recipere noluerit, in eum, & ſuperinductam excommunicationis ſententiam proferat. Præterea cùm quidam H. nomine quandam cognatam ſuam in uxorem duxiſſet, idem Pontifex reſpondet, quòd ſi non appareant accuſatores, & parentela manifeſta, ac publica exiſtat (quod tamen credibile non eſt, niſi eſſent conſanguinei in primo, vel ſecundo gradu) matrimonium illud diſſolvatur, quia ad Epiſcopale officium pertinet, matrimonia illa diſſolvere, quæ illicitè contracta fuiſſe conſtat.

XXIV. Ubi notandum 1. Non poteſt quis propriâ auctoritate, & abſque judicio Eccleſiæ, uxorem dimittere, cum qua matrimonium in facie Eccleſiæ contraxit, etiamſi impedimentum ſit notorium (ſcilicet publicâ famâ, *Hoſtienſ. hic V. Notoria*) ſed debet exſpectari, & priùs ferri ab Eccleſia ſententia divortii. *Abb. hic n.* 2. *& Alex. de Nævo n.* 2. Ratio eſſe poteſt, quia multa dicuntur notoria, quæ non ſunt, idcóque cavendum eſt, ne quod dubium eſt, pro notorio habeatur, *c. Conſuluit.* 14. *de appellat.* Neque deber Sacramentum matrimonii reſcindi, ob ſolam opinionem conjugum credentium fortè injuſtè, & falsò ſubeſſe impedimentum notorium: nam homines ſæpe fallnntur in diſcernendo, an aliquid ſit notorium, & ideò meritò requiritur judicium Eccleſiæ in ſeparatione tanti Sacramenti: interim tamen hujuſmòdi conjuges debent abſtinere à reddendo ſibi invicem debito, ſi firmiter credant eſſe inter eos parentelam, ſeu conſanguinitatem, *c. Litteras.* 13. *de reſtit. ſpoliat. Abb. hic n.* 8.

Notandum 2. Si fama publica referat, inter aliquos eſſe impedimentum matrimonii, poteſt Epiſcopus ex officio ſuo de eo inquirere, etiam nemine opponente: ſi verò impedimentum ſit notorium, poteſt, ac debet Epiſcopus ex officio per ſententiam matrimonium ſeparare, *Vivian. hic in Ration.*

Notandum 3. Parentela, ſive conſanguinitas non facilè eſt notoria, niſi ſit in primo, vel ſecundo gradu, cujuſmodi ſunt fratres, & ſorores, vel filii fratrum, quia hi vicinis ſe palam oſtendunt, non item qui ſunt in ulteriore gradu, *Alex. hic n.* 5.

XXV. Cæterùm textus hujus cap. apertè adverſari videtur cap. immediatè ſeq. nempe *cap. Significaſti.* 4.

Digitized by Google

cāſti. 4. h.t. Nam in priore *cap. Porro*, decidituꝛ, non eſſe licitum divortium inſtituere, abſque auctoritate Eccleſiæ, ut patet ex illis verbis: *etiamſi parentela eſſet publica, & notoria, abſque judicio Eccleſiæ, ab eo ſeparari non potuit:* At verò in poſteriore *c. Significaſti*, haberuꝛ, ob notoꝛium adulteꝛium poſſe conjugem dimitti, abſque ſpe reſtitutionis, ut conſtat ex illis verbis: *ſi notorium ſit, mulierem ipſam adulterium commiſiſſe, ad eam recipiendam præfatus vir cogi non debet, Sanch. l. 10. diſ. 12. n. 10.* Valde autem laborant DD. in conciliatione horum duorum Capitulorū. Communior expoſitio, & reſponſio eſt, quòd in priore *cap. Porro*, agatuꝛ de diſſolvendo matrimonio, quoad vinculum, propter impedimentum notorium conſanguinitatis, vel aliud dirimens, in quo caſu ſeparatio conjugum, non tantùm tendit ad privandum poſſeſſione conjugem dimiſſum, ſed etiam jure, ac proprietate matrimonii, quod tunc omnino diſſolvitur, etiam quoad vinculum, ita ut poſſit uterque conjux ad alias nuptias transire: ideóque ad hoc etiam requiritur judicium Eccleſiæ publicum, & notoꝛium, ob ertandi periculum in re tanti momenti: ſicut enim auctoritate Eccleſiæ matrimonium eſt contractum, ita etiam ejus judicio debet diſſolvi; per eaſdem enim cauſas nes naſcitur, & diſſolvitur, *Reg. Iur. 1. in Antiquis.* At verò in poſteriore *cap. Significaſti.* ſit ſeparatio mattimonii propter notoꝛium adulteꝛium tantùm quoad toꝛum, & cohabitationem, ac obſequia conjugalia, manente vinculo matrimonii illæſo, & neutti licet aliud matrimonium inire; & ideo nil mirum, ſi Eccleſiæ judicium non requiratuꝛ, ſed ſuffiieat adulteꝛium conjugis ita notoꝛium eſſe, ut nullā tergiverſatione celari poſſit, adeóque ut à conjuge innocente dimitti poſſit, quoad toꝛum, & cohabitationem, ita *Sanch. l. 10. diſ. 12. n. 38.* prope finem, *Coning diſ. 35. de divort. dub. 1. n. 3.* & alii.

XXVI. Aliam conciliationem horum Capitulorum affert *Barb. hic n. 4. & Farinac. p. 5. qq. crimin. q. 143. n. 52.* videlicet quòd *c. Significaſti*, loquatuꝛ de adulteꝛio, quod ita notoꝛium eſt, ut nulli inficiationi ſit locus, ſive ut nullā tergiverſatione celari poſſit: nam ſi uxoꝛ à viro, ſine cauſa, expulſa petat virum ſibi reſtitui, ſive ſe viro, ſed viꝛ excipiat de notoꝛio uxoꝛis adulteꝛio, impeditur petita reſtitutio: & è contra ſi uxoꝛ, quæ ſine cauſa à matito auſugit, contra virum petentem ſibi eam reſtitui, excipiat de notoꝛio viri adulteꝛio, pariter impeditur petita reſtitutio, juxta *cit. c. Significaſti, h. t. Farinac. c. l. n. 53.* At verò in *c. Porro. h. t.* eſt quidem ſermo de notoria conſanguinitate, quæ tamen poterat aliquo modo celari; ideóque reſtitutionem conjugis ſpoliati non impediebat, juxta *cit. c. Porro*, quia notoꝛietas conſanguinitatis eſt rara, & difficilis probationis, niſi in primo, vel ſecundo gradu exiſtat, ut dicit Pontifex in *cit. c. Porro.* in fine, quam conciliationem præfert aliis *Barboſ.* hìc tanquam faciliorem, & nitentem majore auctoritate DD.

§. V.

Vtrùm, & quando ob adulterium ſpirituale, ſive ob lapſum in hæreſim, aut apoſtaſiam à fide alterius coniugis, liceat Catholico inſtituere divortium, & an ei reverſo ad fidem debeat conciliari, ſeu ad eum redire?

XXVII. ASSERTIO 1. Præter adulteꝛium carnale, poteſt etiam divoꝛtium inſtitui, ſi alter conjugum labatuꝛ in hæreſim, vel apoſtaſiam à fide, ut conſtat ex D. Paulo ad Titum *3. hæreticum hominem, poſt unam, aut ſecundam correptionem devita*; & conſtat etiam ex *c. Idolatria. 5. & c. Non ſolum. 6.* & ibi *Gl. V. Recede. cauſ. 28. q. 1. & c. fin. de converſ. conjug.* Idque ſtatutum eſt propter periculum perverſionis Catholici conjugis. Idem etiam probatuꝛ ex *c. Queſtivit. 2. h. t.* Nam cùm quæſitum fuiſſet ex Papa Alexandro III. utrùm mulier propter furtum, vel quodliber aliud crimen ſeparari debeat à viro ſuo, vel alii nubere poſſit? Reſpondet Pontifex, mulierem propter furtum, vel aliud crimen viri ſui (niſi fidei ſuæ Religionem corrumpere velit) ab eo ſeparari non debere. Veruntamen ſi viꝛ uxoꝛem ſuam ad infidelitatem traxerit, à viro poterit ſeparari, ita tamen ut ei nubere alii non liceat, quia quamvis ſeparentuꝛ (ſcilicet quoad toꝛū, & cohabitationem) ſemper tamen conjuges manent (nam vinculum matrimonii nunquam diſſolvitur, viventibus conjugibus, etiam ſeparatis, *c. 2. & 3. cauſ. 32. q. 7. Gl. hic V. Conjuges erunt*) Idémque in viris obſervandum eſt, quia viꝛ, & uxoꝛ non judicantuꝛ ad imparia, *c. Si quis, 4. cauſ. 32. q. 1.* ubi *Gl. V. Ad imparia*, ait, quòd viꝛ, & uxoꝛ non judicantuꝛ ad imparia, etiam quoad divoꝛtium, *c. Præcepit. 19. q. 5. & c. Apoſtolus. 3. q. 7. ead. cauſ.*

XXVIII. Notandum 1. qualecunque delictum unus conjugum committat, non poteſt alteꝛ ob hoc petere ſeparationem matrimonii etiam quoad toꝛum, excepto crimine fornicationis, ſive carnalis, ut in *c. Significaſti. & c. ſeq. h. t.* ſive ſpiritualis, quia incidit in hæreſim, ut hìc, *Abb. hìc n. 2. & Alex. de Nævo n. 2.* quidquid aliqui dicant apud *Barboſ. hic num. 2.* etiam propter alia crimina adulteꝛio paria, ut veneficium, parricidium, & ſimilia matrimonium poſſe diſſolvi quoad toꝛum, & cohabitationem.

Notandum 2. Quamvis propter lapſum alterius conjugis in hæreſim fiat ſeparatio quoad toꝛum, & cohabitationem: non tamen vinculum matrimonii diſſolvitur, ut ſuprà dictum, quia noſiſi per mortem diſſolvitur matrimonium, ut ſuperſtes aliud matrimonium iuite poſſit, *Sanch. l. 10. diſ. 15. n. 7. Farin. p. 5. qq. crim. q. 143. n. 108.* & omnes conſentiunt.

Notandum 3. Ratio autem vera, cur divoꝛtium detuꝛ propter hæreſim, non eſt, eò quòd ſit fornicatio ſpiritualis, ut quidam exiſtimant apud *Sanch. c. l. n. 8.* eáque nomine fornicationis comprehenſa ſit à Chriſto *Matth. 5. & 19.* quia una & eadem res non

debet diverſo jure conſeri, & divortium ob hæreſim alterius conjugis nimis differt à divortio ob fornicationem carnalem: ſed vera ratio expreſsè traditur in hoc cap. nempe periculum perverſionis conjugis Catholici, nec comprehenditur ſub nomine fornicationis hæreſis *Matth. 5. & 19.* ſed ſola carnalis, ut bene probat *Sanch. c. l. n. 9.*

Notandum 4. Lex, vel ſtatutum loquens de uxore, habet etiam locum in marito, quia ſtatutum de uno correlativorum habet etiam locum in altero. Unde in fine hujus cap. dicitur, quod de mulieribus ſtatuitur, etiam obſervandum eſſe in viris.

XXIX. Assertio 2. Si uxor viro lapſo in hæreſim, propriâ auctoritate, ab eo divertit, ſive ſe ſeparavit, ad eum converſum ad fidem redire debet, & eſt compellenda: ſi verò per judicium Eccleſiæ ab eo fuit ſeparata, non debet compelli, ut ad eum redeat, prout ſumitur ex *c. De illa. 6. h. t.* Nam cùm quidam vir lapſus fuiſſet in hæreſim, uxor ejus, ſine judicio Eccleſiæ, ipſius conſortium declinavit. Conſultus Pontifex Urbanus III. reſcribit, quòd ſi mulier, maximè câ intentione, diſceſſit à viro, ut ille in hæreſim lapſus, tædio, & confuſione affectus, ſe ab errore ſuo converteret, ei reverſo ad fidem uxor ſua eſt reddenda, & ſi ad eum reverti noluerit, eſt compellenda: ſi verò judicio Eccleſiæ ab eo receſſit, ad eum recipiendum nullo modo eſt compellenda.

XXX. Notandum 1. Si unus ex conjugibus incidat in fornicationem ſpiritualem, nempe in infidelitatem, vel hæreſim, poteſt alter, propriâ auctoritate, ab ejus conſortio declinare, nec compelli poteſt per Eccleſiam redire ad conjugem perſeverantem in infidelitate, vel hæreſi: idque propter periculum perverſionis: ſecus eſt in fornicatione carnali, niſi eſſet delictum notorium, *Abb. hic n. 2. & Alex. n. 3.*

Notandum 2. Hoc diſcrimen eſſe inter conjugem Catholicum recedentem ab hæretico, abſque judicio Eccleſiæ, & recedentem cum auctoritate ejuſdem, ut in priore caſu teneatur illum emendatum, ſeu reverſum ad fidem, ad conſortium conjugale admittere; non autem in caſu poſteriore, ſed poſſit liberè ab eo diſcedere, ſicut poſſet, ſi alter conjux carnale adulterium patrâſſet, prout decidituir in *cit. c. De illa. h. t.* in quo abſoluta, & libera facultas conceditur conjugi Catholico ſeparato ab hæretico, judicio Eccleſiæ, liberè divertendi ab hæretico, ſicut & in *c. fin. de converſ. conjug. Sanch. lib. 10. diſ. 15. n. 19. & 23.* de quo videri poſſunt, quæ dicta ſunt *libr. 3. Decret. Tit. 32. §. 8. n. 39. & 3. ſeqq.*

Notandum 3. Ut conjux Catholicus dicatur ab hæretico judicio Eccleſiæ ſeparatus, non requiritur ſpecialis divortii ſententia, ſed ſufficit ſententia Judicis Eccleſiaſtici, per quam declaretur illum eſſe hæreticum, quâ ſententiâ latâ, ſine alia ſententia, poteſt conjux Catholicus ab hæretico diſcedere, quia cùm divortium ſit quædam pœna conſequens hæreſim, hoc ipſo, quòd conjux per ſententiam Judicis declaratur hæreticus, condemnatur ad hanc pœnam, ſicut & ad alias hæreticorum, *Sanch. cit. diſ. 15. num. 20.*

XXXI. Notandum 4. Uxor, quæ propter viri hæreſim, propriâ auctoritate, & ſine judicio Eccleſiæ, ab eo diſceſſit, tenetur ad eum redire, ſi idem vir ad fidem revertatur, *cit. c. De illa, Farinac. in praxi crim. p. 5. cit. q. 143. n. 120. Sanch. cit. diſ. 15. n. 13.* ubi ait, quòd ita omnes DD. fateantur, ubi tamen id limitat, niſi ſubeſſet timor probabilis, quòd non verè, ſed fictè conjux hæreticus fuerit converſus, & ſic non ceſſaverit periculum perverſionis Catholici: & *n. 14.* addit, ſi Catholicus, qui propriâ auctoritate, ante ſententiam Judicis Eccleſiaſtici, ab hæretico diſceſſit, ingreſſus fuerit Religionem, eidem reverſo ad fidem reſtituendus eſt, quia ante ſententiam divortii conjugi Catholico non eſt licitum ingredi Religionem. Secus eſt, ſi uxor ſeparata fuerit à viro, propter illius hæreſim, judicio Eccleſiæ, adeóque per ſententiam divortii; tunc enim non tenetur ampliùs ad eum redire, etiamſi is revertatur ad fidem, *cit. c. De illa. in fine. Farinac. cit. q. 143. n. 123.* & alii apud ipſum.

Notandum 5. Etſi in *cit. c. De illa.* videatur abſolutè tribui hæc poteſtas, ut conjux ſeparatus judicio, & auctoritate Eccleſiæ, à conjuge hæretico, non teneatur ampliùs ad eum redire, etiamſi denuo ad fidem convertatur: id tamen intelligi debet, dummodo uxor v. g. Catholica judicio Eccleſiæ ſeparata à viro hæretico Religionem ingreſſa fuerit, & profeſſa: ſi verò Religionem non fuit ingreſſa, vel ingreſſa, ſed non profeſſa; tunc viro redeunti ad fidem reſtituenda eſt, & ad virum converſum redire debet, non obſtante, quòd judicio Eccleſiæ fuerit ſeparata, & ſic teſte *Farinac. c. l. n. 125.* communiter diſtinguunt DD. & concordant textum in *cit. c. De illa* cum *ſeq. in fine*, qui videntur contradicere.

XXXII. Cæterùm ex dictis paret, quòd tunc demum conjux ob hæreſim dimitti poteſt, ſi pertinax appareat, & pœnitentiam agere renuat, ut conſtat ex *c. Non ſolum. 6. cauſ. 28. q. 1.* imò ad id jure naturali, ac Divino conjux alter obligatur, ſi advertat ex cohabitatione ſibi, vel liberis ſuis periculum perverſionis imminere: & tunc etiam propriâ auctoritate licet conjugi Catholico ſe ſeparare à conjuge hæretico, modò ejus obſtinatio in hæreſi, vel apoſtaſia notoria ſit. Ubi tamen diſtinguendum eſt, utrùm divortium, propriâ auctoritate, ſit inſtitutum; an verò auctoritate, ſeu judicio Eccleſiæ: nam priore caſu, Catholicus conjugem reſipiſcentem, ſeu ab hæreſi revertentem ſtatim recipere tenetur: non autem poſteriore caſu, ſi judicio Eccleſiæ facta ſit ſeparatio, ut traditur in *cit. c. De illa. h. t.* & dictum ſuprà. Ratio eſt, quia Eccleſia in pœnam hæreſis privat hæreticum jure, quod habet in corpus conjugis, & ſic Catholico tribuit jus in perpetuum divertendi, ſeu ſe ſeparandi ab hæretico, etiam reſipiſcente, ſicut privare poteſt Eccleſia hæreticos aliis juribus, ac dominiis, ut conſtat ex *c. ult. de hæretic. in 6. Laym. l. 5. tr. 10. p. 3. c. 7. n. 16.*

Aliqui tamen apud *Sanch. cit. diſ. 15. n. 18.* putant, conjugem Catholicum non obligari ad recipiendum hæreticum, etiam condemnatum, poſt pœnitentiam, ſi Religionem ingredi velit, aliàs obligari, ſi velit in ſæculo manere, ſdque probare nituntur ex *c. ult. de converſ. conjug.* Verùm ibi quidem decernitur, quòd mulier, quæ judicio Eccleſiæ, à viro propter infidelitatem ſeparata fuit, poſſit etiam eo invito, ad Religionem tranſire: non tamen dicitur, quòd tenea-

teneatur conjugem conversum recipere, si nolit Religionem ingredi, sed potiùs contrarium statuitur in *cit. c. De illa. h. t.* Potest tamen Ecclesia præcipere conjugi Catholico, ut conjugem hæreticum conversum ad fidem recipiat ad consortium conjugale, si ita necesse sit ad occurrendum periculo animæ, *Laym. c. l.* Quamvis in locis hæresi infectis ob scandalum, pacémque publicam hanc pœnam vix locum habere dicat *Tanner. tom. 4. disp. 3. q. 5. dub. 5. n. 83.*

§. VI.

An sicut coniugale vinculum non dissolvitur, altero coniugum fidelium in hæresim, vel infidelitatem lapso: ita etiam si unus ex infidelibus coniugibus convertatur ad fidem, dissolvatur vinculum coniugii, & conversus aliud matrimonium inire possit?

XXXIII. De hoc agitur in *c. Quanto. 7. h. t.* » ubi inprimis consultus Pontifex Innocentius III. » an si ex duobus conjugibus, alter eorum transivit » ad hæresim, is, qui remansit in fide, possit ad se- » cunda vota, sive aliud matrimonium transire? » Respondet Papa, etsi quidam ex Antecessoribus » suis aliter sensisse videatur, distinguendum esse, » utrùm ex duobus infidelibus alter ad fidem Ca- » tholicam convertatur, vel an ex duobus fidelibus » alter labatur in hæresim, vel errorem gentilitatis. » Priore casu, si unus infidelium conjugum conver- » tatur ad fidem Catholicam, & infidelis, vel nullo » modo, vel non sine blasphemia Divini nominis, » vel ut pertrahat ad peccatum mortale, ac perver- » tat, cohabitare velit, is, qui relinquitur, ad secun- » da vota, seu secundas nuptias, si voluerit, poterit » transire: & in hoc casu intelligitur, quòd air Apo- » stolus 1. Corinth. 7. v. 15. *Si infidelis discedit, dis- » cedat: non enim servituti subjectus est frater, aut soror » in hujusmodi*, & quod docet Canon (*c. Si fidelis. 7. caus. 28. q. 1.* id est, ut ibidem explicatur, *si infidelis voluerit esse cum conjuge fideli, hic agnoscat fidelis suam » libertatem: nec ita se subjectum deputet servituti, ut ipsum » dimittat fidem, ne conjugem amittat infidelem*) Nam » contumelia Creatoris solvit jus matrimonii circa » eum, qui relinquitur, ut hîc dicitur in textu. Po- » steriore verò casu, si alter fidelium conjugum, vel » labatur in hæresim, vel transeat ad errorem gen- » tilitatis, is, qui relinquitur, non potest, vivente » altero conjuge, ad secundas nuptias transire, ersi » in hoc casu major appareat contumelia Creatoris: » nam licèt inter infideles verum sit matrimonium: » non tamen est ratum (quia potest dissolvi, *Gl. hîc V. Ratum*) quia Sacramentum fidei, quod semel » est admissum, nunquam amittitur: imò ratum ef- » ficit Sacramentum conjugii, ut illis viventibus, » conjugium ipsum perduret. Neque obstat, quod » forsan opponi posset, fidelem relictum non de- » bere jure suo sine culpa privari: cùm in multis ca- » sibus (in quibus quis privatur jure suo, si causa » subsit, *Gl. hîc V. Multis casibus*) hoc contingat, ut » si alter conjugum incidatur (id est, castratus, vel » exectus fuerit, *c. Hi qui. 25. caus. 32. q. 7.*) per » quam responsionem quorundam malitiæ occur- » ritur, qui in odium conjugum, vel quando sibi in- » vicem displicerent, si in tali casu uxores possent » dimittere, simularent hæresim: & sic is, qui re- » mansit in fide, cogetur redire ad eum, qui ab hæ- » resi, vel infidelitate revertitur, & per hoc ipsum » solvitur illa quæstio. »

XXXIV. Pro declaratione hujus cap. notandum 1. Prædecessor, de quo hîc fit mentio, fuit secundùm *Gl. hîc V. Prædecessor, & Hostiens.* Cælestinus III. qui in sua quadam Decretali Epistola, quam olim dicunt fuisse contentam in Corpore Juris *Tit. de conversi. infidel.* definivit, matrimonium dissolvi, cùm alter conjugum in hæresim labitur, vel ad Gentilium errorem transit. Ex quo inferunt hæretici, Romanum Pontificem errare posse, etiam cùm aliquid definit tanquam Summus Ecclesiæ totius Rector, & Pastor. Sed inptinis falsum est, aliquid unquam Cælestinum hac de re definivisse, ut patet ex verbis Innocentii III. in hoc cap. quæ sic habent: *licèt quidam Prædecessor noster sensisse aliter videatur*, ubi dicit sensisse, non definivisse: quia scilicet Cælestinus nihil unquam hac de re definivit, sed solùm antequam res examinaretur, propendebat in illam sententiam, & respondit, quod sibi probabilius videbatur: & ipse Innocentius ait: si verò alter fidelium conjugum, vel labatur in hæresim, vel transeat ad Gentilium errorem, non credimus, quòd in hoc casu is, qui relinquitur, vivente altero conjuge, possit ad secundas nuptias transire. Deinde nihil ex hoc textu probatur; non enim ex eo, quòd aliquid in Corpore Juris contineatur, sequitur, quòd sit à Pontifice definitum; multa enim in Corpore Juris habentur, quæ Pontifices non definiunt, tanquam articulum fidei, sed tantùm dicunt, & referunt suam sententiam, & respondent, quod sibi probabilius videbatur. *Azor p. 2. Instit. l. 5. c. 4. q. 3. in 2. object.*

XXXV. Notandum 2. Etsi vinculum conjugale non dissolvatur, si alter conjugum fidelium in hæresim, vel infidelitatem sit lapsus: sed si unus infidelium conjugum convertatur ad fidem Christianam, & alter conjux nolit ipsi cohabitare, vel non sine blasphemia Divini nominis, vel non sine periculo perversionis, seu inductionis ad peccatum mortale, dissolvitur matrimonium, etiam quoad vinculum conjugale, & conversus poterit aliud matrimonium contrahere, ut expresè decernitur in hoc cap. & ibi tradunt communiter Canonistæ. Ex quo patet, quòd tres requirantur conditiones, ut infidelis conjux ad Christi fidem conversus possit cum alia matrimonium contrahere. Prima est, si infidelis omnino respuat convictum, sive cohabitationem cum conjuge fideli. Secunda est, quando non vult, sine injuria Creatoris, cum fideli commorari, ut quia blasphemat DEVM, vel Christum. Tertia, quando ex convictu fidelis cum infideli sequitur periculum inductionis ad peccatum mortale, seu si talis convictus cedat in perniciem animæ conjugis fidelis, *Barbos. hîc num. 3.*

Porro tunc cenſetur fidelis ab infideli pertrahi ad peccatum, quando fidelis, attentâ propriâ ejus fragilitate, periculo lapſûs in peccatum exponitur, ſive levi ſuaſione, ſive violentâ, aut importunâ ſuggeſtione infidelis, *Sanch. l. 7. de matr. diſ. 74. n. 6.*

Notandum 3. Probabilius eſt, in tribus prædictis caſibus matrimonium infidelis cum fideli, non ſtatim ipſo jure diſſolvi: ſed tum demum, poſtquam Chriſtianus aliud matrimonium de facto in facie Eccleſiæ contraxit, *Canis. hic n. 3. h. t.* & alii, idque confirmatur ex eo, quia ſi virum infidelem convertſum ad fidem mulier converſa ſequatur, antequam ille aliam ducat, tenetur vir eam recipere, ac proinde per ſolam converſionem unius infidelium conjugum non diſſolvitur ipſo jure matrimonium, ſed poſtquam contractum eſt matrimonium cum alio: nam crimina in Baptiſmo ſolvuntur, non conjugia, *c. 1. cauſ. 28. q. 2.*

XXXVI. Notandum 4. Si propter converſionem alterius infidelium ad fidem diſſolvitur vinculum matrimonij, multò magis videbatur diſſolvi propter lapſum illius in hæreſim, quia major injuria infertur DEO, & hoc eſt, quod dicitur in hoc *c. Licèt in hoc caſu major appareat contumelia Creatoris:* magis enim delinquunt fideles, apoſtatan do à fide, ſive labendo in hæreſim, quàm ſi infideles in infidelitate remaneant, *Gl. hic. V. Major.* Porro hodie ſententia Innocentij III. in hoc c. quòd ſi alter fidelium conjugum labatur in hæreſim, vel tranſeat ad Gentilium errorem, non poſſit ad ſecundum matrimonium tranſire, relata eſt inter fidei decreta, auctoritate. *Concilij Tridentini Seſſ. 24. can. 5. de Sacram. matr. Si quis dixerit propter hæreſim diſſolvi poſſe vinculum matrimonij, anathema ſit, ut notavit Canis. hic n. 2.*

Notandum 5. Quomodo intelligenda ſint verba Apoſtoli allegata in hoc cap. ex 1. *Corinth. 7. Quòd ſi infidelis diſcedit, diſcedat: frater enim, vel ſoror non eſt ſervituti ſubjectus in hujusmodi:* nam ſenſus eſt, ut exponit *Cornel. à Lap. ibid. V. 15.* Si infidelis non vult cohabitare fideli, ut fideli, ſed eam ob Religionem Chriſtianam relinquat: vel ſi non velit ei cohabitare, ſine Creatoris injuria, quia nimirum alterum conjugem pertrahere vult ad infidelitatem, vel ad crimen, vel blaſphemias jactat in Deum, fidem Chriſtianam, aut Chriſtum, tunc diſcedat fidelis à tali conjuge infideli, ita ut non tantùm tori divortium inſtituere poſſit, ſed etiam matrimonii, & aliud inire valeat; hoc enim conceſſit Chriſtus in gratiam fidei: alioquì enim ſervituti ſubjectus eſſet frater, & ſoror, id eſt, Chriſtianus aut Chriſtiana, magna enim ſervitus eſt, obſtrictum eſſe matrimonio, ita ut cum alio contrahere non poſſit, ſed etiamſi diſcedat infidelis, Chriſtianus cœlebs vivere, & continere debeat.

XXXVII. Notandum 6. Matrimonium contractum inter infideles, verum, ac legitimum eſt matrimonium, quia eſt validum: idque etiam conſtat ex 1. *ad Corinth. 7.* ubi S. Paulus conſulit ad fidem converſo, ne ab infideli conjuge diſcedat, id verò nefas eſſet, niſi tempore infidelitatis verum, & legitimum eſſet matrimonium etiam inter infideles. Et ratio eſt, quia non eſt tantùm Sacramentum, ſed etiam contractus naturalis, ut ſuprà dictum *tit. 1.* non eſt tamen matrimonium ratum, ut dicitur in hoc cap. quia non eſt Sactamentum inter infideles, nec gratiam confert, & quantumvis conſummatum ſit, poteſt diſſolvi per converſionem alterius conjugis ad fidem, etiam quoad vinculum; ideóque in hoc cap. dicitur, matrimonium infidelium non eſſe ratum, quia prædicto modo diſſolvi poteſt, *Sanch. libr. 7. de matr. diſ. 73. n. 2.*

Dices, matrimonium etiam infidelium eſt indiſſolubile, juxta illud dictum Chriſti, *quod DEUS conjunxit, homo non ſeparet. Mat. c. 19.* quòd non ſolùm ad matrimonium fidelium, ſed etiam infidelium pertinet: & *Geneſ. 2.* dicitur: *hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea: quam ob rem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Ex quibus verbis, quæ primus humani generis parens divini Spiritûs inſtinctu pronunciavit in Paradiſo, Concilium Tridentinum *Seſſ. 24. in doctrina de Sacramento matrimonij in princ.* ait, colligi, matrimonij perpetuum, indiſſolubilemque nexum. Sed reſponſio patet ex dictis: nam excipi debet, niſi infidelis ad fidem convertatur, juxta interpretationem S. Pauli 1. *Corinth. c. 7.* At verò matrimonium Chriſtianorum copulâ carnali conſummatum eſt omnino indiſſolubile, ita ut nullo caſu ab Eccleſia, ejúſque Capite S. Pontifice poſſit diſſolvi: & ſic matrimonium conſummatum eſt fortius inter fideles, ſeu Chriſtianos, quàm inter infideles, & per conſequens difficiliùs etiam diſſolvitur quoad vinculum, *Alex hic n. 7. & 8.* ita ut nonniſi per mortem alterius conjugis diſſolvatur, & ſuperſtes aliud matrimonium inire poſſit, *Farinac. in praxi crim. cit. q. 143. n. 108.* Sed de indiſſolubilitate matrimonij plura dicta ſunt *ſupr. tit. 1. hoc libr. ſect. 5. §. 3. n. 137. & ſeqq.*

Notandum 7. Si conjuges infideles ambo, eodem tempore, ad fidem Chriſtianam convertantur, tunc matrimonium inter eos non diſſolvitur: ſi verò unus conjux poſt alium ad fidem convertatur, is, qui primò converſus eſt, reſtituitur ſecundò converſo, ſi res ſit integra, hoc eſt, ſi cum alia non contraxit matrimonium, ac tunc inter eos redintegratur matrimonium tanquam novum. Si verò poſt converſionem viri infidelis, uxor eum ſequitur, primò converſus eandem recipere tenetur, quia non ſtatim per converſionem unius conjugis vinculum matrimonij diſſolvitur, ac proinde uno ex conjugibus infidelibus ad fidem converſo, ſi alter, re integrâ, id eſt, antequam contrahat cum alia, ad eandem fidem convertatur, tenentur ſe invicem recipere, *Gl. in cit. c. Quanto V. Quirelinquitur in fine, Farinac. cit. q. 143. n. 119. de quo plura §. ſeq.*

§. VII.

Proponuntur, & reſolvuntur aliæ quæſtiones circa matrimonium infidelium converſorum ad fidem Chriſtianam, & divortium inter illos inſtituendum.

XXXVIII. De his agitur in *c. Gandemus. 8. h. t.* ubi inprimis conſultus Pontifex Innocentius III. utrùm

Digitized by Google

» utrùm pagani, ſeu infideles accipientes uxores in » ſecundo, vel tertio, vel ulteriore gradu ſibi con- » junctas, poſt converſionem ſuam ad fidem, de- » beant ſimul remanere, vel ab invicem ſeparari? » Reſpondet Papa, quòd cùm Sacramentum conju- » gij apud fideles, & infideles exiſtat: unde Apoſto- » lus dicit (1. Cor. 7.) *Si quis frater, id eſt, fidelis in- fidelem habet uxorem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam.* Et cùm in prædictis caſibus » pagani licitè contrahant matrimonium, quia Con- » ſtitutionibus Canonicis non obligantur: *quid enim ad nos de his, quæ foris ſunt, judicare* (1. Cor. 5.) » ideo in favorem fidei Chriſtianæ, liberè poſſunt ſic » copulari, & licitè remanere conjuncti, cùm per » Sacramentum Baptiſmi conjugia non ſolvantur, » ſed crimina dimittantur: & quia aliàs viri timen- » tes, ne ab uxoribus deſerantur, facilè revocari poſ- » ſent à fide recipienda.

» Conſultus præterea idem Pontifex, ſi Pa- » gani ſimul plures uxores habeant, utrùm poſt » converſionem, omnes, vel quam ex illis retinere » valeant? Ad quod reſpondet Papa (non directè, » ſed indirectè, ut notat *Gl. hic V. Vel quam.*) quòd » unam tantùm (ſcilicet primam) debeant habere, » cùm ab initio una coſta in unam fœminam ſit con- » verſa: & S. Scriptura hortatur, *quòd propter hoc re- linquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una*: non dixit tres, vel » plures, ſed duo: nec dixit, adhærebit uxoribus, ſed » uxori. Nec enim unquam licuit alicui ſimul habe- » re plures uxores, niſi Divinâ revelatione alicui fue- » rit conceſſum, ut Patriarchis Veteris Teſtamenti, » qui plures habuerunt uxores, & ſic ab adulterio » ſunt excuſati. Idque etiam probatur ex Evange- » lio: *quicunque dimiſerit uxorem ſuam ob fornicatio- nem, & aliam duxerit, mœchatur*: ſi ergo uxore di- » miſsâ, alia de jure duci non poteſt, multò magis » nec eâ retentâ, per quod evidenter apparet, quòd » nullus plures ſimul poteſt habere uxores, nec ali- » qua plures maritos, cùm non ad imparia judicen- » tur. Ita habetur ibi. *cit. c. Gaudemus* §. *Quia verò h.t.* Ex quo patet, quòd conjux converſus, poſt Baptiſ- nium, primam deber habere in uxorem, *Gl. ibid. in fine.*

» Porro quia Pagani, ſeu Gentiles (vel etiam In- » dæi) ſecundùm ritum ſuum, ſi velint, dant libel- » lum repudij uxoribus, quæritur, utrùm illis viven- » tibus, poſſint converſi ad fidem, vel ante conver- » ſionem, uxores ſuas repudiare? Reſpondet Papa, » cùm in Evangelio Chriſtus tale repudium repro- » bârit (*Matt. 19. & Luc. 10.*) ideo converſus ad » fidem, vivente legitimâ uxore, aliam ducere non » poteſt, niſi poſt converſionem ipſius illa renuat » habitare cum illo, vel ſi conſentiat, non tamen » velit cohabitare cum ipſo, ſine contumelia Crea- » toris, vel ut illum trahat ad peccatum mortale, » *cit. c. Quanto. h. t.* in quibus caſibus petere reſti- » tutionem non poteſt, ſed ea ipſi negaretur, etiamſi » conſtaret, ipſum injuſtè ſpoliatum fuiſſe, quia ſe- » cundùm Apoſtolum (1. *Cor. 7.*) *non enim ſervituti ſub- jectus eſt frater, aut ſoror in hujusmodi*, ut habetur hîc » §. *Qui autem.* Quòd ſi converſus ad fidem dimiſit » uxorem, propter prædictas cauſas, & uxor, ante- » quam vir contrahat cum alia, convertatur ad fi- dem, compellitur vir eam recipere, §. *Quòd ſi* » *hic.* Denique ſi Paganus, ſeu infidelis dedit libel- » lum repudij uxori ſuæ, & ipſa nupſit alij, ſecun- » dùm ritum ſuum, poſtea verò etiam vir converſus » eſt ad fidem, & uxor ſua, quam repudiavit, & quæ » nupſit alteri, ſimiliter converſa eſt ad fidem, hoc » caſu, quamvis ſecundum Evangelicam veritatem, » qui dixit dimiſſam, mœchetur: non tamen is, qui » dimiſit, poterit dimiſſæ fornicationem objcere, » eò quòd nupſerit alij, poſt repudium, etſi eam te- » neatur vir recipere, niſi aliàs fuerit fornicata, §. *fin.* » *hic, & ibi Gl. in caſu.* »

XXXIX. Porro ex hoc cap. deducuntur *ſeqq.* aſſertiones. Aſſertio 1. Pagani, ſeu infideles con- junctí in ſecundo, tertio, vel ulteriore gradu lineæ collateralis, Jure Canonico tantùm prohibito, ſi con- vertantur ad fidem, non debent ſeparari, quia pro- hibitio Canonica, quoad contrahendum matrimo- nium, non extenditur ad infideles, qui ſunt extra Ec- cleſiam, juxta illud Apoſtoli, *quid enim ad nos de his, quæ foris ſunt, judicare?* Nec obligantur Conſtitu- tionibus Canonicis, ut hîc dicitur, quæ ab Eccleſia feruntur ad ſpirituale regimen animarum. Si verò ſint in gradu lege Divinâ prohibito conjuncti, de- bent converſi ad fidem ſeparari, quia tale matrimo- nium eſt ipſo jure nullum, & etiam infideles ſunt ſub- jecti legi Divinæ. Quia igitur matrimonium inter infideles eſt verum matrimonium, prout inſtitutum eſt in officium naturæ, nempe ad generandos, & edu- candos liberos, ſicut eſt inter fideles, ut dictum §. præcedente: & quia matrimonium etiam infidelium regularitèr non eſt ſeparandum, juxta illud Chriſti *Mat. 19. quos DEUS conjunxit, homo non ſeparet*: ubi loquitur de matrimonio, non ſolùm Chriſtianorum, ſed etiam Judæorum, & aliorum infidelium; ideo ſi infideles non contraxerunt in gradibus lege Divinâ prohibitis, legitimè contraxerunt, ac proinde ſi in- fideles converſi ad fidem volunt cohabitare, ſine con- tumelia Creatoris, & periculo inductionis ad pecca- tum, non ſunt ſeparandi, ſed licitè manent conjun- cti, qui ante converſionem ad fidem matrimonium contraxerunt, quia per Sacramentum Baptiſmi non diſſolvuntur conjugia, ſed crimina dimittuntur, ut dicitur in hoc cap. Ratio eſt, quia matrimonium jure naturæ conſiſtit inter infideles, & per converſionem ad fidem, ſive profeſſionem fidei non tollitur jus natu- ræ, *Sanch. l. 7. diſ. 73. n. 6.*

XL. Ubi præterea notandum 1. Perſonæ, inter quas Jure Divino, & naturali prohibitum eſt matri- monium etiam inter infideles, ſunt conjunctæ in primo gradu lineæ rectæ, ut ſunt parentes, & filij: item quæ ſunt conjunctæ in primo gradu conſanguinitatis in linea collaterali, ut ſunt fratres, & ſorores: nam et- iam infideles in his gradibus coniuncti, cùm ad fi- dem converterunt, ſunt ſeparandi, *Sanch. l. 7. de matr. diſ. 52. n. 12. Azor p. 2. l. 5. c. 3. in 2. q. Barb. hic num. 2.*

Notandum 2. difficultatem habet id, quod hîc di- citur, Sacramentum conjugij apud fideles, & infide- les exiſtere: nam Sacramenta tantùm ſunt in Eccleſia, *c. Quia ex ſolo. 22. cauſ. 24. q. 1. c. Extra 71, cauſ. 1. q. 1.* & extra illam nullum reperitur Sacramentum, *2. Plerumque. 27.* §. *Hinc eſt cauſ. 2. q. 7.* Cùm ergo Judæi, & infideles ſint extra Eccleſiam, *quid enim ad*

Digitized by Google

nos de illis, qui foris sunt, judicare? 1. *Cor.* 5. & carent Baptiſmate, quod eſt janua, & fundamentum omnium Sacramentorum, *c. ult. de Cleric. non baptizato*, conſequens eſt, quòd omnes non baptizati in Eccleſia eſſe non poſſint. Verùm reſpondetur, Sacramentum accipi, vel latè, prout eſt ſignum rei Sacræ non conferentis gratiam, adeóque Sacramentum naturalis, ac Veteris Legis Moſaycæ; & hoc modo reperitur etiam inter Judæos, & infideles, & aliquo modo ſignificat unionem Chriſti cum Eccleſia: alio modo accipitur matrimonium ſtrictè, prout eſt Sacramentum novæ, ſeu Evangelicæ legis inſtitutum à Chriſto, & non tantùm ſignificat, ſed etiam cauſat, & confert gratiam: & hoc modo non reperitur, niſi inter Chriſtianos, ut plures docent apud *Barbos. hic n.* 4. Quare in *cap. Conſtitutus.* 8. *h. t.* nomen Sacramenti ſumitur ingenere, & latè, prout eſt ſignum rei Sacræ, ſeu ſignificat rem Sacram; & ſic Sacramentum conjugij etiam exiſtit apud infideles: in cap. verò præcedenti ſumitur in ſpecie pro Sacramento novæ legis, & reperitur inter ſolos Chriſtianos, *Barbos. hic num.* 5.

XLI. Utrùm autem matrimonium ab infidelibus contractum, ſi poſtea ad fidem converterntur, per Baptiſmum fiat verum Sacramentum novæ legis, dubitatur? Reſp. Quamvis matrimonium inter infideles contractum, non ſit Sacramentum, cùm nullum ſubſiſtat Sacramentum ſine Baptiſmo, qui eſt Sacramentorum janua, juxta Concilium Florentinum in Decreto de Baptiſmo: ſi tamen ambo conjuges ad fidem convertantur, tale matrimonium efficitur Sacramentum, ſaltem ſi poſt Baptiſmum priſtinum matrimonium in infidelitate contractum novo conſenſu confirmetur: vel ſi antiquum verbis, aut nutibus approbetur: quamvis alij putent fieri Sacramentum ſtatim, ac conjuges baptizantur, etiam ſine novo conſenſu, ut docet *Sanch. l.* 2. *de matr. diſ.* 9. *n.* 5. *Tanner. tom.* 4. *diſ.* 8. *q.* 2. *dub.* 3. *n.* 51. *cum S. Thom. in* 4 *diſ.* 29. *q.* 1. *a.* 1. *ad.* 1. ubi dicit, matrimonium infidelium eſſe Sacramentum, non actu, ſed habitu: quæ ſententia videtur probabilior. Ratio eſt, quia matrimonium infidelium non eſt ratum, nec indiſſolubile, *c. Quanto* 7. *h. t.* quia ſcilicet non eſt Sacramentum, ſed ſtatim atque conjuges iſti baptizantur, fit, manétque indiſſolubile, licèt alter, vel uterque rurſum à fide deſiciat, jamque perfectè ſignificat indiviſibilem unionem Chriſti cum Eccleſia, ergo ſtatim, ac baptizantur, efficitur Sacramentum. Neque verò in propoſito deficit ſufficiens conſenſus: nam eo ipſo, quòd baptizantur, virtualiter, & implicitè conſentiunt in matrimonium præſens, ut ſit indiſſolubile, & perfectè ſignificet unionem Chriſti cum Eccleſia, quæ indiſſolubilitas, ſuppoſitâ Chriſti inſtitutione, quaſi ex natura rei conſequitur ad Baptiſmum: unde eo ipſo quòd intendunt baptizari, virtualiter, & implicitè intendunt etiam, ut matrimonium priùs contractum fiat, & ſit indiſſolubile, adeóque etiam Sacramentum. Ethic ipſe conſenſus eo ſigno externo Baptiſmi expreſſus eſt nova materia, & nova forma hujus Sacramenti, qui etiam novus conſenſus dici poteſt. Et quamvis aliàs ad matrimonium de novo contrahendum inter eos, qui antea nunquam conjuges fuerunt, non ſufficiat ejuſmodi conſenſus implicitus, & interpretativus: ſufficit tamen ad matrimonium iſtud, quod non eſt omninò novum quoad ſubſtantiam, ſed ſolùm quaſi novum, in ratione Sacramenti, & indiſſolubilitatis, quia ſcilicet quod erat contractus naturalis, profanus, & ſolubilis, ſit inſolubilis, ſacer, & repreſentans unionem Chriſti cum Eccleſia.

XLII. Notandum 3. Etſi olim tempore primitivæ Eccleſiæ, & pluribus ſæculis ſequentibus, propter frequentem converſionem infidelium ad fidem Chriſtianam, laudabiliter conjux fidelis cum infideli cohabitabat, ex conſilio Apoſtoli 1. *Corinth.* 7. quando ſine contumelia Creatoris cohabitare volebat, ut refertur in *c. Iam nunc.* 8. *& ſeqq. cauſ.* 28. *q.* 1. quia tamen ſuccedentibus temporibus, experientia docuit, non modicum periculum perverſionis imminere conjugi fideli, ſi ſimul habitet cum infideli; ideo tum conſuetudine Eccleſiæ receptum fuit, tum etiam ab ea præceptum, ne conjux ad fidem converſus permitteretur ſimul habitare cum infideli, *c. Judæi.* 10. *cauſ.* 28. *q.* 1. Idque etiamſi ſubeſſet ſpes converſionis, *Sanch. l.* 7. *diſ.* 73. *n.* 12. *& 13. Barbos. in cit. c. Gaudemus n.* 6. *h. t.*

XLIII. Assertio 2. Si Paganus, ſeu infidelis priùs plures habuit uxores, poſt fidem ſuſceptam adhærebit primæ, quia nulli unquam licuit plures ſimul habere uxores, niſi cui Divinâ revelatione id fuit conceſſum, ut habetur in *cit. c. Gaudemus.* 8. *h. t.* Quare pluralitas uxorum ſimul ductarum, non ſolùm Jure Canonico, & Civili, ſed etiam Divino, Evangelico, & naturali prohibita eſt, ut probatur in *cit. c. Gaudemus* §. *Quia verò.* Unde ſequitur, S. Pontificem, cùm non poſſit diſpenſare in Jure naturali, vel Divino, non poſſe etiam diſpenſare, ut quis plures ſimul uxores habeat, *Sanch. l.* 7. *diſ.* 80. *n.* 9. Et licèt olim Patriarchæ antiquæ legis plures ſimul uxores legantur habuiſſe, id tamen factum eſt ex diſpenſatione DEI, ut dicitur in hoc c. § *Nec ulli.* Hæc autem diſpenſatio conceſſa fuit à DEO, non per externam ſcripturam, vel locutionem, ſed per inſpirationem internam factam Patriarchis à DEO, ſive Divinâ revelatione, ut hîc dicitur, quæ poſtea detivata fuit, vi contuetudinis, ad reliquum populum Iſraëliticum, ita ut omnibus illis licitum eſſet plures uxores ſimul habere; idque, ut multiplicaretur fidelis populus, ex quo Meſſias proditurus erat, *Sanch. cit. l.* 7. *diſ.* 80. *n.* 12. *& 13.*

XLIV. Verùm nunc in lege Evangelica hujuſmodi diſpenſatio ſublata fuit à Chriſto *Math.* 19. ubi matrimonium ad primævum ſtatum reduxit, in quo unam tantùm uxorem ducere licebat. Quare nec fideles, nec infideles hodie habere poſſunt ſimul plures uxores, & cùm infideles converterntur ad fidem, debent redire ad primam legitimam uxorem, & ſeparandi ſunt ab alijs uxoribus, quia matrimonium cum illis initum erat irritum, prout expreſsè dicitur in *c. Gaudemus pen. h. t.* Nam lege naturali etiam olim, & in Veteri Lege matrimonium initum cum duabus uxoribus erat irritum, & ſolâ DEI diſpenſatione validum fuit; poſtquam ergo Chriſtus caſſavit illam diſpenſationem, matrimonium illud irritum eſt jure naturæ, ut ab initio fuerat. Itaque matrimonium etiam infidelium cum pluribus fœminis initum eſt irritum, non propter legem poſitivam Chriſti, quæ non obligat infideles, ante ſuſceptum Baptiſmum, ſed

Digitized by Google

ſed propter Jus Divinum naturale illud irritans, per quod, (poſtquam Chriſtus ſuſtulit diſpenſationem Divinam, vi cujus licitum erat plures ſimul habere uxores) ad priſtinum ſtatum reductum eſt matrimonium, ita ut nunc denuo non ſit licitum plures ſimul habere uxores, ſicut priùs in lege naturæ, *Sanch. cit. diſ.* 80. *n.* 14. & alii apud ipſum.

Similiter etſi plures DD. tradunt, non poſſe DEUM diſpenſare, ut una uxor pluribus viris ſimul nubat, eò quòd hoc etiam ſit contra prima principia juris naturæ: contrarium tamen tenet *Sanch. cit. diſ.* 80. *n.* 15. eò quòd hoc non ita repugnet juri naturæ, nec ita ſit intrinsecè malum, quin DEUS diſpenſare poſſit, ut dictum ſuprà *Tit.* 1. *ſec.* 5. §. 1. *n.* 127. *& pluribus ſeqq.* hoc libro, ubi plura de his dicta ſunt.

XLV. Porro pœna viri ducentis, eodem tempore, plures uxores Jure Civili eſt pœna arbitraria, juxta qualitatem perſonarum, *Farinac. in praxi p.* 3. *q.* 140. *n.* 9. quamvis etiam poſſit infligi pœna capitalis, ſive mortis, *Menoch. de arbitr. Iud. caſu* 420. *n.* 103. *&* 105. ſicut etiam mulieri, eodem tempore, nubenti pluribus viris, ſimiliter pœna arbitraria imponitur, *Farinac. c. l. n.* 18. imò cùm pluralitas maritorum multò magis repugnet legi Veteri divinæ, Evangelicæ, & juri naturali, quàm ipſa uxorum pluralitas, ideo iſidem pœnis, imò etiam gravioribus plectenda eſt, *Menoch. de arbitr. Iud. c. l. n.* 126. De Jure verò Canonico pœna laici contrahentis ſecundum matrimonium, vivente primâ conjuge, eſt publica ignominia, qua veſtes, & capilli eis incidnntur in ignominiam, *c. De benedicto 5. & ibi Gl, V. Et decalvatos cauſ.* 32. *q.* 1. Eadémque pœna imponitur mulieri nubenti duobus viris, *Farinac. c. l. n.* 19. vel publica infamia, *c. Nuper.* 4. ibi: *illum comitatur infamia, qui duas ſimul uxores habet, de bigam. Diaz in practi. crim. Canon. c.* 84. *n.* 2. §. *Et pœna*, ubi addit, quidam exiſtimant, pro crimine iſto impoſitam eſſe etiam excommunicationem, quæ ipſo facto incurritur.

XLVI. Assertio 3. Si Paganus, ſeu infidelis, repudiatâ uxore ſuâ, converſus ad fidem matrimonium contrahat cum ſecunda, etiam poſt Baptiſmum dimittet eam, quam ſecundò duxit, & ad hæredit primæ repudiatæ; etiamſi hæc cum alio matrimonium contraxerit, niſi illa fornicata fuiſſet, prout decidit ur in *cit. c. Gaudemus.* 8. §. *Qui autem h. t.* Prima pars probatur, quia cùm tale repudium legitimæ uxoris Chriſtus reprobaverit, *Matt. c.* 19. non poteſt quis licitè, & validè aliam, etiam poſtquam converſus eſt ad fidem Chriſti, habete, niſi poſt converſionem ipſius illa renuat habitare cum ipſo, vel non abſque contumelia Creatoris, aut periculo perverſionis: quo caſu, etſi uxor repudiata reſtitutionem peteret, & de injuſta ſpoliatione conſtaret, ea ipſi denegaretur, *quia frater, & ſoror non eſt hujuſmodi ſervituti ſubjectus* 1. *Corinth.* 5. ideóque is, qui veram, & legitimam uxorem repudiavit, teneturetiam poſtquam converſus eſt ad fidem, recipere repudiatam, & illam, cum qua ſecundum matrimonium contraxit, dimittere, quia illa non eſt legitima uxor, ut habetur in *cit. c. Gaudemus.*

XLVII. Secunda pars, quòd etſi repudiata cum alio matrimonium contraxerit, nihilominus redire debeat ad virum, qui eam repudiavit, probatur, quia per talè repudium non fuit diſſolutum vinculum matrimonij, *Matt. c.* 19. Neque poteſt mulier eodem tempore habere plures maritos. 1. *Cor.* 7. adeóque is, qui talem repudiatam duxit de facto in uxorem, mœchatus eſt, eáque non deſinit eſſe uxor legitima prioris mariti. Non tamen poterit, qui eam dimiſit, ſeu repudiavit, obijcere fornicationem, ſeu adulterium dimiſſæ, ſeu repudiatæ, ex eo, quòd nupſerit alij poſt repudium, licèt matrimonium non tenuerit, quia adulterium non committitur ſine dolo, *l. Pen. ff. de adulter.* & repudium erat approbatum lege antiquâ Veteris Teſtamenti, *c.* 24. *Deuteron.* & ideo videbantur Judæi, & infideles eâ utentes excuſari ab adulterio, quia etſi tepudium non tenuit, infideles tamen contrahentes matrimonium cum alia excuſabantur ab adulterio, quia infideles non ſubijciuntur Evangelio, à quo repudium fuit reprobatum, *Abb. in cit. c. Gaudamus n.* 10. *Sed Butrio apud Alex. de Nevo in cit. c. Gaudemus* §. *Qui autem num.* 4. *&.* 5. probabiliùs ait, quòd divortium factum per repudium non excuſet ab adulterio quoad DEUM, & in foro animæ, quia ignorantia juris Divini non excuſat à peccato: etſi excuſet quoad pœnam temporalem in foro externo.

XLVIII. Tertia pars, quòd talem mulierem infidelis, ſi fuerit fornicata, maritus ipſius poteſt dimittere, non ſolùm quoad torum, ſed etiam quoad vinculum, probatur, quia eo ipſo, quòd talis mulier committit adulterium, etiamſi poſtea converſa fuerit ad fidem, acquiritur marito jus eam omnino dimittendi, ita ut aliam ducere poſſit, quia per Baptiſmum poſtea ſecutum non tollitur maritale jus jam acquiſitum, dum adhuc ipſa infidelis eſſet, quia per Baptiſmum non tollitur jus alterius, nec beneficium alteri competens, *Gl. fin. in cit. c. Gaudemus*, quamvis omne peccatum, quod quis in ſe commiſit, per baptiſmum deleatur, *c. Deinde.* 3. *diſ.* 26. *c. Quod autem.* 7. *cauſ.* 32. *q.* 1.

XLIX. Ex dictis infertur, licèt dubium ſit, inter DD. an in lege Veteri Moſaica licitum fuerit divortium, ſeu repudium, quo matrimonij vinculum diſſolvebatur, ita ut uterque conjux ad aliasnuptias libetè tranſire poſſet: nam quidam dicunt, repudium fuiſſe permiſſum Judæis non tanquam licitum, ſed tanquam minus malum ad vitanda majora mala: alij verò fuiſſe licitum Hebræis ex diſpenſatione DEI in lege naturali, cui repudium adverſatur, quod probabilius videtur, ut conſtat ex *c.* 24. *Deuteron.* & ſuprà dictum. At verò quia repudium juri naturæ adverſatur, juxta quod matrimonium eſt indiſſolubile, non quidem omnino, ſicut eſt indiſſolubile in lege Evangelica, ſed ſine DEI diſpenſatione diſolvi non poterat per repudium, hanc autem Gentilibus conceſſam eſſe nullibi reperitur. Poſt legem autem Evangelicam certum eſt, nec Judæis, nec alijs infidelibus permiſſum eſſe repudiũ, nec per illud diſſolvi matrimonium, quia Chriſtus illud reprobavit, & matrimonium ad ſtatum legis naturalis reduxit, in qua matrimonium erat indiſſolubile, & diſpenſationem Judæis conceſſam à DEO revocavit *c.* 19. *Math.* ut dictum, *Sanch. l.* 10. *de matr. diſt* 1. *n.* 7. *&* 8. Quare nunc infideles ad Chriſti fidem converſi, ſi tempore infidelitatis legitimas uxores reduxerint, cogendi ſunt poſt Baptiſmum ad illas redire, quamvis jam

aliud

Digitized by Google

aliud matrimonium inſiverint: niſi in caſu, quo per converſionem alterius conjugis diſſolvitur prius matrimonium tempore infidelitatis contractum, ut expreſsè deciditur in *cit. c. Gaudemus* §. *Qui autem h. t.* & patet ex ſuprà dictis: nam uxor, quam Gentilis, priore repudiatâ, duxerat, non erat legitima, nec talis eſſe poterat, niſi diſſoluto prioris uxoris repudiatæ matrimonio, novus utriúſque conjugis conſenſus accederet, *Sanch. c. l. n.* 11.

Neque prædictis obſtat, quod in fine *cit. c. Gaudemus* dicitur: *non tamen dimiſſor poterit objicere fornicationem dimiſſæ, pro eo, quòd nupſit alij poſt repudium: niſi aliàs fuerit fornicata*: nam id eò ſolùm pertinet, quòd adulterium, ſeu fornicatio tempore infidelitatis commiſſa non cenſeatur deleta per Baptiſmum, quoad divortium, ratione illius, celebrandum; non autem ibi extenditur, quòd fornicatio admiſſa, poſt repudium celebratum, ſit ſufficiens cauſa divortij, ſed intelligi debet de præcedente repudio, adeóque de fornicatione, quæ nullo pacto à culpa adulterij excuſari poteſt, *Sanch. l.* 10. *diſ.* 5. *n.* 8.

§. VIII.

An Eccleſia diſpenſare poſſit, ut infideles converſi ad fidem contrahere poſſint matrimonium cum relicta uxore fratris ſui defuncti?

L. De hoc agitur in *c. DEUS qui* 9. *& ult. h. t.* » ubi talis caſus proponitur: Quidam infideles, ſcilicet Livonienſes, contrahebant matrimonium » cum uxoribus relictis fratrum ſuorum, qui poſtmodum converſi ſunt ad fidem Chriſtianam. Unde quæſitum fuit, utrùm debeant remanere conjuncti cum uxoribus relictis fratrum ſuorum? Reſpondet Papa Innocentius III. & concedit dictis Livonienſibus ad fidem converſis, propter infirmitatem eorum, ut matrimoniis contractis cum uxoribus fratrum ſuorum utantur, ſi tamen fratribus illis, ſine prole decedentibus, cum talibus uxoribus contraxerint matrimonium, ut ſemen defuncti fratris excitarent, juxta legem Moſaycam. » De cætero autem prohibet Pontifex, ne tales deinceps, poſtquam fidem Chriſtianam ſuſceperint, ſibi » matrimonialiter copulent.

LI. Ubi notandum 1. Secundùm legem Moſaicam, quando duo fratres habitabant ſimul, & unus ex eis mortuus fuit, ſine liberis, debebat frater ejus accipere uxorem defuncti fratris, & ita ſuſcitare ſemen fratris ſui, ut conſtat ex c. 25. *Deuteron. V.* 5. dum ſcilicet generat prolem, quæ nomen, & ſtirpem defuncti fratris propaget, ut exponit *Menoch. ibid.* nam ſoboles inde nata attribuitur fratri defuncto, & ſuperſtes frater erat pater carnalis prolis natæ, defunctus verò pater legalis, *Alex. de Nævo hic n.* 2.

LII. Notandum 2. Infidelis, qui cum uxore contraxit, & conſummavit matrimonium, tempore infidelitatis, non poteſt, poſt baptismum, validum matrimonium contrahere cum conſanguinea illius uſque ad quartum gradum, ut conſtat ex *cit. t. ult. h. t.* ubi ſtatuitur, infideles converſos ad fidem non poſſe ducere uxores, cum quibus illorum fratres, tempore infidelitatis contraxerunt: nam talis affinitas orta ex copula conjugali, non eſt impedimentum merè inductum ab Eccleſia, ſed quoddam vinculum naturale amicitiæ, inſtar conſanguinitatis: cùm ergo infideles converſi ad fidem, poſt Baptismum fiant affines illis, quibuſcum matrimonium contraxerunt, intra quartum gradum affinitatis, & jam ſubjiciantur legibus Eccleſiæ, non poterunt validè contrahere matrimonium, quamvis validum eſſet matrimonium, ſi tempore infidelitatis contraxiſſent, quia affinitas illa non dirimit matrimonium jure naturali, ſed ſolo Eccleſiaſtico, à quo infideles, ante Baptismum, ſunt exempti. Nec obſtat, quòd infideles non erant ſubjecti Legibus Eccleſiæ, quando affinitatem contraxerunt, adeoque poſſet inter eos matrimonium conſiſtere: at verò ſubſunt Eccleſiæ, tempore, quo volunt inire matrimonium, & tunc illud eſt irritatum ab Eccleſia intra quartum gradum affinitatis, *Sanch. l. 7. de matr. diſ. 65. n.* 3. Itaque ratio, cur non poſſit infidelis converſus ad fidem, poſt Baptismum, contrahere matrimonium cum uxore relicta fratris ſui defuncti, eſt, quia hæc eſt illi conjuncta in primo gradu affinitatis in linea collaterali: adeoque ſi de facto infidelis converſus ad fidem contrahat cum tali matrimonium, hoc non tenet, ſed eſt irritum Jure Eccleſiaſtico, cui jam converſus ſubjicitur, & conſequenter ſic conjuncti debent ab invicem ſeparari, cùm matrimonium non ſubſiſtat. Excipi debet, niſi Eccleſia cum talibus, ex cauſa juſta, diſpenſet, ut habetur in fine hujus cap.

LIII. Hinc jam patet, quis ſit verus ſenſus, ſeu intellectus hujus cap. videlicet, quòd matrimonium hîc fuerit contractum ab his, qui jam erant fideles, & legibus Eccleſiaſticis obligabantur; & ideo neceſſaria fuit illis diſpenſatio. Quòd autem in fine additur prohibitio, ne tales de cætero, poſtquam ad fidem venerint, ſibi copulent: id ita intelligendum eſt, quòd infideles, qui uſque ad illud tempus, poſt converſionem ad fidem, matrimonium cum uxore relicta fratris defuncti contraxerunt, utantur matrimonio per diſpenſationem Eccleſiæ: at verò cum illis, qui deinceps poſt converſionem ſic contraxerint, haud diſpenſetur; & ideo Pontifex præcipit Epiſcopo, ut illis deinceps tale matrimonium interdicat, *Barboſ. in Collect. in cit. c. ult. n.* 2.

LIV. Porro quod dictum eſt de infideli, qui cum uxore fratris defuncti matrimonium iniit, & conſummavit, tempore infidelitatis, non poſſe poſt Baptismum, validum matrimonium inire cum conſanguinea illius intra quartum gradum, id etiam locum habet, ſi tempore infidelitatis initum ſit matrimonium, etſi non conſummatum, quia etiam ex matrimonio rato oritur quoddam vinculum naturale propinquitatis, quod durat poſt Baptismum, quo tempore, jam fideles ſubjiciuntur Eccleſiaſticis legibus, per quas irritatur matrimonium cum conſanguineis uxoris, ſeu ſponſæ de præſenti etiam nondum cognitæ, quia per tale matrimonium conjuges tradunt ſibi mutuam poteſtatem in corpora, modò illud matrimonium tempore infidelitatis fuerit validum, *Sanch. cit. diſ. 65. n.* 6. Plura de hoc videri poſſunt apud eundem *cit. diſ. 65, n.* 8. *& ſeqq.*

§. IX. *Quæ*

Digitized by Google

§. IX.

Quæ ſit pœna mulieris inſidiantis vitæ mariti ſui, ſi inde homicidium ſit ſecutum?

LV. De hac agitur in *c. Siqua. 1. h. t.* quod eſt deſumptum ex Concilio apud Wormatiam habito, » ubi dicitur: Siqua mulier cum aliis conſpiravit, » ſeu machinata fuit in mortem mariti ſui, & ipſe » ſe defendendo, aliquem illorum occidit, poteſt » ipſe, ſi voluerit, poſt mortem uxoris, aliam du- » cere: mulier autem, ſine ſpe conjugii, manere, & » pœnitentiam agere debet; adeóque poſt mortem » mariti ſui, alteri nubere non poteſt. Concordat textus in *c. Siqua. 6. cauſ. 31. q. 1.* ubi tamen habetur, *quòd vir ipſam uxorem dimittere poteſt* (quæ verba in præſenti cap. deſunt) *& ſi voluerit, aliam ducere:* ſcilicet *poſt mortem uxoris*, quæ verba deſunt in cit. Can. Decreti. *ipſa autem inſidiatrix pœnitentiæ ſubjecta, abſque ſpe conjugii maneat* ita ut tum demù poſſit maritus aliam in uxorem ducere: ipſa verò mulier non poſſit, poſt mortem mariti ſui, alteri nubere, prout habetur in utroque textu, & ſic unus textus ex altero ſupplendus videtur, ut notat *Henric. Caniſ. in c. 1. n. 1. h. t.*

LVI. Ubi notandum 1. In caſu hujus cap. mulier in pœnam machinationis in mortem mariti privatur ſpe futuri conjugii, ita ut poſt mortem mariti, non poſſit alteri nubere, non propter machinationem in mortem mariti, ſed propter homicidium factum à viro ad ſui defenſionem, cui ipſa cauſam dedit: nam ut propter machinationem mulier impediatur contrahere matrimonium, poſt mortem viri, & alteri nubere, neceſſe eſt, quòd machinatio habuerit effectum, ita ut maritus ob illam machinationem verè occidatur, *c. Super hoc. 3. & c. fin. de eo, qui duxit in matrim. &c.* & per talem machinationem impeditur, ac dirimitur matrimonium, juxta citatos textus. Non ergo hîc punitur mulier propter machinationem, quia illa non habuit effectum: nam maritus ipſius non fuit occiſus: ſed ipſa mulier punitur, propter homicidium, cui ipſa cauſam dedit; per tale autem delictum ſolùm impeditur, non autem dirimitur matrimonium: unde ſi mulier iſta, poſt mortem mariti, contra prohibitionem legis contraheret cum alio matrimonium, illud teneret, ut tradit *Gl. fin. hîc*, & ſic intelligendum eſt iſtud cap. *Alex. de Nævo hîc n. 6. in fine.*

Notandum 2. Maritus in caſu hujus cap. non privatur ſpe matrimonii contrahendi, poſt mortem uxoris, cum alia propter homicidium neceſſarium, quod fecit ad defenſionem vitæ ſuæ, quia invaſus aliquem occidit, & ſic innocens fuit: ſed mulier machinata eſt in mortem mariti, & miſit aliquem, ut maritum occideret, & ſic culpabilis fuit, ipſique imputatur homicidium à marito patratum: ideóque in pœnam prohibetur, poſt mortem mariti, nubere alteri, *Abb. hîc n. 2. & 3.*

LVII. Notandum 3. Quod autem ſtatutum eſt de muliere, nempe quòd maritus, propter inſidias vitæ ſuæ ſtructas, poſſit uxorem dimittere, & poſt mortem ejuſdem aliam ducere, id procedit etiam ex parte mariti, quia hîc factum ſolùm narratur, ſive caſus contigit in muliere. Quare ſi etiam maritus vitæ uxoris ſuæ inſidiatus fuit, non tamen eam occidit, ſed tantùm cum aliis conſpiravit in mortem illius, & aliquis ex illis occiſus fuit, poterit ſimiliter maritus dimitti ab uxore, ſi maritus ei ſufficientem ſecuritatem præſtet, juxta *c. 13. in fine, de reſtit. ſpoliat.* Et ipſe poſt mortem ipſius non poterit aliam uxorem ducere, quia eſt eadem omnino ratio. *Arg. c. 1. cauſ. 32. q. 6. Caniſ. hîc n. 2.*

Notandum 4. Propter inſidias, quas conjux ſtruxit in vitam alterius conjugis, etiamſi effectus non ſit ſecutus, ſeparari poſſunt conjuges, quoad torũ, & mutuam cohabitationem: nam quoad legem matrimonii punitur affectus, & conatus, etiam non ſecuto effectu, dummodo ad actum aliquem externum fuerit perductus; non tamen matrimonii vinculum diſſolvitur, quia adhuc manent conjuges, *Abb. in cit. c. 1. n. 4. h. t. Farinac. in praxi crim. p. 5. q. 143. n. 135. & ſeq.*

§. X.

An propter alias præterea cauſas, divortium inter coniuges poſſit inſtitui?

LVIII. Assertio 1. Generatim loquendo, ob grave periculum animæ, ſeu ſalutis ſpiritualis conjugis licitum eſt ſe ab eo per divortium ſeparare, quamdiu tale periculum durat. Ut ſi unus conjux nitatur alterum ad gravia peccata pertrahere; tunc enim licitè ab eo divertit, ſeu ſe ſeparat. Ratio eſt, quia Jure naturali, & Divino permiſſum eſt cuique periculum corporis cavere, ergo multò magis animæ, *Sanch. l. 10. de matr. diſ. 17. n. 5.* Imò etiam quiſq; tenetur periculum peccati vitare, juxta illud Matth. 18. *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te.* Neque verò ad hoc divortium opus eſt Judicis ſententiâ, tum quia non eſt perpetuum, ſed temporale: tum quia ob moram eſt periculum lapsûs in peccatum, *Sanch. cit. diſ. 17. n. 10.*

LIX. Porrò ſecluſo periculo inductionis in peccatum, ob nullum aliud crimen quantumvis grave, præter fornicationem carnalem, & ſpiritualem, licitum eſt inter conjuges divortium inſtituere, ut conſtat ex *c. 2. h. t.* quamvis maritus ad tempus ſe poſſit ab uxore crimioſa ſeparare, cauſâ ipſam corrigendi, ſi hoc medium opportunum ad ipſius emendationem eſſe videatur: quod etiam vice versâ, quandoque licebit uxori ad emendandum maritum, ſi commodè poſſit, & probabilis ſpes ſit id medium profuturum, quamvis aliàs regulariter non deceat, nec incumbat mulieri virum corrigere, cùm ipſa ſit ſubdita viro, at hîc ſit caput ipſius, *Sanch. cit. diſ. 17. n. 3. & 4.*

LX. Assertio 2. Præterea ob grave periculum vitæ, & ſalutis corporalis, imminens alteri conjugi ex cohabitatione, quod meritò etiam virum conſtantem, ac prudentem, ſpectatâ ipſius perſonæ qualitate, terrere poſſet, licitum eſt conjugi metum paſſo divertere, donec periculum ceſſet, & ſufficiens cautio ipſi præſtetur de malo impoſterum non inferendo, *Sanch. cit. libr. 10. diſ. 18. n. 2.* & patet ex *c.*

Ex transmissa. 8. *& cap. Litteras.* 13. *de restit. spoliat.* Ratio est, quia nemo tenetur, cum tanto suo periculo, aut damno, sive animæ, sive corporis, aliis obligationibus satisfacere, ergo nec obligationi matrimonii.

LXI. Hinc infertur 1. Justam causam divortii virum præbere uxori, si sit leno, eámque incitet ad adulterium, vel sodomiam, vel ad furta, *Sanch. cit. disp.* 18. *n.* 6.

Infertur 2. Justam esse causam divortii sævitiem mariti undecunq; randem provenientem, ut si uxor justè metuat mortem, vel mutilationem membrorum, ob sævitiam viri: vel si is gravia, seu atrocia verbera uxori inferat, esto suâ culpâ occasionem uxor dedisset, *l. Nec timorem.* 7. §. *Proinde. ff. de eo, quod met. caus.* Secus est, si moderatam castigationem timeret, quia hanc vir inferre potest uxori, non item acrem, & immoderatam verberationem, etiamsi uxor deliquerit, *Sanch. cit. disp.* 18. *n.* 5. Non tamen sufficit ad divortium, si semel, aut iterum verberatio, quantumvis atrox, præter consuetudinem viri, ex insolito, & ingenti iræ motu acciderit: nisi ejusmodi verberationis sæpius impositorum exercendæ probabilis timor adsit, *Sanch. cit. disp.* 18. *n.* 16.

Infertur 3. Sufficientem causam divortio præbere graves, & frequentes discordias, & rixas, quæ nimis molestam reddunt cohabitationem inter conjuges, *Sanch. cit. disp.* 18. *n.* 11.

Infertur 4. Si alter conjux sit omnino furiosus, ita ut sine vitæ, aut alio gravi periculo, cum ipso habitari non possit; tunc divortium instituì potest, ac debet: secus est, si hujusmodi periculum absit; tunc enim etsi molestum sit cohabitare amenti: tamen ex molestia toleranda est, *quid enim tam humanum est, quàm fortuitis casibus mulieris maritum, vel uxorem mariti participem esse, l. Si cùm dotem.* 22. §. *Si maritus. ff. solut. matrim. Sanch. cit. disp.* 18. *n.* 18.

Infertur 5. Etiam lepra, vel alius gravis morbus contagiosus præbet sufficientem causam divortio, cùm tunc alteri conjugi sano ex cohabitatione grave immineret periculum, *Coning cit. dub.* 4. *num.* 22. *&* 23. Plura de his videri possunt apud AA. citt.

LXII. Prædictis addendum 1. Cautio sufficiens, quæ præstanda est ob sæviciam viri, censetur ea, per quam, arbitrio boni viri, satis consultum est incolumitati uxoris, qualis est fidejussoria, aut pignoratitia: interdum etiam sufficit juratoria, si probabiliter probetur, virum probum juramenti religionem plurimùm revereri, *Sanch. l.* 10. *de matr. disp.* 18. *n.* 40. *&* 41. *Laym. l* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *c.* 7. *n.* 17.

Addendum 2. Si causa divortii, propter grave periculum animæ, vel corporis, notoria sit, propriâ auctoritate, divortium inter conjuges fieri potest; securius tamen est, imò ob scandalum vitandum, plerumque necessarium est, ut ex officio Judicis Ecclesiastici id divortium fiat, nisi periculum in mora esset, vel non sit facilis aditus ad Judicem, *Sanch. cit. disp.* 18. *n.* 3. *Laym. c. l. n.* 18.

LXIII. Addendum 3. Facto divortio inter conjuges, liberi educari, & ali debent, penes conjugem innocentem; & quidem expensis patris, si is divortio causam dedit: si verò mater dedit, apud patrem, expensis matris locupletis, nisi pater minùs idoneus sit; tunc enim apud matrem nutriri debent, ut habetur in *Auth. Si pater. C. Divortio facto*, quæ desumpta est ex *Auth. Vi licet matri, & avie. §. Illud. collat.* 8. *Sanch. l.* 10. *disp.* 20. *n.* 2. *Laym. cit. c.* 7. *n.* 19. Id tamen limitandum 1. nisi conjux innocens, qui divortio causam non dedit, sit infidelis, is autem, qui in culpa fuit, sit fidelis; tunc enim in favorem fidei, ne proles in infidelitate educetur, tradenda est alteri conjugi fideli, *c. ult. de conversi. infidel.* Limitatur 2. Si culpâ viri factum est divortium, sed mulier transiit ad secundas nuptias; tunc proles non relinquitur educanda ipsi matri, ut colligitur ex *cit. Auth. Si pater. & Auth. Si licet. §. Illud. Sanch. c. l.* Limitatur 3. Si mater causam dedit divortio, & locuples sit, pater autem sit minùs idoneus, sive pauper; tunc apud matrem proles educanda est, *cit. Auth. Si pater.* & expressiùs in *cit. Auth. Vi licet. §. Illud.* Idemque similiter dicendum est, si è contrario pater dedit causam divortio, & ipse locuples sit, mater autem pauper; tunc enim alenda est proles apud patrem, quia eadem est ratio, & pater, ac mater sunt correlativa, adeòque dispositum in uno censetur etiam dispositum in altero, *Sanch. c. l. n.* 4. *& Laym. c. l.*

TITVLVS XX.

DE DONATIONIBVS INTER VIRUM, ET UXOREM, ET DE DOTE POST DIVORTIUM RESTITUENDA.

Dictum est tit. præcedente de divortiis: sed quia facto divortio, dos solet repeti, & plerumque litigatur de donationibus factis inter conjuges, ideo agitur nunc de donatione facta inter virum, & uxorem, & de dote restituenda post divortium.

§. I. An

Digitized by Google

§. I.

An, & qualis donatio inter coniuges ſit invalida, & in quibus caſibus ſit valida, & licita, vel prohibita?

I.

PRæmittendum, duplex eſt donatio inter conjuges, quædam ſimplex, quæ fit gratis, & ex mera donantis liberalitate, *l. 1. in princ. ff. de donation.* quædam verò fit, ob cauſam aliquam, qualis eſt donatio ante, ſive propter nuptias, quæ fit à marito uxori, propter matrimonium, in compenſationem dotis ſibi datæ: ſicut enim dos affertur à muliere ad maritum, ita hæc donatio fit à marito uxori, ita ut maritus de jure communi teneatur tantum dare uxori, causâ donationis, quantum ipſe ex cauſa dotis recepit, *Auh. Dos data. C. de donat. propter nupt.* 2. Sicut dos ante, & poſt matrimonium, conſtitui poteſt, ita etiam hæc donatio propter nuptias. 3. In conſtituenda, & augenda, tam dote, quàm donatione propter nuptias, ſervanda eſt æqualitas. 4. Sicut dos, ſoluto matrimonio, de jure communi redit ad mulierem, vel patrem dotantem, *l. 2. ff. ſolut. matrim.* ita & donatio propter nuptias redit ad maritum, *§. fin. h. t. §. Eſt & aliud. Inſtit. de donat. l. Cùm mulæ. 20. C. de donat. ante nupt.*

II. His præmiſſis, dicendum, donationem ſimplicem, quæ fit ſolius liberalitatis causâ, inter virum, & uxorem, conſtante matrimonio, invalidam eſſe, prout expreſsè habetur in *l. 1. 2. & 3. ff. de donat. inter vir. & uxorem.* ubi ratio redditur, tum ne conjuges mutuo amore ſe invicem ſpolient: tum ne ſeparentur matrimonia, ſi non donet is, qui poteſt, & ſic matrimonia eſſent venalia, & ne concordia pretio conciliari videatur. Eſt autem, ac dicitur donatio inter conjuges invalida, non quòd ſit omnino nulla, cùm confirmetur morte donantis, ut infrà dicetur: ſed quia à conjuge donante ad libitum revocari poteſt, *Sanch. libr. 6. de matr. diſ. 1. n. 3.*

III. Id verò extenditur 1. Quòd non valeat donatio merè liberalis, etiam inter ſponſum, & ſponſam de præſenti, ante matrimonium conſummatum, *Sanch. c. l. n. 4.* quia eſt eadem ratio prohibitionis. Extenditur 2. Non tantùm donatio inter conjuges eſt invalida, ſed etiamſi donatio facta ſit ante contractum matrimonium, ſed ejus effectus differatur in tempus contracti matrimonii, *l. Quod ſponſæ. 4. C. de donat. ante nupt.* Ratio eſt, quia idem eſt aliquid fieri tempore inhabili, & prohibito, & referri ad tempus inhabile, vel prohibitum, *l. In tempus. 62. ff. de hæred. inſtit. l. Eum qui. 13. ff. de juridict. Sanch. cit. diſ. 1. n. 6.* Extenditur 3. Non valet donatio inter conjuges facta etiam pet intermediam perſonam, *l. Si ſponſus. 5. in princ. & §. Generaliter. ff. h. t.* Nam paria ſunt per ſe, vel per alium facere, qui enim per alium facit, per ſe ipſum facere cenſetur, *Reg. Iur. 72. in 6. Sanch. c. l. num. 8.* Extenditur 4. Quamvis donatio inter conjuges non valeat, valent tamen inter ipſos alij contractus, ut venditio, permutatio &c. dummodo res vendatur pretio æquivalente rei venditæ: nam ſi remiſſio pretii fiat, animo donandi, cenſetur donatio, & non valet, *Sanch. c. l. n. 11.* Extenditur 5. Legatum tamen inter virum, & uxorem valet, quia quamvis ſit quædam donatio, refertur tamen in tempus diſſoluti matrimonii, quo tempore donatio inter conjuges valet, *Sanch. c. l. n. ult.*

IV. Porro de hac quæſtione, quando, & qualiter donatio facta inter conjuges valeat, vel revocata intelligatur, agitur etiam in *c. 8. & ult.* in priore ejus parte *h. t.* ubi Papa Gregorius I X. ita reſcribit: Donatio, conſtante matrimonio, inter conjuges facta, ex qua alter locupletior, & pauperior alter efficitur, firmitatem non habet: niſi donatoris obitu confirmetur: & penitus evaneſcit, ſi revocetur ab eo, tacitè, vel expreſsè, vel ſi is, qui donatum accepit, priùs debitum naturæ perſolvat.

V. Pro explicatione notandum 1. non tantùm de Jure Civili, ſed etiam Canonico, donatio facta inter virum, & uxorem non valet, durante matrimonio, dummodo ex illa donatione donator fiat pauperior, & recipiens locupletior: ergo à contrario ſenſu, ſi donator fiat locupletior, & accipiens pauperior, valet talis donatio, *Alb. hic n. 2. & Alex. de Nævo n. 2.* Tunc autem donator dicitur fieri pauperior, quando dat, ſive donat de ſubſtantia ſua, ita ut diminuatur patrimonium ſuum, *l. Si ſponſus. 5. §. Si maritus.* ibi: *neque enim pauperior fit, qui non acquirit, ſed qui de patrimonio ſuo depuſuit, ſive dedit. ff. h. t.* Si verò maritus donat de patrimonio acquiſito: ſed donat illud, quod poſſet acquirere, ut ſi repudiet hæreditatem, donationis causâ, ut ea deferatur uxori ſubſtitutæ, vel ſi fuerit relictum, vel legatum uxori cum onere, ut det aliquid marito, & hic donet illiud uxori, tunc valet donatio, licèt propter donationem maritus deſinat acquirere, quia non fit pauperior, qui non acquirit, ut jam dictum, *Alex. de Nævo hic n. 17. & 18.*

Notandum 2. Donatio inter conjuges facta, durante matrimonio, non eſt omnino invalida, quia confirmatur morte donantis, niſi expreſsè revocetur, quia tacitum, & expreſſum æquiparantur, quando eſt eadem utriuſque ratio, aliàs ſecus, *c. Ex literis. 7. de jure patron. Alex. hic n. 4.*

VI. Notandum 3. Tres recenſentur in hoc c. caſus, in quibus donatio facta inter conjuges, durante matrimonio, omnino revocatur, ita ut non confirmetur morte donatoris. Primus eſt, ſi donatio fuit per donatorem tacitè revocata. Veluti 1. ſi divortium inter conjuges ſequatur, *l. Sed interim. 11. §. fin. l. Cùm hic ſtatus. 32. §. Si divortium. ff. h. t. l. A marito. 18. C. eod.* niſi ex mutuo conſenſu, & beneplacito factum eſſet divortium, aut aliunde conſtaret, donantem velle, ut nihilominus donatio valeat, *cit. l. A marito, Molin. tract. 2. de juſt. diſ. 289. n. 12. Sanch. libr. 6. de matr. diſ. 15. n. 10.* Secundò, ſi donans vendat, permutet, leget, vel doneret eandem rem alteri, imò ſi pignori eam tradat, vel ſpeciali hypothecæ ſubijciat, tacitè cenſetur revocata donatio, ſi conſtet de voluntate donantis ipſum velle, ut donatio perſiſtat, *cit. l. Cùm hic ſtatus. §. Si maritus, Molin. c. l. Sanch. c. l. n. 5.* Tertiò, ſi conjux donatarius mores mutet in detrimentum donantis, ut ſi uxor

donataria adulterium committat, revocata cenſetur donatio, *Sanch. c. l. n.* 11. Plura exempla, per quæ tacitè cenſetur revocata donatio inter conjuges videri poſſunt apud *citt.*

Secundus caſus eſt, ſi expreſsè revocetur donatio inter conjuges, ut ſi donator eam revocet, & v. g. dicat, ſe pœnitere donationis à ſe factæ, *cit. l. Cùm hic ſtatus. §. Ait oratio. ff. h. t.* vel ſi maritus ea, quæ donavit, poſtea alii donavit, vel alio modo alienavit, *Gl. hic V. Tacitè, vel expreſsè.* Tertius caſus eſt, ſi priùs moriatur donatarius, ut habetur hìc in fine.

VII. Addunt communiter DD. quartum caſum, in quo tacitè revocatur donatio inter conjuges, qui tamen non ponitur in hoc cap. nempe ſi res donata non fuit tradita donatario; nam tunc morte donatoris non confirmatur, omnia quippe jura, quæ dicunt donationem inter conjuges confirmari, vel validam fieri per mortem donatoris, vel donatarii, intelligi debent, ſi traditio rei donatæ intervenerit, ſive vera, ut fit, quando rei donatæ poſſeſſio in donatarium actu transfertur; ſive ficta traditio, ut ſi maritus donet aliquid uxori, & dicat, ſe poſſidere rem illam precariò, nomine uxoris, *l. Quod meo. 18. ff. de acquirend. poſſeſſ.* Item ſi uxor debebat centum marito, & hic animo donandi remiſit ei debitum; nam iſta liberatio habet vim traditionis, *cit. l. Cùm hic ſtatus. § Si ſponſus. ff. h. t.* & hìc eſt ficta traditio, quia fingitur mulierem ſolviſſe marito, & hunc deinde donaſſe, & tradidiſſe uxori, *Alex. de Nævo hic n. 6.*

Verùm hæc procedunt quidem de Jure Veteri Digeſtorum: ſed quia hodie ex Conſtitutione Juſtinianì in donatione inter vivos non requiritur traditio rei donatæ, *l. Si quis. 35. §. fin. C. de donat. & §. Perficiuntur Inſtit. eod.* ideo neque in donatione inter conjuges, ſed derogatum eſt Juri Veteri per Novell. 162. quæ licèt in antiquioribus Codicibus non reperiatur, extat tamen in recentioribus, teſte *Henric. Caniſio hic num. 9.* in qua re fides ſit penes Auctorem.

VIII. Præterea in *cit. c. 8. & ult. §. Sanè h. t.* additur: » ſicut dos, ſoluto matrimonio, ad mulierem: ſic » & donatio propter nuptias redit ad virum: niſi de » conſuetudine ſecùs obtineat, vel ex pacto inter » virum, & uxorem de lucranda dote, vel dona» tione propter nuptias, quod æquale ſit tamen ex » utraque parte, hinc inde contrarium inducatur.

IX. Ubi notandum 1. De Jure communi, ſoluto matrimonio, dos revertitur ad mulierem, vel ad ejus hæredes, & donatio propter nuptias ad maritum, vel ejus hæredes, adeoque de jure communi maritus nihil lucratur de dote, nec mulier de donatione propter nuptias, *Alex. de Nævo hic in cit. § Sanè. n. 2.*

Notandum 2. Valet conſuetudo, & pactum de lucranda dote, & de lucranda donatione propter nuptias, & multò magis valet tale ſtatutum, quia hoc habet expreſſum conſenſum Principis, conſuetudo verò tacitum, *l. De quibus. 32. ff. de legib. Alex. de Nævo c. l. n. 3.*

X. Notandum 3. Soluto matrimonio, dos redit ad uxorem non indiſtinctè, ſed tres caſus ſunt diſtinguendi. Veluti 1. Quando mulier ſe ipſam dotavit, ex propria ſubſtantia, tunc redit ad ipſam, ſoluto matrimonio, quia præſumitur ſibi ſtipulata dotem reddi, *l. unic. in princ. C. de rei uxor act.* Secundò ſi extraneus, hoc eſt, qui non habet mulierem in ſua poteſtate, fuit ſtipulatus dotem ſibi reddi; tunc ad ipſum, ſoluto matrimonio, dos revertitur, aliàs ad mulierem, *cit. l. unic. §. Accedit. C. eod.* Tertiò quando pater dedit dotem pro filia, & ſtipulatus fuit eam ſibi reddi, ſoluto matrimonio: tum dos revertitur ad ipſum: vel dedit dotem ſimpliciter, & tunc competit actio pro dote communiter patri, & filiæ, *l. 2. ff. ſolut. matrim.* & ſi filia efficitur ſui juris, per mortem patris, vel ejus emancipationem, dos efficitur filiæ, eique competit actio, quia eſt profecta à patre, idque etiamſi extent liberi ex ipſa filia, *l. 2. ff. ſolut. matrim. & l. Dos. 4. C. eod. Abb. in cit. c. ult. §. Sanè. n. 10. h. t. & Alex. de Nævo. 5. eod.*

XI. Notandum 4. Poſt matrimonium contractum, debet eſſe æqualitas dotis, & donationis propter nuptias, non ſolùm in quantitate: ſed etiam eſſe debet æqualitas in lucris ex pacto provenientibus, ut habetur in *cit. §. Sanè in fine*; nam ſi pactum de lucranda dote ſit majus, quàm pactum de lucranda donatione propter nuptias, maritus non plus lucrabitur de dote, quàm uxor de donatione propter nuptias, *Auth. de æqualitate doris collat. 7. § Hoc igitur.* Secundò, ſi ſit pactum factum de lucranda dote, & non de lucranda donatione propter nuptias, ut ſervetur æqualitas, pactum dotis trahitur ad donationem propter nuptias, *l Cum mulia 20. & ult. §. Sin autem donatio. C. de donat. ante nupt.* ac proinde ſicut vir lucratur dotem; ita & mulier donationem propter nuptias, etiamſi nihil de ea actum ſit, *l. fin. C. de pact. convent.* Tertiò ſicut poteſt conſtitui dos, durante matrimonio; ita etiam donatio propter nuptias. *§. Eſt & aliud Inſtit. de donat.* Quartò ſicut ſit augmentum dotis, ante matrimonium, & conſtante matrimonio; ita etiam fit augmentum donationis propter nuptias, *l. Si conſtante. 19. C. De donat. ante nupt. Abb. in cit. c. ult. h. t. num. 11. Alex. de Nævo ibid. num. 6.* ubi ex Innocent. ait, quòd debeat eſſe æqualitas, poſt nuptias contractas, ſed ante illas contractas, poteſt eſſe inæqualitas in quantitate dotis, & donationis propter nuptias, & in pactis ſuper lucris. Idque procedere ait *Abb.* de jure Authenticorum. Verùm hodie in multis locis per conſuetudinem ſublata eſt donatio propter nuptias, ita ut ſæpe ea non fiat, ſed conſtituatur dos mulieri, ſine reciproca donatione propter nuptias. Sed ubi non eſt talis conſuetudo inducens inæqualitatem inter dotem, & donationem propter nuptias, vel diſponens, ut omnino non fiat donatio propter nuptias, ſervari debet diſpoſitio Authenticæ *Æqualitas, C. de pact. convent.* ut notat *Alex. de Nævo cit. c. ult. §. Sanè. h. t. n. 6.* prope finem.

XII. Ceterùm plures caſus Jure ſunt expreſſi, in quibus valida eſt donatio inter virum, & uxorem. Veluti primò, quando Imperator, vel Rex donat uxori, vel vice versâ, Imperatrix, aut Regina marito, *l. pen. C. h. t.* & tradunt *Azor p. 3. libr. 11. c. 10. Leſſ. l. 2. de juſt. c. 18. dub. 12. Sanch. l. 6. de matr. diſ. 3.* Idémque eſt de alio ſupremo Principe, ejúsque uxore. Secundò ſi vir donet uxori pecuniam ad reficiendas ædes dotales incendio conſumptas, *l. Quòd ſi vir. 14. ff. eod,* Tertiò quando

uxor

Digitized by Google

uxor marito donat, ut aliquam dignitatem, vel honorem consequatur, *l. Quòd adipiscunde. 40. ff. h. t.* Quartò si donetur in rempus soluti matrimonii, nimirum ut res fiat conjugis donatarii, quando alteruter conjux obierit, *l. Sed interim. 11. §. 1. ff. h. t.* quia paria sunt facere aliquid tempore permisso, & referre in idem tempus, at donatio est licita, soluto matrimonio, *Sanch. cit. disp. 3. n. 8.* Quintò si vir usuras dotis non solutæ remittat, de quarum solutione conventum erat, *l. Vir usuras. 54. in princ. ff. h. t.* Sextò si vir donet uxori quid annuum, vel menstruum ad eam sustentandam, modò donatio non excedat vires, id est, fructus dotis, *l. Ex annuo, 15.* & ibi *Gl. ff. h. t.* Septimò donatio facta, favore Religionis, valet inter conjuges, ut si fiat ad oblationem Dei, vel sepulturæ causâ, *l. Si Sponsus. 5. §. Concessa, & § Proinde. ff. h. t.* Octavò si conjuges sibi donent, exilii causâ, valet donatio, ut si vir donavit uxori, cùm exspectaret mitti in exilium ob delictum, eo secuto, confirmatur donatio, *l. Inter. 43. ff. eod.* Nonò si alter ex conjugibus utatur servis, vel animalibus alterius, vel gratis habitavit in domo alterius, valet donatio, *l. Si vir. 18. ff. h. t.* Decimò si donata sint exigui pretii, *l. Sed si vir. 31. § Si vir, & l. Ex annuo. 15. ff. h. t.* argumento sumpto à contrario sensu, *Barb. in Collect. in c. ult. h. t. n. 17.* apud quem, & alios *DD. cit.* plura de his videri possunt.

§. II.

Quanam præterea donationes inter coniuges valeant, vel non?

XIII. Quæritur 1. Utrùm donatio remuneratoria inter conjuges sit valida? Resp. donationi quæ fit causâ remunerationis, non est prohibita inter conjuges, sed valida. Unde si vir donavit uxori rem aliquam, & uxor vicissim mariro aliam, valet donatio, quia fit hinc inde quædam compensatio, *l. Quod mater. 7. §. Si vir. ff. h. t.* ubi dicitur valere donationem, si vir, & uxor sibi invicem donent, *Abb. in cit. c. ult. n. 7. h. t. Alex. de Nævo ibid. Sanch. l. 6. de matr. disp. 6. n. 11.* & alii apud ipsum. Ratio est, quia donatio remuneratoria non est absoluta, & merè liberalis donatio, qualis solùm est prohibita inter conjuges, ut suprà dictum, sed fit ob præcedentia merita, & obsequia, aliàs non debita, adeoque digna remuneratione, ita ut donans, non quidem ex lege justitiæ, sed ex naturali lege gratitudinis obligetur ad antidora, sive ad remunerationem beneficii accepti, *Sanch. c. l. n. 2.* Quòd si donatio exceedat merita, quoad excessum est donatio simpler, *c. Relatum. 12.* ibi: *juxta servitii meritum, de testam. Jul. Clarus §. Donatio. q. 3. n. 1. Sanch. c. l. n. 6.* Neque verò requiritur, ut merita omnino sint æqualia donationi, sed satis est, si sint æquipollentia, id quod arbitrio prudentis relinquendum est, spectatâ qualitate donantis, an nobilis sit, vel dives: nam nobiles, & divites magis obsequia sibi præstita remunerare solent, *Sanch. c. l. n. 10.*

XIV. Quæritur 2. Utrùm donatio mortis causâ facta inter conjuges valeat? Resp. affirmativè, ut expressè habetur in *l. Si eum. 9. in fine. & l. seq. ff. h. t.* ubi ratio redditur, *quia in hos tempus excrevit donationis eventus, quo vir, & uxor esse desinunt*, cessantque rationes positæ in *l. 3. in princ. ff. eod. Gl. margin. in cit. l. 10.* Illud tamen speciale est, non transferri per donationem mortis causâ factam inter conjuges, dominium rei donatæ, donec mors donantis sequatur, ut haberur in *cit. l. Sed interim. 11. in princ. ff. h. t.* si ve conjux causâ mortis donans dederit alteri conjugi rem sic donatam, sive non tradiderit, sed solùm promiserit, *Molin. tr. 2. de just. disp. 288. n. 17. Sanch. libr. 6. dis. 10. n. 1.* Si tamen donatio causâ mortis, eâ conditione fieret inter conjuges, ut irrevocabilis esset, non valeret, quia transiret in dominium inter vivos, *l. Vbi ita. 27 ff. de mort. caus. donat.* ubi dicitur, *quòd talis mortis causâ donatio perinde haberi debet, ac alia quævis inter vivos donatio, ideòque inter viros, & uxores non valet, Sanch, c. l. n. 2.* apud quem plura de hac re videri possunt.

XV. Quæritur 3. Utrùm donatio facta inter conjuges, qui non sunt legitimi conjuges, sed solùm putativi, sive putant se esse conjuges, valeat? Resp. si utrique conjugi constet, matrimonium esse nullum, v. g. ob impedimentum dirimens, tunc donator non potest repetere rem donatam, sed fiscus eam sibi vendicare potest, ut expressè habetur in *l. Cùm hic status. 32. §. fin.* & ibi *Gl. ff. h. t. Sanch. libr. 6. dis. 2. n. 2.* Resp. 2. quando solus conjux donans scivit, matrimonium esse nullum, & ignoranti conjugi aliquid legavit, valet legatum, illúdque uxor sibi acquirit, nec potest fiscus id ab eo auferre, *arg. l. ult. ff. de legat. 1. Molin. tract. 2. de just. dis. 200. num. 5. Sanch. cit. disp. 2. n. 3.* & est communis DD. sententia. An autem idem procedat in acquisitis à conjuge ignaro nullitatis matrimonii, per donationem, vel alium contractum inter vivos, ut si conjux conscius nullitatis matrimonii donavit aliquid ignoranti, donatio illa acquiratur conjugi bonâ fide ignoranti, nec fisco competat repetitio, dubitatur? Idque verius videtur, quia argumentum à contractibus ad ultimas voluntates, & è contra valet, quando nulla ratio differentiæ assignari potest: secùs est, si uterque conjux in mala fide sit constitutus, ut in *l. Cùm his status. 32. §. fin. ff. h. t.* tunc enim fisco applicanda est donatio, *Molin. c. l. n. 8. Sanch. cit. disp. 2. n. 4.*

XVI. Resp. 3. Quando conjux donatarius conscius est nullitatis matrimonii, sed donator in bona fide est constitutus: tunc donatio (idémque est de legato) non valet, adeoque res donata ipsi donanti, & post mortem ejus, hæredibus ejus restitui debet, prout de donatione disponitur in *cit. l. Cùm hic status. §. Si quis sponsam ff. h. t.* Ratio est, quia talis donatio ex errore procedit; nam donans putat legitimum esse matrimonium, nihil autem magis contrarium est consensui, quàm error, *l. Si per errorem. 15. ff. de jurisdict.* Item conjux ignarus nullitatis matrimonii, nil deliquit, ergo non debet suis bonis privari, eáque fisco applicari, ob delictum, & dolum alterius, *Sanch. cit. disp. 2. n. 7.*

XVII. Resp. 4. Quando uterque conjux est ignarus nullitatis matrimonii, & bonâ fide putat illud valere, tunc donatio inter eos facta est invalida. Idque colligitur ex *l. Si ex voluntate. 7. C. h. t.* ubi in Summa dicitur, licèt donatio inter conjuges putativos teneat, ipso jure, sive potiùs in rigore juris videatur valere: non tamen valet in effectu, quia re-

Digitized by Google

vocari poteſt,& donator rem donatam repetere. Idque etiam probarur ex *cit. l. Cùm hic ſtatus.* 32. § *Si quis ſponſam. ff. eod.* ubi dicitur, donationem factam uxori putativæ non valere, ſed donantem eam revocare poſſe: ibique etiam ratio redditur, *quia non quaſi ad extraneam, ſed quaſi ad uxorem fecit.* Confirmatur, quia talis donatio facta uxori putativæ procedit ex errore, qui conſenſum excludit, & conſequenter eſt invalida, *Sanch. cit. diſ. 2. n. 9.*

§. III.

Quibus modis donatio invalida inter coniuges confirmetur?

XVIII. Assertio 1. Tribus modis confirmatur: & in primis quidem per juramentum adjectum, ita ut donatio ab uno conjuge alteri facta, accedente juramento fiat irrevocabilis, & eo ipſo valida, ut docet *Abb. in c. ult. h. t. n. 9. Azor p. 3. l. 11. c. 10. q 2. Molin. tr. 2. de juſt. diſ. 289. n. 22. Sanch. libr. 6. diſ. 11. n. 2.* & eſt receptior ſententia. Idque probatur: tum quia hæc donatio primò, & principaliter non prohibetur, favore publicæ utilitatis, ſeu boni communis, ſed ſolùm ob privatam utilitatem ipſorum conjugum, ne mutuo amore ſe ſpolient, & alter fiat ditior, cum alterius jactura, quod nullum peccatum involuit, nihilque contra bonos mores natutales, ſed ſolùm civiles, qui ad ſervandam civilem ſocietatem pertinent, qualis eſt hæc prohibitio donationis inter conjuges, quia expedit Reipubl. ne quis re ſuâ malè utatur, *Caniſ. in cit. c. ult. n. 8.* & Jure Civili multa ſunt prohibita, quæ tamen Jure Canonico, ratione juramenti, ſubſiſtunt, ut pactum de non ſuccedendo, & aliis, de quibus alibi: quo caſu confirmatur contractus per juramentum, cui accedit: item quia tale juramentum ſervari poteſt, ſine diſpendio ſalutis æternæ, ideóque ſervandum eſt, cùm non ſit præſtitum ſuper promiſſione, quæ dici poſſit eſſe contra bonos mores naturales. Tum quia quando contractus prohibetur principaliter, ob privatam utilitatem, nec turpitudinem aliquam continet, ex parte creditoris, tunc confirmatur per juramentum, ut docet *Sanch. cit. l. & l. 1. de Sponſal. diſ. 32. n. 2.* Tum denique quia donatio facta inter conjuges, favore Religionis, & piæ cauſæ, eſt valida, ergo etiam valebit propter juramentum adjectum, cujus magna eſt religio, *Sanch. c. l. num. 2.*

XIX. Assertio 2. Alter modus, quo confirmatur donatio alioquin irrita inter conjuges, eſt, per mortem naturalem donantis, prout expreſè habetur in *cit. c. ult. h. t.* ibi: *vel ſi qui donatum accepit, priùs debitum naturæ perſolvat*; tunc enim valida redditur. Idem ſtatuitur in *l. Papinianus. 23. & l. Cùm hic ſtatus. 32. §. 1.* ibi *Gl. V. Donationibus. ff. eod. & l. Donationes. 25. C. eod. Sanch. l. 6. diſ. 14. n. 2.* & alii communiter. Ratio eſt, quia tunc ceſſat cauſa, ob quam prohibita eſt talis donatio, ne ſciliceт mutuo amore ſe ſpolient, quia poteſt unus conjux alterum liberè inſtituere hæredem, ipſique legare: nam cùm donator in vita donationem non revocaverit, præſumitur in eadem mori velle, & conſequenter tunc rem donatam velle relinquere, vel legare, niſi de contrario conſtet.

Porro ad hoc, ut talis donatio morte confirmetur, quatuor conditiones requiruntur. 1. Ut donans adhuc vivens tradiderit rem donatam, ut probatur ex *l. Papinianus. 23. ff. h. t. & l. Res. 24. C. eod.* Ratio eſt, quia ſi res donata non ſit tradita, deeſt ſubjectum, quod confirmetur; ſufficit autem etiam traditio ficta, *Sanch. c. l. n. 6. & 7.* Secunda conditio eſt ad confirmandam donationem invalidam inter conjuges, ut conjux donans priùs moriatur; ſi enim donatarius priùs decedat, donatio erit omnino invalida, *cit. c. ult. in fine princ. cit. l. Cùm hic ſtatus. §. Si divortium. ff. eod.* Tertiò requiritur, ut donatio inter conjuges non excedat ſummam 100. aureorum absque inſinuatione Judici facta, alioquin morte confirmari non poterit, *l. Donationes. 25. C. h. t.* Quartò requiritur, ut in eadem voluntate permanear uſque ad mortem, eámque nec expreſsè, nec tacitè revocaverit, *cit. c. ult.* de quo ſuprà.

XX. Assertio 3. Donatio inter conjuges invalida confirmatur etiam morte civili donantis, ut ſi donans in exilium mittatur, & civitatem perdat, *arg. l. Sed ſi mors. 13. ff. h. t.* ubi id habetur de donatione causâ mortis, idémque dicendum de donatione inter conjuges, quæ ſimilis eſt illi, *Sanch. l. 6. diſ. 17. n. 3.* non autem confirmatur hæc donatio, ſi donans efficiatur ſervus hominis, *cit. l. Cùm hic ſtatus. §. Si donator ſervus. ff. h. t. Sanch. c. l. n. 4.*

Utrùm autem donatio invalida inter conjuges confirmetur per profeſſionem Religioſam conjugis donantis, dubitatur? Ad quod reſpondetur, ſi Religio poſſideat bona in communi, ea donatio non confirmatur, ſed exſpectari debet naturalis mors donantis, & ut is priùs moriatur, quàm donatarius: ſi verò Religio incapax ſit poſſidendi bona in communi, confirmatur donatio per illam Profeſſionem, ſicut confirmaretur per mortem naturalem donantis, *Sanch. cit. diſ. 17. n. 8. & 9.* ubi etiam rationem diverſitatis addit.

§. IV.

Quænam præterea ſtatuta ſunt circa donationem propter nuptias in hoc Titulo?

XXI. Donata à marito propter nuptias uxori, cum pacto, ut maneant penes uxorem, ſi contingat eos per divortium ſeparari, ſed poſtea reperiatur matrimonium eſſe nullum, propter impedimentum dirimens conſanguinitatis, & donata à marito faciant difficiliorem ſeparationem, ac diſſolutionem talis matrimonii; tunc à viro donata ipſi ſunt reſtituenda, quia non ſunt dos, nec donatio propter nuptias, cùm matrimonium ſit nullum, prout ſumitur ex *c. Etſi neceſſe. 5. h. t.* Ubi habetur, ut refert *Gl.* in caſu, quòd Rex Legionenſis accepit in uxorem filiam Regis Caſtellæ, eique Caſtra quædam dedit in dotem (id eſt, in donationem propter nuptias, quam fecit maritus uxori, *Gl. hic V. In dotem.*) ita ut ſi aliquo caſu vir ipſam relinqueret, Caſtra illa cederent in jus ejus. Verùm ipſe Rex, & filia Regis ſimul manere non poterant propter conſanguini-

Digitized by Google

» ſanguinitatem. Quare mandavit Papa Innocen-
» tius III. eos ab invicem ſeparari. Sed Rex Legio-
» nenſis nolebat eam dimittere, niſi Caſtra ſibi re-
» ſtituerentur. Conſultus Papa reſcribit, cùm
» Caſtra, quæ impedimentum præſtant copulæ diſ-
» ſolvendæ, non tam ob turpem cauſam, quàm ob
» nullam cauſam ſint data, quippe cùm inter eos
» matrimonium non exiſtat, adeóque nec dos, nec
» donatio propter nuptias, ne ad commodum ei ce-
» dat, quod debet in pœnam ejus potiùs redunda-
» re, Caſtra ipſa reſtitui debent marito, & ad id
» puellam per ſententiam excommunicationis co-
» gendam eſſe.

XXII. Notandum 1. Si dos hîc non pro donatione propter nuptias, ſed propriè accipiatur, tunc maritus licitè dotat uxorem, id eſt, dotem ei conſtituit ex propria ſubſtantia: ubi talis eſt conſuetudo, ut in Hiſpania, ut viri dotent uxores: quod tamen intelligi debet, ſi talis donatio dotis fiat ante contractum matrimonium; ſecus ſi poſt illud: vel ſi conferatur effectus talis donationis in tempus matrimonii; tunc enim non valeret, *l. 1. C. de donat. ante nupt.* niſi plebejus duceret in uxorem nobilem, tunc enim videretur donaſſe, causâ compenſandi nobilitatem, *Abb. hîc n. 2. & Alex. de Nævo n. 2.*

Notandum 2. Non valent pacta inter conjuges, quæ diſſolutionem matrimonii contra Juris diſpoſitionem impediunt, vel difficiliorem reddunt, quia matrimonia debent eſſe libera in contrahendo, & diſſolvendo, *l. Vt inter. 3. C. de inutil. ſtipul. Abb. hîc n. 3. & Alex. de Nævo n. 3.*

Notandum 3. Quod datum eſt prætextu, ſive ratione matrimonii, repeti poteſt, ſi matrimonium non ſubſiſtat, tanquam datum ſine cauſa, *l. ult. ff. de condict. ſine cauſ.* & ubi non eſt matrimonium, nempe validum, ibi nec dos, nec donatio propter nuptias eſſe poteſt: nam quando principale non tenet, nec acceſſorium tenet, & ita ubi matrimonium eſſe non poteſt, nec dos, aut donatio propter nuptias eſſe poteſt, *Gl. hîc in notat. Abb. num. 4. & Alex. de Nævo num. 5.*

Notandum 4. Non debet quis ſentire commodum, unde pœnam debet poriùs ſuſtinere, ut in caſu hujus cap. non debet mulier lucrari dotem, vel donationem propter nuptias, quæ impediebat diſſolutionem matrimonii illiciti, *Vivian. in Ration. hîc.*

XXIII. Cæterùm licèt in caſu hujus cap. Rex Legionenſis, & filia Regis Caſtellæ, qui conſanguinei erant, in gradu lege Canonicâ prohibito contraxerint matrimonium ſcientes, quòd non poſſint contrahere, ob impedimentum conſanguinitatis; quia tamen non poterat pax inter eos Reges ſtabiliri, niſi Caſtra illa reſtituerentur Regi Legionenſi, qui illa dedit in dotem filiæ Regis Caſtellæ: ideo Papa ex officio propter bonum pacis voluit, & præcepit ſub pœna excommunicationis, illa Caſtra reſtitui à filia Regis Caſtellæ, cui in dotem data fuerunt à Rege Legionenſi, *Gl. ſin. hîc.* & hæc expoſitio colligitur ex ipſo textu, ubi dicitur: quòd iſta Caſtra præſtent impedimentum hujusmodi copulæ diſſolvendæ: ſi ergo Papa voluit illa caſtra reſtitui, ne præſtent prædictum impedimentum, debebant reſtitui ipſi Regi Legionenſi, qui non conſentiret in diſſolutionem matrimonii, niſi Caſtra ſibi reſtituerentur, ut tradit *Alex. de Nævo hîc n. 14.* in 10. lectura, ſeu expoſit.

XXIV. Præterea in c. *Nuper. 6. h. t.* quæſitum fuit, ſi alicui data ſit terra aliqua, non in hæreditatem, vel feudum perpetuum, ſed tantùm quoad vixerit, poſſidenda, ita ut eſſet quaſi uſufructuarius, ipſe verò poſtea tertiam partem illius terræ uxori ſuæ concedat in dotem (vel det in donationem propter nuptias, *Hoſtienſ. hîc V. In dotem*) utrùm vito mortuo, uxor prædictam dotem, vel donationem habere, & retinere poſſit, dum vixerit, quia Eccleſia dotes viduarum protegere tenetur. Item quæritur, ſi quis filio ſuo ex legitimo matrimonio genito aliquam terram in hæreditatem, vel feudum dedit: iſte autem partem illius terræ dedit uxori ſuæ in dotem, vel donationem propter nuptias, & poſtmodum deceſſit ſine prole, ipſa mulier poſſit retinere donationem illam? Conſultus Papa ad primam quæſtionem reſpondet: cùm regulariter nullus plus juris in alium transferre poſſit, quàm ipſe habeat, vir ille, cui terra tali modo conceſſa fuit, non poteſt uxori aliquid ex ea relinquere poſſidendum (Icilicet in perpetuum, tanquam hæreditatem), vel feudum) quod ei non licuit, niſi quoad viveret, poſſidere: & ideo neque uxori ſuæ licet partem illius terræ in donationem propter nuptias ex viri conceſſione poſſidere, niſi donationi illi is, ad quem ſpectat dominium terræ illius, conſenſerit. Idémque de ſecunda quæſtione dicendum eſt, quod de prima. Quamvis autem Eccleſia in cauſis viduarum ſe favorabilem exhibere debeat, non tamen eis contra juſtitiam eſt favor Eccleſiæ concedendus. Additur in fine, quòd uxor dicitur date vito dotem, vir autem uxori facere donationem propter nuptias, ſecundùm legitimas Sanctiones, *l. 1. & l. ult. §. Sancimus. C. de donat. ante nupt.*

XXV. Notandum 1. Conceſſio alicujus rei variè fieri poteſt, nam quandoque res conceditur, ſeu datur in hæreditatem, ut is, cui datur, poſſit pro libitu de ea diſponere, tanquam de re propria: quandoque conceditur in feudum, ita ut utile dominium transeat in vaſallum, & directum, ſeu proprietas maneat penes dominum: quandoque conceditur alicui, dum vixerit, ut uſusfructus rei, *Alex. de Nævo hîc n. 2.*

Notandum 2. Uſusfructuarius non poteſt jus uſusfructûs, ſive fruendi, & utendi re alienâ cedere alteri, quàm domino ſine conſenſu ejusdem: alioquin ſi cedat alteri jus uſusfructûs, is ad proprietatem revertitur; poteſt tamen cedere alteri poteſtatem percipiendi fructus: nam ſi poſſet jus uſusfructûs cedere alteri, non finiretur uſusfructus per mortem cedentis, ſed per mortem illius, cui facta eſt ceſſio. Unde non poteſt vendere uſufructuarius ipſum jus uſusfructûs alteri, quàm domino rei, ſine conſenſu illius, & ſi vendit alteri, venditio non tenet; poteſt tamen vendere perceptionem fructuum: & ſic intelligi debet, quando hîc dicitur, quòd vir dedit in dotem tertiam partem perceptionis fructuum ipſius rei uſufructuariæ, *Alex. de Nævo hîc n. 6.* Similiter vaſallus non poteſt concedere feudum, ſeu partem feudi filiæ ſuæ in dotem, vel donationem

propter

propter nuptias ad vitam illius, ſine conſenſu Domini, quia hæc eſt quædam alienatio, *Clem. 1. de reb. Eccleſ. non alienand.* idémque eſt de Emphyteuſi, *Alex. de Nævo hic n. 7.* Poteſt tamen commoditatem fructuum, absque conſenſu Domini, concedere in dotem, quia per talem conceſſionem non transfertur utile dominium, nec jus aliquod in re conſtituitur, ſed oritur ſola obligatio perſonalis ad fructus ex re percipiendos, unde talis conceſſio non eſt alienatio, nec prohibita, ad quodcunque tempus fiat, & morte vaſalli expirat, & redit ad illum, ad quem tranſitura fuiſſet, ſi in dotem data non eſſet, *Barboſ. in Collect. hic num. 3.* poſt *Molin.* Putat tamen *Alex. de Nævo c. l. n. 7.* hoc ſpeciale eſſe, ut poſſit feudum dari in dotem, vel donationem propter nuptias ad vitam ejus, cui datur.

Notandum 3. Eccleſia tenetur defendere dotes viduarum tanquam miſerabilium perſonarum, non tamen contra juſtitiam, & in præjudicium, ſeu damnum alterius, quia etiam ratione cauſæ piæ, & favorabilis, non eſt violanda juſtitia, nec alteri inferenda injuſtitia, & juxta vulgarum illud, non eſt denudandum unum Altare, ut operiatur aliud, *Alex. de Nævo hic n. 3. & 4.*

Notandum 4. Maritus dat uxori donationem propter nuptias, uxor autem dat viro dotem, & ambæ pari paſſu ambulant, & ſunt æquè favorabiles, exceptis caſibus in Jure expreſſis, *Barboſ. in Collect. in c. Eiſi. 5. h. t. n. 3.*

§. V.

De reſtitutione dotis.

XXVI. Quæritur 1. Quando dos reſtitui debeat? Reſp. ſi matrimonium ex licita cauſa ſeparetur, dos eſt reſtituenda uxori, prout ſtatuitur in *c. Mulieres. 1. h. t.* quod eſt deſumptum ex Concilio » habito apud Wormatiam: ubi præcipitur, ut ſi » mulieres pro aliqua licita cauſa à propriis viris » fuerint ſeparatæ, tota dos ipſis reddatur.

Ubi notandum 1. Quia dos eſt acceſſoria ad matrimonium, datur enim ad ſuſtinenda onera illius, *c. Salubriter. 16. de uſuris*; ideo diſſoluto matrimonio, propter conſanguinitatem, affinitatem, vel ſimile impedimentum Canonicum, quod ignorabatur ſubeſſe inter contrahentes, dos reſtitui debet mulieri, quia cùm inter illos non fuerit verum, & legitimum matrimonium, rectè præcipitur dos reſtitui, quippe quæ ſine matrimonio conſiſtere non poteſt, *Gl. hic* in cauſa, & *Abb. in princ.* quæ expoſitio etſi in ſe vera ſit, non tamen congruit litteræ textûs, quia loquitur de illis *mulieribus, quæ à propriis viris ſunt ſeparatæ*, quæ verba non de putativis viris, qui proprii viri non ſunt, ſed de veris conjugibus ſunt intelligenda, *Barb. hic n. 7.*

Notandum 2. Si quæratur, ſitnè dos reſtituenda uxori, vel non? diſtinguendum eſt, utrùm culpâ mariti matrimonium judicio Eccleſiæ fuerit ſeparatum, quoad torum, & mutuam cohabitationem: & tunc dos reſtituenda eſt uxori, qui eſt caſus hujus cap. Vel an culpâ uxoris, ut ſi ipſa adulterium commiſit; & tunc reſtitutio dotis ei fieri non debet, juxta *c. Plerumque. 4. h. t.* de quo infrà. Nam quando matrimonium, ob culpam uxoris, auctoritate Eccleſiæ fuit ſeparatum, nec dos reſtitui debet à viro uxori, nec alimenta ipſi præſtari, durante causâ divortii: ſi verò neque culpâ viri, neque uxoris divortium ſit factum, & ad tempus tantùm; tunc etiam non debet uxori dos reſtitui; neque locum habet deciſio hujus cap. Si denique perpetuum divortium ſit factum, ex tacito pacto inter conjuges inito, tenetur quilibet eorum alteri reſtituere, quod ab eo accepit, *Barb. hic n. 5.*

XXVII. Notandum 3. Dos integra reſtitui debet uxori à marito, in caſu hujus cap. Nam licèt aliàs maritus non teneatur reſtituere uxori ultra id, quod facere poteſt, *l. Maritum. 13. ff. ſolut. matrim. l. Non tantùm. 20. ff. de jud.* Hoc tamen privilegium juris, quod maritus habet, ut ſi condemnetur ad reſtituendam dotem uxori, teneatur ſolùm dare, quatenus commodè facere poteſt, ne egeat, competit, non putativis, ſed veris maritis, quia id conceſſum eſt ob reverentiam maritalem, *l. unic. §. Cùm autem, C. De rei uxor. act.* quæ nulla eſt in eo, qui nunquam fuit maritus, *Henric. Canif. in cit. c. 1. n. 2. h. t.*

Notandum 4. Quæ dicta ſunt de reſtituenda dote, intelligi debent, ſi per errorem, & ignoranter matrimonium invalidum, ob impedimentum dirimens, ſit contractum; tunc enim reſtitui debet, quidquid alter ab altero habuit. Si verò ſcientes contraxerunt, perdere debent, quidquid unus alteri dedit, idque fiſco acquiritur, niſi per errorem, vel minorem ætatem excuſentur, *l. Qui contra. 4. & Auth. Inceſtus C. de inceſt. nupt. Gl. hic V. Licita.*

Notandum 5. Non tantùm dos tota, ſi reddi poſſit, ſed etiam fructus dotis reſtitui debent, *l. In condemnatione. 127. §. 1. ff. de R. I.* non tamen debent reſtitui, niſi illi fructus, qui ante matrimonium obvenerunt, quia illi augent dotem, non autem illi, qui poſt matrimonium obvenerunt, & non augent dotem, nec reſtituuntur, ſed fiunt mariti propter onera matrimonii ſufferenda, *l. Dotis. 7. in princ. ff. de jur. dotium Gl. hic V. Totam.*

XXVIII. Quæritur 2. An præter dotem, reſtitui debeant uxori etiam alia ejus bona? Reſp. diſſoluto matrimonio per divortium, non tantùm dos à viro reſtituenda eſt uxori, ſed etiam ultra dotem, omnia bona, ſeu lucra, quæ conſtante matrimonio communiter acquiſita ſunt utrique conjugi, æqualiter inter eos ſunt dividenda, prout ſtatuitur in *c. Significavit. 2. h. t.* ubi habetur, quòd cùm » inter mulierem P. & virum H. quem ipſa loco viri » tenebat, divortium fuiſſet ſolemniter, ſeu publicè celebratum (ex cauſa licita, & juſta, *Gl. hic V. Celebrato.*) dictus H. dotem ipſius mulieris detinebat, & reddere nolebat: quin imò etiam poſſeſſiones, ſeu bona, quæ ipſis, dum ſimul viverent, » communiter obvenerunt, quovis titulo, ipſe vir » ſibi ſoli vendicare, ſeu retinere nitebatur. Quare mulier illa id conqueſta eſt Papæ Urbano III. » qui mandavit quibusdam Judicibus à ſe delegatis, » ut ſi ita eſt, & nihil aliud obſiſtat, dictum H. ad » reſtitutionem dotis, & diviſionem eorum, quæ » olim communiter habuerunt, per Cenſuram Eccleſiaſticam compellant. »

XXIX. Notandum 1. Diſſoluto matrimonio, ultra dotem, dimidia pars bonorum, quæ durante matrimonio ab utroque conjuge ſunt acquiſita, mulieri

Digitized by Google

mulieri est restituenda, idque ratione tacitæ societatis intra eos initæ, per quam omnia bona toto tempore matrimonii acquisita, inter eos facta sunt communia. Id verò non ita accipiendum est, quasi jure communi inter conjuges contrahatur vera, & propria societas, per quam generaliter omnia bona, seu lucra, constante matrimonio, acquisita inter eos fiant communia: nam talis communicatio bonorum per modum contractûs societatis inducta, nullo Jure communi, nec Canonico, nec Civili, inter conjuges reperitur constituta, ut ex veriore, & receptiore sententia docet *Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 7. §. 1. num. 5.* & alii apud *Barbos. in Collect. hic num. 5.*

Nec obstat textus hujus cap. in quo jubetur fieri divisio eorum bonorum, seu lucrorum, quæ durante matrimonio sunt acquisita. Nam est hîc sermo de bonis, quæ conjugibus communiter obvenerunt, vel quia constante matrimonio, marito, & uxori fuerunt donata, vel quia ambo fuerunt ab aliquo hæredes instituti, vel ambobus ab aliquo fuerunt res legatæ, vel quia ex utriûsque conjugis pecunia emptæ sunt &c. *Alex. de Nævo hic n. 6. & Barb. in Collect. ibid. n. 6.* Unde in hoc c. non dicitur dari societatem inter conjuges, vel actionem pro socio eis competere, sed præcipitur divisionem bonorum fieri, quæ etiam, absque contractu societatis, per competentem actionem in rebus communibus à Jure conceditur, *l. Vi sit. 31. ff. Pro socio.* Nec obstat etiam *text. in c. Cùm societas. 17. caus. 27. q. 2.* ubi nuptiæ, seu matrimonium societas appellatur, quia non est talis societas, per quam communicantur bona, quales sunt civiles societates, sed matrimonium est societas, seu consortium omnis vitæ, & Divini, achumani juris communicatio, *l. 1. ff de ritu nupt.* de qua etiam intelligi debet illud *Gen. c. 3. Mulier, quam dedisti mihi sociam, Barb. hic n. 6.*

Notandum 2. Etsi dotis causa, si principaliter in judicium deducatur, ad Judicem sæcularem spectet, quia dos in se non est quid spirituale: si tamen accessoriè, videlicet ratione matrimonii dissoluti, vel dissolvendi, dos restitui petatur, etiam Judex Ecclesiasticus rectè aditur, cùm accessorium sequi soleat naturam sui principalis, *Reg. Jur. 41. in 6.* quamvis in casu hujus cap. pro restitutione dotis non fuerit actum judicialiter, sed per denuntiationem Evangelicam ad tollendum peccatum, *arg. c. Novit. 13. de Judic.* nam postquam divortium inter virum, & mulierem antè celebratum esset, liquidè apparebat, dotem à viro injustè detineri, & mediam partem bonorum communiter acquisitorum, durante matrimonio, uxori dandam esse; idéoque Papa mandavit, per Censuram Ecclesiasticam (quæ ob peccatum tantùm infertur) dotem restituendam esse, & mediam bonorum partem dividendam, ac dandam esse uxori, *Henric. Canif. in cit. c. 2. n. 3. h. t.*

XXX. Notandû 3. Si in casu hujus cap. dominiû dotis non fuit translatum in maritû, quia matrimonium non fuit validum: vel si fuit translatum, quia matrimonium fuit validum, ac proinde dominium dotis fuit reversum ad mulierem post mortem mariti, illa debet recuperare suam dotem, nisi aliud obsistat, nempe consuetudo, quòd restitui non debeat, *Gl. hic V. Non est aliud*: vel quia mulier dotem amisit propter adultetium, *c. Plerumque. 4. h. t.* de quo infrà. vel pactum hinc inde æqualiter factum, vel exceptio rei judicatæ, aut jurisjurandi opposita, *Hostiens. hîc in fine.*

Notandum 4. Secundùm consuetudinem quorundam locorum, vel etiam Constitutiones, seu Statuta, non solùm lucra, seu bona, constante matrimonio, inter veros conjuges acquisita, sed etiam inter putativos, qui bonâ fide contraxerunt, fiunt communia utrique conjugi, & soluto matrimonio, æqualiter sunt dividenda, ac si matrimonium tenuisset: alioquin verò de jure communi sola dos est uxori restituenda, quia omnia alia bona præsumuntur acquisita ex bonis, & industria mariti, ut in muliere evitetur suspicio turpis quæstûs, *l. Quintus. 51. ff. h. t. & l. Etiamsi. 6. in fine C. eod.* nisi ipsa mulier contrarium doceat, ac probet, id, quod acquisivit, ad se pervenisse titulo hæreditatiæ successionis, vel legati, aut fideicommissi, vel ex contractu aliquo cum alio inito, quia per probationem contrariam elidituir, & cessat prior præsumptio; nam in certis non est locus conjecturæ, seu præsumptioni, *l. Continuus. 137. §. 2. in fine ff. de V. O. Abb. hîc in fine, & Alex. de Nævo n. 6. & 7.* sicut etiam Prælatus Ecclesiæ, siquid acquisivit, præsumitur intuitu Ecclesiæ, vel ex bonis illius acquisivisse, ne alioquin censeatur ex negotiatione, quæ Clericis prohibita est, acquisivisse, nisi Prælatus quoque probet, se ea aliunde acquisivisse, *Henric. Canif. hîc n. 1. & 2.*

XXXI. Quæritur 3. An Judex, qui cognovit de matrimonio, possit etiam, ac debeat simul de dote cognoscere? Resp. affirmativè, ut constat ex *c. De prudentia. 3. h. t.* Nam cùm Pontifex Clemens » III. causam matrimonii inter H. & M. quibusdam » Judicibus terminandam commisisset, illi, proba- » tâ inter eos consanguinitate, sententiam divor- » tii protulerunt; de dote autem, quam mulier à vi- » to repetebat, nihil statuerunt. Quare Papa eis- » dem rescribit, quia illi, qui de matrimonio principaliter cognoverunt, etiam de dote, quæ est » causa incidens, accessoriè cognoscere valuissent, » & per sententiam causam definire debuissent: id- » eo mandat, ut prædictum H. monitione præmissâ, ad coram dotem dictæ M. (sicut justum fuerit, » vel si nihil obsistat, quod impediat, *Gl. fin. hîc*) restituendam compellant. »

XXXII. Notandum 1. Etsi causa dotis in se sit merè sæcularis, adeoque de illa principaliter cognoscere inter personas laicas spectet ad solos Judices sæculares: incidenter tamen, & accessoriè de ea cognoscere etiam Judex Ecclesiasticus potest, & præcipere, ac cogere, ut dos solvatur, quia qui cognoscit de principali, debet etiam cognoscere de accessorio, & incidenti. Ut si Judex Ecclesiasticus principaliter cognoscat de matrimonio, utrùm sit validum, an non: vel an ad sint legitimæ causæ ad faciendum divortium inter conjuges vetos, vel putativos, potest simul præcipere, ut dos solvatur marito, vel ut maritus eam restituat uxori (& quidem totam, si totam possit restituere, habitâ ratione, ne egeat, *Gl. fin. hîc*) *Molin. tract. 2. de justit. disc. 443. n. 2.*

Non obstat *cap. Causam quæ. 7. Qui filii sint legit.* ubi de causa legitimorum natalium principaliter agebatur coram Judice Ecclesiastico, virtute Rescri-

Digitized by Google

pti Apoſtolici, & acceſſoriè de reſtitutione terrarum, quibus altera pars fuerat ſpoliata: & tamen deciditur, Judicem Eccleſiaſticum de ſola quæſtione legitimitatis poſſe cognoſcere, & judicium de poſſeſſione terrarum Regi, ſeu Poteſtati ſæculari eſſe relinquendum. Ad quod reſpondetur, etſi aliqui exiſtimant, cauſam dotis etiam principaliter motam eſſe mixti fori, ita ut inter Judicem Eccleſiaſticum, & ſæcularem ſit locus præventioni, & ideo potuiſſe Judicem Eccleſiaſticum in hoc cap. de prædicta cauſa dotis cognoſcere, & ſuper ea pronuntiare: ut tamen rectiùs percipiatur verus intellectus, ſeu expoſitio *cit. c. De prudentia*, advertendum eſt, cauſam dotis, de qua hîc agitur, non eſſe propriè incidentem, quaſi ad decidendam cauſam principalem eſſet neceſſaria, ſicut quæſtio ſtatûs, juxta *l. Quoties. 3. C. de Judic.* ſed eſſe omnino dependentem ex valore matrimonii, vel nullitate: ac proinde ad Eccleſiaſticum Judicem pertinet de ea cognoſcere, juxta deciſionem *cit. c. De prudentia*. Si verò principaliter agatur de dote inter laicos, ea cauſa ad Judicem ſæcularem deferri debet, ut ſi ſoluto matrimonio, repetatur dos ab hæredibus uxoris, vel ſi conſtante matrimonio mulier agat contra maritum vergentem ad inopiam, & ab eo petat dotem, vel ſi à viro petatur dos tanquam promiſſa.

Ex quo patet, Judicem Eccleſiaſticum, non ex alia ratione cognoviſſe de dote, quàm ratione incidentiæ, ut reſolvunt DD. communiter apud *Barb. de Offic. Epiſc. alleg. 84. n. 29.* Neque etiam contrarium probatur ex *c. Per veſtras. 7. h. t.* quia id loquitur de paupere, adeóque miſerabili perſona, de cujus cauſa poſſe Eccleſiaſticos Judices cognoſcere, omnes fatentur.

XXXIII. Quod verò attinet ad *cit. cap. Cauſam quæ. 7. Qui filii ſint legit.* reſpondetur, cauſam dotis eſſe adeo conjunctam matrimonio, ut ſine hoc dos conſiſtere non poſſit, *l. 3. ff. de jure dotium*, ideóque Judex Eccleſiaſticus, qui judicat matrimonium non valuiſſe, meritò & conſequenter etiam judicare debet, dotem eſſe reſtituendam, quæ neceſſaria dependentia non reperitur in hæreditate, & multò minùs in reſtitutione terrarum, de qua in *cit. c. Cauſam quæ*. Et ob hanc connexionem neceſſariam matrimonii cum dote, etiam Judex Eccleſiaſticus, qui matrimonii nullum eſſe pronuntiavit, debet præcipere, ut dos reſtituatur, tanquam aliquid inſeparabiliter connexum cum matrimonio, quia de connexis idem eſt judicium, *c. 3. de Conſtit. Barbof. c. l.*

XXXIV. Notandum 2. Si conſtante matrimonio mulier agat de dote, eámque petat, quia fortè maritus diſſipat bona ſua, & vergit ad inopiam, vel quia mortuus eſt, regulariter debet cauſa illa agi coram Judice ſæculari, quia tunc cauſa dotis eſt principalis, quæ per ſe eſt temporalis, *Gl. hic V. Incidens*, licèt etiam favore matrimonii tunc coram Judice Eccleſiaſtico agi poſſit, *Hoſtienſ. in cit. c. De prudentia prope finem.*

Notandum 3. Diſpoſitio hujus cap. habet locum, non ſolùm quando plenariè, ſed etiam ſummariè proceditur, quia etiam tunc Judex Eccleſiaſticus, qui de cauſa [illegible] ſummariè cognoſcit, ut in propoſito de [illegible]io, rectè etiam pronunciabit ſuper acce[illegible]portali incidenter moto, videlicet ſuper dote, *Barb. in Collect. in cit. c. De prudentia. n. 3.*

Notandum 4. Quia mulier in caſu *cit. c. De prudentia*, petebat ſibi reſtitui dotem, tanquam acceſſoriam principali quæſtioni, ideo debuerunt Judices delegati pronunciare ſuper dote, non quidem auctoritate primi Reſcripti, ſeu mandati, quia cùm hi Judices delegati ſemel officio functi ſint ſuper principali, deſinunt eſſe Judices, ſive bene, ſive malè judicaverint, *l. Judex. 55. ff. de re judic.* ſed auctoritate poſterioris mandati, ſive *cit. c. De prudentia*, procedere debent; quia cùm tunc nihil ſtatuerint de acceſſorio, ſive dote, non videtur, quòd per primas litteras procedere poſſint ſuper acceſſorio, nempe dote, *Gl. hic V. Incidens in fine.* Poteſt autem dos peti propriâ actione, videlicet condictione, ſine cauſa, *l. fin. ff. de Condict. ſine cauſa*, quæ cùm omnino diſtincta ſit à cauſa matrimonii, rectè coram iisdem Judicibus proponitur, *Henric. Canif. in cit. c. De prudentia. h. t. n. 2.*

§. VI.

De amiſſione dotis propter adulterium uxoris.

XXXV. De hac agitur in *cap. Plerumque. 4. h. t.* ubi Clemens III. ita reſcribit: ſi mulier, ob « cauſam fornicationis, (quod eſt nomen generale continens in ſe adulterium, & omnem illicitum « coitum, *c. 2. §. Cùm ergo cauſ. 36. q. 1.*) judicio « Eccleſiæ, aut propriâ voluntate à viro receſſerit, « nec reconciliata poſtea eidem fuerit, dotem, vel « dotalitium repetere non valebit. «

XXXVI. Notandum 1. Mulier propter adulterium amittit dotem, eámque vir lucratur, ut ex hoc cap. probat *Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 7. §. 6. n. 2. Sanch. l. 10. diſ. 8. n. 2. Farinac. in praxi crimin. p. 5. q. 142. n. 1. & ſeqq.* & alii communiter. Ratio eſt, quia per adulterium infertur conjugi innocenti gravis injuria, & ideo in pœnam uxoris delinquentis, ſtatuitur, ut uxor adultera, præter alias pœnas, amittat dotem, & maritus illam lucretur, *Auth. Vt liceat matri, & aviæ &c. §. Quia plurimas coll. 8.*

XXXVII. Porro hæc Conſtitutio, quòd mulier amittat dotem propter adulterium, extenditur 1. etiam ad privationem donationis propter nuptias, *Clarus libr. 5. ſentent. §. Adulterium. num. 12.* Extenditur 2. Quòd uxor adultera, propter adulterium, non ſolùm amittat dotem, ſed etiam bona paraphernalia, quæ habet, præter dotem, ad quæ reſtituenda uxori tenetur maritus, *Gl. hic V. Dotalitium, Covarr. c. l. num. 2. Clarus c. l. n. 15.* & alii. Verùm *Abb. in cit. c. Plerumque hic n. 8.* ait, appellatione dotis, vel dotalitii, in propria ſignificatione, non venire bona paraphernalia, quia in materia pœnali verba non debent extendi, ſed potiùs reſtringi. Unde ipſe per dotalitium hîc intelligit pretium, ſeu æſtimationem dotis, ita quòd mulier adultera dotem perdat, vel ejus pretium, ſeu æſtimationem, ut quia dos data eſt in iis rebus, quæ numero, menſurâ, vel pondere, conſtant, vel cùm res æſtimatæ datæ ſunt in dotem, ac proinde cùm hîc dicitur, *quòd mulier dotem, vel dotalitium repetere non vale-*

Digitized by Google

valebit, intelligi debeat per dotem res ipsa dotalis, per dotalitium ipsius pretium, sive æstimatio, quæ expositio videtur probabilior, *Henric. Canis. hic num. 3.*

Extenditur 3. Quòd mulier propter adulterium perdat dotem, eáque viro acquiratur, non solùm, si sit vera uxor, sed etiamsi putativa solùm, quia matrimonium est nullum, propter impedimentum consanguinitatis, vel affinitatis, vel aliud dirimens, ut docet *Covarr. c. l. num. 1. Clarus cit. §. Adulterium. n. 14. Farinac. in praxi crim. p. 5. q. 142. n. 16.* & alii. Nam quamvis tale matrimonium sit nullum, adeoque non possit dici revera esse commissum adulterium à muliere: considerari tamen hic debet status matrimonii, qui erat tempore commissi criminis, saltem putativè, & prava intentio ipsius mulieris, quæ, postquam declaratum fuit matrimonium nullum, excusari non poterit, nec postquam per sententiam dote privata fuit, eam repetere poterit, *Clarus c. l. n. 14.*

XXXVIII. Notandum 1. Quando vir, post commissum ab uxore adulterium, sciens tacuit, uxorem in domo retinuit, eique ut conjugi cohabitavit, & reconciliatus fuit: tunc censetur actionem, quam habebat ad petendum divortium, & privationem dotis, tacitè remisisse, prout colligitur ex *cit. c. Plerumque*, argumento à contrario sensu ducto ex illis verbis: *nec reconciliata postea sit eidem, Sanchez cit. dis. 8. n. 21. Farinac. cit. q. 142. num. 68.* & alii apud ipsum, ubi *n. 69.* addit, id procedere, etiamsi reconciliatio sit secuta post cœptum judicium super amissione dotis, imò etiam post latam sententiam.

Notandum 3. Si è converso maritus commisit adulterium, uxor quoque recuperat dotem, & luctatur donationem propter nuptias, *l. Consensu. 8. §. Siqua igitur, & §. Si verò causam. C. De repudiis, Auth. Vt liceat matri &c. §. Quia plurimas. Farinac. c. l. n. 35.* Ipsa verò uxor, etsi accusata de adulterio, dotem amittat, potest tamen contra virum excipere de eodem adulterio, & sic unius adulterium cum altero compensatur, *Farin. c. l. n. 39.*

Notandum 4. Quando maritus consensit in adulterium uxoris, & mulrò magis si ipse leno extitit, & illam prostituit, tunc non lucratur dotem, & si conventus ab uxore excipiat de adulterio, ipsa replicabit de lenocinio, *l. Cùm mulier. 47. ff. solut. matr. Farin. c. l. n. 79.*

XXXIX. Notandum 5. Si maritus, & uxor habeant liberos ex eodem, vel alio matrimonio, tunc maritus non lucratur dotem, nec uxor donationem propter nuptias, sed ista reservantur liberis adulteræ, post mortem uxoris: nam dum vivit maritus, ad ipsum usufructus pertinet, *Farinac. c. l. n. 93. & 95.*

Notandum 6. Propter adulterium uxor amittit dotem, non ipso jure, sed per sententiam Judicis, de quo videri possunt, quæ tradit *Sanch. cit. dis. 8. n. 13.* Ethinc ante sententiam Judicis, non tenetur uxor adultera restituere dotem in conscientia, sed potest uti jure retentionis.

Notandum 7. Uxor, propter adulterium, dotem amittit, quando propriâ voluntate, & absque alia justa causa, nisi quòd virum timet, propter commissum adulterium, ab ejus domo recessit, *cit. c. Plerumque*, ibi: *aut propriâ voluntate à viro recesserit, Sanch. cit. dis. 8. num. 13. Versic. Sed huic doctrinæ.* Secus, si recessit à domo viri, non suâ propriâ voluntate, sed viri, qui eam ejecit è domo propter fornicationem, seu adulterium; tunc enim dotem non amittit, *Gl. in cit. c. Plerumque. V. Propriâ voluntate, Farin. c. l. n. 29. & 30.*

§. VII.

An viro, qui ad inopiam vergit, petenti dotem ea tradenda sit sub cautione?

XL. De hac quæstione agitur in *c. Per vestram. 7. h. t.* ubi talis casus proponitur: Raynaldus certam quandam pecuniæ summam promiserat Hetennio pauperi in dotem, nomine uxoris suæ. Ille conventus super ea re coram delegatis S. Pontificis, ut dotem solveret, duplicem exceptionem opposuit, unam, quòd Herennius uxorem suam à se repulerat, (& ideo auditi non debuit, nisi priùs ipsam restitueret, *c. Ex conquestione. 10. de restit. spoliat. & c. ult. de ord. cognit. Gl. hic V. Repulerat.*) aliam item exceptionem opposuit, quòd Judices delegati, tacitâ veritate, essent impetrati. Idque ex eo constabat, quia cùm aliâ vice, coram Consulibus Civitatis Genuensis, super eâdem dote quæstio mota esset, ipsi pronunciârunt, ut quia idem Herennius ad inopiam vergere videbatur, dos non assignaretur eidem, nisi idoneam cautionem præstaret, dotem uxoris salvam fore. Itaque delegati Judices præceperunt, ut Herennius ita caveret, & uxorem suam reciperet. Sed quia is idoneè cavere non potuit, consultus S. Pontifex Innocentius III. rescribit: Cùm satis possit ei modicum dotis credi, cui corpus uxoris est creditum; ideo mandat dicto Herennio dotem assignari, isque eam, quam posset, cautionem præstet: vel saltem ut alicui mercatori dos committatur, & Herennius interim partem honesti lucri ex illa percipiat, pro sustinendis matrimonii oneribus, ne occasione dotis detentæ, uxor dimissa à viro, vel etiam vir eam dimittens reatum adulterii incurrat.

XLI. Pro explicatione hujus cap. notandum 1. Ecclesia, sive Judex Ecclesiasticus potest se ingerere, sive de dote cognoscere, non solùm in favorem viduarum, ut in *cap. Nuper. 6. h. t.* sed etiam in favorem mariti petentis dotem sibi promissam, ut colligitur ex hoc cap. quamvis etiam dici possit, quòd iste actor fuerit pauper, & miserabilis persona, & ideo potuit convenire alium coram Judice Ecclesiastico, *c. Super quibusdam. 26. in fine de V. S.* Reum autem conventum fuisse laicum, patet ex eo, quòd priùs conventus fuerat coram Consulibus Civitatis Genuensis, *Abb. hic n. 3. Alex. de Nævo n. 2.*

Notandum 2. Licèt ex hoc cap. colligi videatur, uxorem à marito expelli posse, & separari à conjugali consortio, & cohabitatione, si dos promissa soluta non fuerit, ex qua ferre deberet onera matrimonii, *c. Salubriter. 16. de usuris.* ac proinde potest ea nolle sustinere, si non habeat, unde emolumenta sumat, ut docet *Abb. in cit. c. Per vestram. n. 4. Alex. ibid.*

Digitized by Google

ibid. num. 3. Contrarium tamen rectiùs dicitur, ut docet *Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 7. in princ. n. 2. Molin. tr. 2. de just. disp. 425. n. 4. Sanch. l. 9. de matr. disp. 5. n. 17.* & alii apud ipsum. Idque probatur primò, quia jus cohabitandi non oritur ex solutione dotis, sed ex lege naturali, & Divinâ, & ex ipso contractu matrimonii, sicut & obligatio reddendi debitum conjugale: quemadmodum ergo ob non solutam dotem vir non eximitur ab obligatione reddendi debitum, ita nec liberatur ab obligatione cohabitandi uxori. Secundò Christus *Matth. 5.* prohibuit, ne dimittatur uxor, exceptâ causâ fornicationis: non solutio autem dotis non numeratur inter causas divortii in *c. Porro. 3. de divort.* Tertiò, quia dos datur ab uxore, ut uxor ea alatur; at verò finis præcipuus cohabitationis est, non ut uxor à viro alatur, sed ut conjuges mutua obsequia sibi præstent, ad generationem prolis, & commodam ejusdem educationem, qui finis non cessat, etiamsi dos non solvatur, adeoque etiam non cessabit obligatio cohabitandi. Neque verò in *cit. c. Per vestras*, dicitur, quòd liceat uxorem domo expellere, ob dotem non solutam: sed supposità expulsione uxoris, sive justâ, sive injustâ, respondet Papa ad principalem quæstionem de cautione dotis præstanda, nec ne: neq; verò in casu hujus cap. uxor petiit se restitui ad cohabitandum; si enim id petiisset, ante omnia restituenda fuisset, *Sanch. cit. loc. n. 18. Barbos. hic n. ult.* Neque etiam obstat, quòd vir sine dote non obligatur ad subeunda onera matrimonii, quia ad hoc dos ei datur, *l. Pro oneribus, 20. C. de jure dot.* Sed respondetur, etsi vir ob dotem promissam non solutam, possit uxori alimenta negare, nec teneatur eam alere: non tamen ob dotem non solutam, potest ei denegare cohabitationem, adeoque neque illam ob hanc causam expellere ex domo, quia ad cohabitandum obligatur, ex vi contractûs matrimonialis, quo uxorem individuam sibi vitæ sociam conjunxit, *Sanch. c. l.* Unde Jura eximunt quidem maritum ab onere alendi uxorem, ob dotem promissam non solutam: non tamen eximunt ab obligatione cohabitandi, quia ea non pendet à dotis solutione, *Sanch. c. l. n. 18. in fine.*

XLII. Notandum 3. Si maritus vergat ad inopiam, etiam sine culpa sua, potest uxor agere ad dotem, eámque petere, prout innuitur ex hoc cap. & *l. Si constante. 24. in princ. ff. solut. matrim.* & tradit *Abbas hic n. 12.* Idémque est, si maritus incipiat dissipare bona sua, isque malè uti, *cit. l. Si constante, & l. ubi adhuc. 29. C. de jure dot.* potestque his casibus uxor non solùm agere contra maritum, & repetere dotem, sed etiam, & multò magis contra eum excipere petentem dotem, ut in hoc cap. quia Jus timet, ne in his casibus dos consumatur. Similiter etiam potest uxor, in his casibus, agere contra maritum ad donationem propter nuptias à marito ei factam petendam, *cit. l. ubi adhuc. C. de jure dot. Abb. in cit. c. Per vestras n. 12. h. t.*

Notandum 4. dos non debet tradi viro ad inopiam vergenti, nisi cautionem idoneam præstet de dotis securitate, scilicet per fidejussores, vel pignora: si tamen talem cautionem præstare non possit, sufficit, ut præstet, quam potest, ut habetur in hoc c. scilicet juratoriam, *Gl. hic V. Quam potest.* Verumtamen *Abb. hic* ait, quòd hoc non potest intelligi de cautione juratoria, quia illam potest quilibet præstare, quantumvis sit pauper: hic autem dicitur, exigi marito cautionem, qualem potest præstare, ergo supponitur, illum præstare debere cautionem talem, qualem præstare potest, pro qualitate bonorum suorum. Unde licèt aliàs non possint fidejussores intervenire pro dote restituenda, ne oriatur petitio inter conjuges, *tot. tit. C. Ne fidejussores dotium detur*: id procedit, nisi maritus vergat ad inopiam; tunc enim licitè possunt intervenire fidejussores pro dote ab ipso solvenda, & restituenda, *Abb. hic n. 13.* ubi ait, quòd in casu hujus cap. si matitus potuisset præstare cautionem fidejussoriam, vel pignoratitiam, fuisset obligatus ad illam præstandam, & sic potuisset intervenire fidejussor pro dote restituenda.

XLIII. Notandum 5. Si maritus sufficientem cautionem præstare non possit, tum conceditur, ut dos apud mercatorem aliquem deponatur, à quo maritus tantum lucri honesti accipiat, quantum ad sustinenda onera matrimonii est necessarium, ut habetur in *cit. c. Per vestras h. t.* Sed jam hìc quæritur, quo pacto fieri debeat, ac licitè possit talis depositio dotis apud mercatorem? *Io. Andr. hic n. 6.* ait, quòd mercator caveìit de dote integraliter restituenda, & de certa parte lucri reddenda, ita ut compensato lucro cum damno, de eo quod supereret ex lucro, solvatur marito pro oneribus matrimonii sustinendis. §. *De illa Instit. de Societat.* Verum clariùs hoc explicat *Alex. de Nevo in cit. c. Per vestras. n. 11.* Nam vel quæritur, an liceat, propriâ auctoritate, deponere pecuniam dotalem apud mercatorem, ut salvâ summâ capitali, ex ea percipiatur honestum lucrum: & hoc non licet, sed esset usura, quia quando duo simpliciter contrahunt societatem, videtur actum, ut damnum, & lucrum utrinque æquale sit, *l. Si non fuerint. 29. §. Aristo. ff. Pro socio*, ubi dicitur, societatem talem initi non posse, ut alter lucrum tantùm (scilicet totum) alter damnum tantùm sentiret. Neque verò in hoc c. contrarium deciditur, quia non dicitur, quòd Capitale debeat esse salvum. Vel quæritur, an Judex, cujus arbitrio, & auctoritate dos, seu pecunia dotalis committitur mercatori, seu penes eum deponitur, possit hoc facere: & hoc est licitum, quia Judex hoc facit, auctoritate hujus Canonis, ad conservandam pecuniam dotalem, & ut provideatur viro sustinenti onera matrimonii, ne occasione dotis detentæ, uxor à viro dimissa, vel vir dimittens in adulterium incidat, ut habetur in textu, ubi etiam mandatur, & commissio fit Judici de dote deponenda apud mercatorem, *Alex. hic n. 12. in fine.* Porro licèt in *cit. c. pen.* de solo lucro mentio fiat, idem tamen de damno proportionaliter intelligendum est, quia honestum lucrum dici non potest, quod ab eo prætenditur, qui nullum damnum sentit, seu subit, juxta *l. Cum duobus. 52. §. Damna. ff. Pro socio. Barb. in Collect. ibid. §. Mercatori in fine.*

Notandum 6. in *cit. c. pen. h. t.* statuitur, alternativè, & sub disjunctione, ut vel maritus, sub cautione, quam præstare potest, reddat dotem uxori eam tepetenti: vel ut dos deponatur apud mercatorem. Idque relinquendum est arbitrio Judicis, ita ut si videat sufficere cautionem, eam fieri jubeat; si verò videat non satis esse cautum doti uxoris, faciat eam

Digitized by Google

eam deponi apud mercatorem, *Abb. hîc num.* 14. quia in alternativis optio datur Judici, niſi verba dirigantur ad partem, ut notat *Abb. inc. Accepta.* 14. *num.* 4. *de vita, & honeſt. Cleric.* Plura de dote videri poſſunt apud Legiſtas, ad quos hæc magis pertinent.

TITVLVS XXI.

DE SECVNDIS NVPTIIS.

I.

QUia diſſoluto primo matrimonio, ſolet fieri tranſitus ad ſecundum, ideo ſubijcitur iſte Titulus de ſecundis nuptijs. Non tantùm autem ſecundæ nuptiæ approbantur ab Eccleſia: ſed etiam tertiæ, quartæ, & ulteriores, ita ut non ſolùm bigamus, ſed etiam trigamus, & octogamus quis fieri poſſit, *c. Aperiant.* 11. *&* 2. *ſeqq. cauſ.* 31. *q.* 1. Idque conſtat ex *c.* 7. *ad Roman.* ubi dicitur: *quæ ſub viro eſt mulier, obligata eſt legi: ſi autem mortuus eſt vir ejus, ſoluta eſt à lege viri: &* 1. *Cor.* 7. *ſi dormierit vir ejus, liberata eſt, cui vult, nubat.* Ratio eſt, quia cùm primæ nuptiæ ſint per mortem penitus diſſolutæ, nullum poſſunt aliis nuptijs legitimè ineundis impedimentum præſtare, *Sanch. libr.* 7. *de matr. diſ.* 81. *n.* 2.

§. I.

An coniux dubius de morte alterius coniugis poſſit tranſire ad ſecundas nuptias?

II. De hac re agitur in *c. Dominus.* 2. *h. t.* Nam » cùm quidam Chriſtiani in captivitate Saracenorum conſtituti, nondum habitâ de obitu ſui conjugis certitudine, ſecundas nuptias contraxiſſent, reſcribit S. Pontifex Lucius III. ut nullus deinceps ad » ſecundas nuptias tranſire præſumat, niſi priùs ei » conſtet de morte conjugis ejus. Si verò aliquis, » vel aliqua id non ſervavit, & de morte prioris conjugis adhuc dubitet, ei, quæ ſibi nupſit, debitum » non deneget poſtulanti: ſed ipſe nullatenus illud » exigat. Quòd ſi poſtea priorem conjugem adhuc » vivere conſtiterit, relictis adulterinis complexibus, » ad priorem conjugem revertatur, Idque etiam ſtatutum habetur in *c. In præſentia.* 19. *de ſponſal. ſupr. Tit.* 1. Et ratio eſt, quia matrimonium ſemel legitimè contractum inter Chriſtianos, cùm ſit Sacramentum, nonniſi morte diſſolvitur, *c.* 1. *&* 2. *cauſ.* 32. *q.* 7.

III. Notandum 1. Captivus apud hoſtes poteſt contrahere matrimonium: nam quamvis matrimonium requirat maximam libertatem, contractum tamen à captivo, ſeu incarcerato valet, ſi vis non inferatur in contrahendo matrimonio, & multò magis alii contractus initi ab incarcerato, ut patet ex hoc cap. ubi Papa permittit captivis apud Saracenos detentis matrimonio copulari, *Sanch. l.* 4. *de matr. diſ.* 12. *n.* 7. Idque procedit, etiamſi captivus ſit ſervus, quia ſervitus nihil obſtat contrahendo matrimonio, *Abb. hîc n.* 3.

Notandum 2. Ob ſolam abſentiam conjugis, quantumvis diuturnam, non diſſolvitur matrimonium, niſi conſtet de morte conjugis abſentis, nec poteſt conjux ad aliud matrimonium tranſire, niſi habitâ certitudine de morte conjugis alterius. Quòd ſi tamen conjux dubius de morte prioris conjugis, de facto aliud matrimonium contraxit, nullo modo poteſt petere debitum, quia qui dubitat, an ſit legitimus conjux, exigendo debitum, cum tali dubio, facit contra propriam conſcientiam, quam habet ex probabili cauſa, *c. Inquiſitioni.* 44. *in fine de ſent. excomm. Gl. hic V. Nullatenus*; neque poteſt quis uti re, de qua dubitat, an ſit ſua. Tenetur tamen reddere debitum ei, qui bonâ fide contraxit; non enim debèt juſtâ ſuâ poſſeſſione privari ob malam fidem alterius, quamdiu non conſtat, matrimonium fuiſſe nullum: nemo enim debet jure ſuo, ſine ſua culpa, privari, *c. Diſcretionem.* 6. *de eo, qui cogn. conſang. & c. Sanch. l.* 2. *de matrim. diſ.* 42. *n.* 2. *&* 4. Porro ſi quis dubitet, an prior conjux adhuc vivat, vel an obierit, non ideo matrimonium ſtatim eſt diſſolvendum, quia in *cit. c.* 2. *h. t.* dicitur, ſic dubitantem teneri reddere debitum, quod eſt actus matrimonii, non autem poſſe reddere, ſi matrimonium eſſet irritandum: deinde quia ibi, & in *c. In Præſentia.* 19. *de ſponſal.* decidituri non licere ad alias nuptias tranſire; donec conſter de priorum diſſolutione, ergo dum dubium eſt, an tale matrimonium ſit validum, non debet diſſolvi, aliàs non poſſet reddere debitum, *Sanch. cit. diſ.* 42. *n.* 5. ſi denique uterque malâ fide contraxit matrimonium dubitans de impedimento dirimente, neuter poteſt petere, nec reddere debitum, quia uterque malâ fide contraxit, adeoque eſt poſſeſſor malæ fidei, *Sanch. c. l. n.* 8.

IV. Notandum 3. Etſi quis à principio, bonâ fide, contraxit matrimonium, poſtquam tamen certior factus eſt de vita prioris conjugis, adulterium committit, niſi ſecundum uxorem ſtatim dimittat, quamvis ab initio in dolo non fuerit, ut conſtat ex *cit. c.* 2. *in fine h. t.* & tradit *Abb. ibid. n.* 5. *& Alex. de Nævo n.* 6. Cæterùm non debet Judex Eccleſiaſticus mulieri, vel viro concedere facultatem transeundi ad ſecundas nuptias, niſi per certum nuntium conſiterit de morte prioris conjugis, etiamſi per XV. annos, vel plures, abfuerit. *Reginald.* apud *Barb. in cit. c.* 2. *num.* 4.

Notandum 4. Si compertum fuerit, mulierem duos viros ſimul habere: tunc ea primo viro reſtitui debet, & ſi ad eum redire recuſaverit, excommunicanda eſt, donec redeat, *Farin. in praxi crim. p.* 5. *q.* 140. *n.* 32. & aliis apud ipſum, ubi addit, idem eſſe de viro habente duas mulieres. Porro plura de hac re, qualis certitudo ſit neceſſaria de morte prioris conjugis, ut tranſire liceat ad alias nuptias dicta ſunt ſuprà *Tit.* 1. *ſec.* 5. *§.* 2. *à n.* 131. uſque ad *n.* 135. inclusivè hoc libr.

§. II.

An si mulier, post mortem viri, transeat ad secundas nuptias intra annum luctûs, incurrat infamiam, vel alias pœnas Juris?

V. De hac quæstione agitur in duobus capp. *h. t.* Inprimis in *cap. Super illa. 4.* ubi consultus Pontifex Urbanus III. an mulier possit, sine infamia, nubere, infra tempus luctûs secundùm leges definitum (in *l. 1. ff. De his, qui not. infam. & l. 1. C. de secund. nupt.*) Respondet Papa, cùm Apostolus dicat: *mulier viro suo mortuo, soluta est à lege viri sui, in Domino nubat, cui voluerit*, per licentiam, & auctoritatem Apostoli, ejus infamia aboletur: quæ licentia intelligitur intervenire, eo ipso, quòd non prohibetur, *Gl. fin. hîc.*

VI. Similiter in *c. Cùm secundùm. 5. & ult. h. t.* rescribit S. Pontifex Innocentius III. ob causam in priore cap. expressam, mulierem non debere legalem infamiam sustinere (quam infligit lex ei, quæ nubit infra annum) quia licèt post viri obitum, infra tempus luctûs (scilicet infra anni spatium) nubat, concessâ sibi tamen ab Apostolo utitur potestate: cùm in his (scilicet matrimoniis contrahendis) Leges seculares non dedignentur SS. Canones imitari.

Hinc patet, etsi secundùm Leges Civiles, mulier, quæ nubit intra annum primum post obitum viri, fiat infamis, ut infrà dicetur; non tamen de Jure Canonico, secundùm quod permittitur mulieri, ut statim marito mortuo, liberam habeat potestatem nubendi alteri, absque ulla infamiæ nota, idque probatur auctoritate Apostoli ex *c. 7. Ad Roman. & 1. Cor. 7.* allegatâ in *cit. c. pen. & ult. h. t.*

VII. Jam ergo pro declaratione utriûsque hujus cap. quæritur 1. Quæ sint pœnæ Jure Civili statutæ in fœminas viduas transeuntes ad alias nuptias intra annum luctûs? Resp. plures sunt hujusmodi pœnæ. Prima est, ut vidua nubens, intra annum à die mortis viri computandum, efficiatur infamis, *l. 1. in prine. C. h. t.* Idque statutum, ut evitetur turbatio sanguinis per secundum matrimonium, & incertitudo prolis, fortè enim mulier illa ex priore marito concepit, *l. Liberorum. 11. ff. De his, qui not. infam.* quæ ratio cessat in marito; ideóque nulla infamia in eum, quocunque tempore, post mortem prioris conjugis, ad alias nuptias transeat, est statuta, *Caniſ. in cit. c. pen. n. 1. h. t.* Secunda pœna est, ut secundo viro non possit dare in dotem, nec in ultima voluntate, ultra tertiam partem bonorum suorum, *cit. l. 1.* imò nec inter vivos ultra donare, *Gl. ibid. V. Teſtamento.* Tertia pœna est, ut sit expers cujuscunque hæreditatis, legati, fideicommissi, suprema voluntate relictorum, vel mortis causâ donationis, *cit. l. 1. C. eod.* Quarta pœna est, privatur mulier nubens infra annum, omnibus relictis à viro in ultimâ voluntate, quoad proprietatem, & usumfructum, *cit. l. 1.* Quinta pœna est, tenetur dare medietatem bonorum filiis prioris matrimonii, *l. Siqua mulier. 4. C. Ad SC. Tertull.* Plura de his videri possunt apud *Sanch. l. 7. de matr. diſ. 87.*

VIII. Quæritur 2. An prædictæ pœnæ statutæ in fœminas secundò nubentes, intra annum luctûs, non solùm infamiæ, sed etiam aliæ sint correctæ Jure Canonico? Resp. affirmativè, adeoque potest vidua, post mortem mariti, impunè transire ad secundas nuptias quocunque tempore, idque probatur ex *cit. c. ult. h. t.* in quo, etsi solius infamiæ mentio fiat, ratio tamen ibi expressa etiam omnes alias pœnas comprehendit, nempe quia concessâ sibi ab Apostolo utitur potestate: neque enim æquitas Canonica permittit, ut mulier, dum rem licitam facit, & suo jure utitur, puniatur. Voluit etiam Jus Canonicum consulere libertati matrimonii, & dare potestatem viduæ transeundi ad alias nuptias ad vitandam innocentiam; posset enim accidere, ut vidua nollet intra illum annum nubere, ob pœnarum timorem, & tamen gravibus tentationibus carnis vexaretur, iisque frequenter succumberet, *Sanch. cit. diſ. 87. n. 23.* Quare cùm prohibitio matrimonii intra annum luctûs sit abrogata, auctoritate S. Pauli, consequenter etiam pœnæ omnes ei annexæ pariter sunt abolitæ, cùm sublato principali, etiam accessorium censeatur abolitum, *Reg. Jur. 42. in 6.*

IX. Quæritur 3. quæ sint pœnæ Jure Civili decretæ, in favorem filiorum prioris matrimonii, si vidua transeat ad secundas nuptias, per quas hîc intelliguntur non solùm secundæ, sed etiam tertiæ, & ulteriores nuptiæ, ut constat ex *l. Cum aliis. 4.* & ibi *Gl. V. Suſcepta viro. C. h. t.* Resp. Prima pœna est, conjux transiens ad secundas nuptias amittit proprietatem omnium bonorum, quæ à conjuge defuncto acquisivit, eáque acquiruntur filiis prioris matrimonii, solo usufructu retento, etiamsi post tempus luctui statutum transierit, *l. Fœminæ. 3. C. h. t. Sanch. l. 7. de matr. diſ. 88. n. 2.* Secunda pœna est, quòd vidua secundò nubens non potest marito in dotem dare, nec alio titulo ei relinquere plus, quàm dederit uni ex filiis prioris matrimonii, cui minus reliquit, *l. Hac edictali, 6. in prine. C. eod. Sanch. c. l. n. 3.* Tertia pœna est, quòd vidua secundò nubens amittat tutelam filiorum, *l. fin. & Auth. Sacramentum. C. Quando mulier tutel. Offic. &c. & Auth. Vt ſine prohibit. matres. §. Quia verò coll. 7.* de qua plura *Sanch. c. l. n. 4.* & pluribus *ſeqq.* Quarta pœna est, si vidua tutrix filiorum, contra juramentum præstitum non contrahendi secundas nuptias in susceptione tutelæ, ad illas transierit, antequam à Judice tutelam filiis petat, & rationem reddat susceptæ tutelæ, & exolvat, quidquid debuerit, omnes pœnas incurrit, quæ Jure sunt statutæ in mulierem secundò nubentem, intra annum luctûs, ut decernitur in *Auth. De nuptiis. §. Si autem tutelam. c. 40. coll. 8. & Auth. Eisdem pœnis. C. De ſecundis nuptiis, Sanch. cit. diſ. 88. n. 13.* Quinta pœna est, si mulier relicta sit à viro executrix Testamenti, amittit illud munus, si ad secundas nuptias transeat, quia officium Tutelæ, & executionis Testamenti æquiparantur, *Sanch. cit. diſ. n. 14.* Sexta pœna est, quamvis filii apud matrem viduam educari debeant, *l. 1. C. Vbi pupilli educ. deb.* eo tamen jure privatur, si transeat ad secundas nuptias, *Sanch. c. l. n. 16.* & pluribus *ſeqq.* Plures alias pœnas refert idem *Sanch. c. l. n. 22.* & pluribus *ſeqq.* quarum tamen quædam incertæ sunt, nec satis probati possunt.

X. Quæritur 4. An pœnæ in favorem filiorum prioris

Digitized by Google

prioris matrimonij Jure Civili ſtatutæ in viduas ſecundò nubentes, poſt annum luctûs, ſint correctæ per Jus Canonicum? Reſp. non eſſe correctas, quippe quæ in favorem filiorum ſunt ſtatutæ, adeóque ſervandas eſſe in utroque foro, *Sanch. cit. diſ. 88. n. 39.* & alij apud ipſum. Ratio eſt, quia hujuſmodi pœnæ non ſunt meræ pœnæ, ſed potiùs proviſio, ſeu diſpoſitio Juris, in favorem filiorum; quia fæpiſſimè contingit, ut parentes poſt tranſitum ad ſecundas nuptias, amore poſteriorum conjugij allecti, odio profequantur filios prioris matrimonii, ideóque illos, in quantum poſſunt, bonis privare volunt, ut ea relinquant poſteriori conjugi. Plures alias quæſtiones circa hanc materiam fusè tractat *Sanch. l. 7. diſ. 89. & 2. ſeqq.* quæ apud ipſum legi poſſunt.

§. III.

An ſecundæ nuptiæ ſint benedicendæ, & quam pœnam incurrat Sacerdos benedicens?

XI. Præmittendum 1. Benedictiones nuptiarum convenientiſſimè ab Eccleſia adhibentur. Unde Concilium Tridentinum *Seſſ. 24. de matr. can. 11.* eos, qui benedictiones, & alias cæremonias in nuptiis adhiberi conſueras damnant, anathemate ferit. Sunt autem eæ inſtitutæ, tum ad Sacramenti honorem, & dignitatem, tum ad actus matrimonii ritè peragendos, & ut in iis appetitus carnis refræenetur, *Sanch. l. 7. de matr. diſ. 82. n. 1.*

Præmittendum 2. Præterea idem Concilium *Seſſ. 24. c. 1. de reform.* §. *Præterea*, inprimis hortatur, ut conjuges, ante benedictionem Sacerdotalem in templo ſuſcipiendam, in eadem domo non cohabitent, ſtatuitque, benedictiones has à proprio Parocho fieri debere: neque à quoquam alio, niſi à proprio contrahentium Parocho, vel ab Ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendam, alii Sacerdoti concedi poſſe, non obſtante quâcunque conſuetudine etiam immemoriali (quæ potiùs corruptela dicenda eſt) vel privilegio. Quòd ſi quis Parochus, vel alius Sacerdos, ſive regularis, ſive ſæcularis ſit, etiamſi id ex privilegio, vel immemoriali conſuetudine, licere contendat, alterius Parochiæ ſponſos, ſine illorum Parochi licentia, matrimonio conjungere, aut benedicere auſus fuerit, ipſo jure tamdiu ſuſpenſus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi, à quo benedictio ſuſcipienda erat, abſolvatur. Poteſt autem hanc benedictionem impertire Parochus, ſive viri, ſive mulieris, quia eodem verborum tenore in Trident. *c. 1.* exigitur, ut proprius Parochus interſit matrimonio, & ut benedictionem conferat, ſicut ergo ad prius ſufficit Parochus utriúsque contrahentis, ita & ad poſterius, *Sanch. c. l n. 4.*

Præmittendum 3. Eſt autem præceptum recipiendi benedictiones has nuptiales, ut colligitur ex *c. Noſtrates. 3. & c. Sponſus. 5. cauſ. 30. q. 5.* Idque approbat Eccleſiæ conſuetudo, juxta quam ſponſi in omnibus Diœceſibus compelluntur benedictiones nuptiales recipere; quod non poſſet fieri, ſi ſolùm eſſet conſilium, ut fatentur omnes DD. apud *Sanch. cit. diſ. 82. n. 6.* ubi addit, eſſe peccatum mortale, ſi ex contemptu omittantur, quì tunc fieri cenſetur, quando quis omitteret has benedictiones, quia eas nihili facit, ac ſi eſſent res viles, & vanæ; quamvis aliàs probabiliter ſecundùm ſe, non ſit peccatum mortale, ſi ex mera negligentia omittantur, quia non ſunt Sacramentum, ſed Sacramentale quoddam, nec tanti momenti, quanti ſunt Sacramentalia, quæ præmittuntur ante Baptiſmum, *Sanch. c. l.* His præmiſſis.

XII. Quæritur nunc, an ſecundis nuptiis ſit impertienda benedictio, & quam pœnam incurrat Sacerdos benedicens? De utraque hac quæſtione extant duo Capitula in hoc Titulo. Et inprimis in *c. Capellanum. 1.* ſtatnitur, ſecundas nuptias non eſſe benedicendas, & benedicentem puniendum eſſe: nam cùm quædam mulier, ut refert *Gl. in caſu*, mortuo viro ſuo, ad ſecundas nuptias tranſiiſſet, quidam Capellanus (ſive Rector Parochiæ) eaſdem benedixit: ſed quia ſecundæ nuptiæ benedici non debent, quæſitum fuit, qualiter dictus Sacerdos puniri debeat? Reſpondet Papa Alexander III. & mandat Epiſcopo, ut Capellanum, qui benedictionem mulieri ſecundò nubenti impertivit, ab officio, & beneficio ſuſpendat, & ſic ſuſpenſum, cum litteris Epiſcopi, ad Sedem Apoſtolicam deſtinet, ſeu pro abſolutione mittat.

Similiter in *c. Vir autem. 3. eod. tit.* reſcribit Papa Urbanus III. quòd vir, vel mulier ad bigamiam tranſiens (hoc eſt, ad ſecundas nuptias, per quas ſolet contrahi bigamia, *Hoſtienſ. hic V. Ad bigamiam*) non debet à Presbytero benedici, quia cùm aliâ vice (in primis nuptiis) jam ſint benedicti, non debet eorum benedictio iterati.

XIII. Pro declaratione utriúſque hujus cap. notandum 1. Si uterque, vel alter conjux in primis nuptiis benedictionem accepit, non debet in ſecundis nuptiis benedictio impertiri: ſecus autem, ſi neuter conjux in primis nuptiis benedictionem accepit, *Sanch. cit. diſ. 82. n. 15.* Ratio eſt, quia cùm uterque, vel ſaltem alter conjux in primo matrimonio fuit benedictus, non debet itetum benedici in ſecundo, quia benedictio nubentium non debet reiterari; videretur enim quaſi Sacramentum hujusmodi non fuiſſet collatum, vel quòd inefficax omnino fuiſſet, & ſic fieret ei injuria, *Gl. in cit. c. Vir autem. V. Iterari.* Alia ratio, cur ſecundæ nuptiæ non ſint benedicendæ, redditur à *S. Thom. in 4. ſentent. diſ. 42. q. 3. art. 2. ad 2.* quia ſcilicet, quamvis ſecundum matrimonium in ſe conſideratum ſit perfectum Sacramentum, habet tamen aliquem defectum Sacramenti, quia non plenè ſignificat conjunctionem unius cum una, ſicut primum matrimonium ſignificat conjunctionem Chriſti cum una Eccleſia; & ideo ſecundum matrimonium non benedicitur, *Fagn. in cit. c. Vir autem. n. 5. h. t.* nam conjuges ſunt benedicti in ſecundis nuptiis, ſi vel alter ipſorum tantùm fuerit benedictus in primis, ut conſtat ex *cit. c. Vir autem. Abbas ibid. n. 3.*

XIV. Notandum 2. Quod dictum eſt, ſecundas nuptias non eſſe benedicendas, id intelligendum eſt, juxta *S. Thom. c. l.* quando nuptiæ ſunt ſecundæ, & ex parte viri, & ex parte mulieris, vel ex parte mulieris tantùm; ſi enim virgo contrahat matrimonium cum illo, qui priùs aliam uxorem habuit, ſecundæ nuptiæ iterum benedicuntur; ſalvatur enim tunc aliquo modo ſignificatio conjunctionis Chriſti cum Eccle-

Digitized by Google

§. II.

An si mulier, post mortem viri, transeat ad secundas nuptias intra annum luctûs, incurrat infamiam, vel alias pœnas Juris?

V. De hac quæstione agitur in duobus cap. *h. t.* Inprimis in *cap. Super illa.* 4. ubi consultus Pontifex Urbanus III. an mulier possit, sine infamia, nubere, infra tempus luctûs secundùm leges definitum (in *l. 1. ff. De his, qui not. infam. & l. 1. C. de secund. nupt.*) Respondet Papa, cùm Apostolus dicat: *mulier viro suo mortuo, soluta est à lege viri sui, in Domino nubat, cui voluerit*, per licentiam, & auctoritatem Apostoli, ejus infamia aboletur: quæ licentia intelligitur intervenire, eo ipso, quòd non prohibetur, *Gl. fin. hîc.*

VI. Similiter in *c. Cùm secundum. 5. & ult. h. t.* rescribit S. Pontifex Innocentius III. ob causam in priore cap. expressam, mulierem non debere legalem infamiam sustinere (quam infligit lex ei, quæ nubit infra annum) quia licèt post viri obitum, infra tempus luctûs (scilicet infra anni spatium) nubat, concessâ sibi tamen ab Apostolo utitur potestate: cùm in his (scilicet mattimoniis contrahendis) Leges seculares non dedignentur SS. Canones imitari.

Hinc patet, etsi secundùm Leges Civiles, mulier, quæ nubit intra annum priuum post obitum viri, fiat infamis, ut infrà dicetur; non tamen de Jure Canonico, secundùm quod permittitur mulieri, ut statim marito mortuo, liberam habeat potestatem nubendi alteri, absque ulla infamiæ nota, idque probatur auctoritate Apostoli ex *c. 7. Ad Roman. & 1. Cor. 7.* allegatâ in *cit. c. pen. & ult. h. t.*

VII. Jam ergo pro declaratione utriùsque hujus cap. quæritur 1. Quæ sint pœnæ Jure Civili statutæ in fœminas viduas transeuntes ad alias nuptias intra annum luctûs? Resp. plures sunt hujusmodi pœnæ. Prima est, ut vidua nubens, intra annum à die mortis viri computandum, efficiatur infamis, *l. 1. in princ. C. h. t.* Idque statutum, ut evitetur turbatio sanguinis per secundum mattimonium, & incertitudo prolis, fortè enim mulier illa ex priore marito concepit, *l. Liberorum. 11. ff. De his, qui not. infam.* quæ ratio cessat in marito; ideóque nulla infamia in eum, quocunque tempore, post mortem prioris conjugis, ad alias nuptias transeat, est statuta, *Canif. in cit. c. pen. n. 1. h. t.* Secunda pœna est, ut secundo viro non possit dare in dotem, nec in ultima voluntate, ultra tertiam partem bonorum suorum, *cit. l. 1.* imò nec inter vivos ultra donare, *Gl. ibid. V. Testamento.* Tertia pœna est, ut sit expers cujuscunque hæreditatis, legati, fideicommissi, suptemâ voluntate relictorum, vel mortis causâ donationis, *cit. l. 1. C. eod.* Quarta pœna est, privatur mulier nubens infra annum, omnibus relictis à viro in ultimâ voluntate, quoad proprietatem, & usumfructum, *cit. l. 1.* Quinta pœna est, tenetur dare medietatem bonorum filiis prioris matrimonii, *l. Siqua mulier. 4. C. Ad SC. Tertull.* Plura de his videri possunt apud *Sanch. l. 7. de matr. dis.* 87.

VIII. Quæritur 2. An prædictæ pœnæ statutæ in fœminas secundò nubentes, intra annum luctûs, non solùm infamiæ, sed etiam aliæ sint correctæ Jure Canonico? Resp. affirmativè, adeoque potest vidua, post mortem mariti, impunè transire ad secundas nuptias quocunque tempore, idque probatur ex *cit. c. ult. h. t.* in quo, etsi solius infamiæ mentio fiat, ratio tamen ibi expressa etiam omnes alias pœnas comprehendit, nempe quia concessâ sibi ab Apostolo utitur potestate: neque enim æquitas Canonica permittit, ut mulier, dum rem licitam facit, & suo jure utitur, puniatur. Voluit etiam Jus Canonicum consulere libertati matrimonii, & dare potestatem viduæ transeundi ad alias nuptias ad vitandam innocentiam; posset enim accidere, ut vidua nollet intra illum annum nubere, ob pœnarum timorem, & tamen gravibus tentationibus carnis vexaretur, iisque frequenter succumberet, *Sanch. cit. dis.* 87. *n.* 23. Quare cùm prohibitio matrimonii intra annum luctûs sit abrogata, auctoritate S. Pauli, consequenter etiam pœnæ omnes ei annexæ pariter sunt abolitæ, cùm sublato principali, etiam accessorium censeatur abolitum, *Reg. Jur. 42. in 6.*

IX. Quæritur 3. quæ sint pœnæ Jure Civili decretæ, in favorem filiorum prioris matrimonii, si vidua transeat ad secundas nuptias, per quas hîc intelliguntur non solùm secundæ, sed etiam tertiæ, & ulteriores nuptiæ, ut constat ex *l. Cum aliis. 4.* & ibi *Gl. V. Suscepta viro. C. h. t.* Resp. Prima pœna est, conjux transiens ad secundas nuptias amittit proprietatem omnium bonorum, quæ à conjuge defuncto acquisivit, eâque acquiruntur filiis prioris matrimonii, solo usufructu retento, etiamsi post tempus luctui statutum transierit, *l. Feminæ. 3. C. h. t. Sanch. l. 7. de matr. dis. 88. n. 2.* Secunda pœna est, quòd vidua secundò nubens non potest marito in dotem dare, nec alio titulo ei relinquere plus, quàm dedetit uni ex filiis prioris mattimonii, cui minus reliquit, *l. Hac edictali. 6. in prine. C. eod. Sanch. c. l. n. 3.* Tertia pœna est, quòd vidua secundò nubens amittat tutelam filiorum, *l. fin. & Auth. Sacramentum. C. Quando mulier tutel. Offic. &c. & Auth. Vt sine prohibit. matres. §. Quia verò coll. 7.* de qua plura *Sanch. c. l. n. 4.* & pluribus *seqq.* Quarta pœna est, si vidua tutrix filiorum, contra juramentum præstitum non contrahendi secundas nuptias in susceptione tutelæ, ad illas transierit, antequam à Judice tutelam filiis petat, & rationem reddat susceptæ tutelæ, & exolvat, quidquid debuerit, omnes pœnas incurrit, quæ Jure sunt statutæ in mulierem secundò nubentem, intra annum luctûs, ut decernitur in *Auth. De nuptiis. §. Si autem tutelam. c. 40. coll. 8. & Auth. Eisdem pœnis. C. De secundis nuptiis, Sanch. cit. dis. 88. n. 13.* Quinta pœna est, si mulier relicta sit à viro executrix Testamenti, amittit illud munus, si ad secundas nuptias transeat, quia officium Tutelæ, & executionis Testamenti æquipatantur, *Sanch. cit. dis. n. 14.* Sexta pœna est, quamvis filii apud matrem viduam educati debeant, *l. 1. C. Vbi pupilli educ. deb.* eo tamen jure privatur, si transeat ad secundas nuptias, *Sanch. c. l. n. 16.* & pluribus *seqq.* Plures aliæ pœnas refert idem *Sanch. c. l. n. 22.* & pluribus *seqq.* quarum tamen quædam incertæ sunt, nec satis probari possunt.

X. Quæritur 4. An pœnæ in favorem filiorum prioris

Digitized by Google

prioris matrimonij Jure Civili statutæ in viduas secundò nubentes, post annum luctûs, sint correctæ per Jus Canonicum? Resp. non esse correctas, quippe quæ in favorem filiorum sunt statutæ, adeóque servandas esse in utroque foro, *Sanch. cit. disp. 88. n. 39.* & alij apud ipsum. Ratio est, quia hujusmodi pœnæ non sunt merè pœnæ, sed potiùs provisio, seu dispositio Juris, in favorem filiorum; quia sæpissimè contingit, ut parentes post transitum ad secundas nuptias, amore posterioris conjugij allecti, odio prosequantur filios prioris matrimonii, ideóque illos, in quantum possunt, bonis privare volunt, ut ea relinquant posteriori conjugi. Plures alias quæstiones circa hanc materiam fusè tractat *Sanch. l. 7. disp. 89. & 2. seqq.* quæ apud ipsum legi possunt.

§. III.

An secundæ nuptiæ sint benedicendæ, & quam pœnam incurrat Sacerdos benedicens?

XI. Præmittendum 1. Benedictiones nuptiarum convenientissimè ab Ecclesia adhibentur. Unde Concilium Tridentinum *Sess. 24. de matr. can. 11.* eos, qui benedictiones, & alias cæremonias in nuptiis adhiberi consuetas damnant, anathemate ferit. Sunt autem ex institutæ, tum ad Sacramenti honorem, & dignitatem, tum ad actus matrimonii ritè peragendos, & ut in iis appetitus catnis refrænetur, *Sanch. l. 7. de matr. disp. 82. n. 1.*

Præmittendum 2. Præterea idem Concilium *Sess. 24. c. 1. de reform.* §. *Præterea*, inprimis hortatur, ut conjuges, ante benedictionem Sacerdotalem in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent, statuitque, benedictiones has à proprio Parocho fieri debere: neque à quoquam alio, nisi à proprio contrahentium Parocho, vel ab Ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendam, alii Sacerdoti concedi posse, non obstante quâcunque consuetudine etiam immemoriali (quæ potiùs corruptela dicenda est) vel privilegio. Quòd si quis Parochus, vel alius Sacerdos, sive regularis, sive sæcularis sit, etiamsi id ex privilegio, vel immemoriali consuetudine, licere contendat, alterius Parochiæ sponsos, sine illorum Parochi licentia, matrimonio conjungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi, à quo benedictio suscipienda erat, absolvatur. Potest autem hanc benedictionem impertire Parochus, sive viri, sive mulieris, quia eodem verborum tenore in Trident. *c. l.* exigitur, ut proprius Parochus interfit matrimonio, & ut benedictionem conferat, sicut ergo ad prius sufficit Parochus utriúsque contrahentis, ita & ad posterius, *Sanch. c. l n. 4.*

Præmittendum 3. Est autem præceptum recipiendi benedictiones has nuptiales, ut colligitur ex *c. Nostrates. 3. & c. Sponsus. 5. caus. 30. q. 5.* Idque approbat Ecclesiæ consuetudo, juxta quam sponsi in omnibus Diœcesibus compelluntur benedictiones nuptiales recipere; quod non posset fieri, si solùm esset consilium, ut fatentur omnes DD. apud *Sanch. cit. disp. 82. n. 6.* ubi addit, esse peccatum mortale, si ex contemptu omittantur, qui tunc fieri censetur, quando quis omitteret has benedictiones, quia eas nihili facit, ac si essent res viles, & vanæ; quamvis aliàs probabiliter secundùm se, non sit peccatum mortale, si ex mera negligentia omittantur, quia non sunt Sacramentum, sed Sacramentale quoddam, nec tanti momenti, quanti sunt Sacramentalia, quæ præmittuntur ante Baptismum, *Sanch. c. l.* His præmissis.

XII. Quæritur nunc, an secundis nuptiis sit impertienda benedictio, & quam pœnam incurrat Sacerdos benedicens? De utraque hac quæstione extant duo Capitula in hoc Titulo. Et inprimis in *c. Capellanum. 1.* statuitur, secundas nuptias non esse benedicendas, & benedicentem puniendum esse: nam cùm quædam mulier, ut refert *Gl. in casu*, mortuo viro suo, ad secundas nuptias transiisset, quidam Capellanus (sive Rector Parochiæ) easdem benedixit: sed quia secundæ nuptiæ benedici non debent, quæritum fuit, qualiter dictus Sacerdos puniri debeat? Respondet Papa Alexander III. & mandat Episcopo, ut Capellanum, qui benedictionem mulieri secundò nubenti impertivit, ab officio, & beneficio suspendat, & sic suspensum, cum litteris Episcopi, ad Sedem Apostolicam destinet, seu pro absolutione mittat.

Similiter in *c. Vir autem. 3. eod. tit.* refertur Papa Urbanus III. quòd vir, vel mulier ad bigamiam transiens (hoc est, ad secundas nuptias, per quas solet contrahi bigamia, *Hostiens. hic V. Ad bigamiam*) non debet à Presbytero benedici, quia cùm aliâ vice (in primis nuptiis) jam sint benedicti, non debet eorum benedictio iterati.

XIII. Pro declaratione utriúsque hujus cap. notandum 1. Si uterque, vel alter conjux in primis nuptiis benedictionem accepit, non debet in secundis nuptiis benedictio impertiri: secus autem, si neuter conjux in primis nuptiis benedictionem accepit, *Sanch. cit. disp. 82. n. 15.* Ratio est, quia cùm uterque, vel saltem alter conjux in primo matrimonio fuit benedictus, non debet iterum benedici in secundo, quia benedictio nubentium non debet reiterari; videretur enim quasi Sacramentum hujusmodi non fuisset collatum, vel quòd inefficax omnino fuisset, & sic fieret ei injuria, *Gl. in cit. c. Vir autem. V. Iterari.* Alia ratio, cur secundæ nuptiæ non sint benedicendæ, redditur à *S. Thom. in 4. sentent. dist. 42. q. 3. art. 2. ad 2.* quia scilicet, quamvis secundum matrimonium in se consideratum sit perfectum Sacramentum, habet tamen aliquem defectum Sacramenti, quia non plenè significat conjunctionem unius cum una, sicut primum matrimonium significat conjunctionem Christi cum una Ecclesia; & ideo secundum matrimonium non benedicitur, *Fagn. in cit. c. Vir autem. n. 5. h. t.* nam conjuges sunt benedicti in secundis nuptiis, si vel alter ipsorum tantùm fuerit benedictus in primis, ut constat ex *cit. c. Vir autem. Abbas ibid. n. 3.*

XIV. Notandum 2. Quod dictum est, secundas nuptias non esse benedicendas, id intelligendum est, juxta *S. Thom. c. l.* quando nuptiæ sunt secundæ, & ex parte viri, & ex parte mulieris, vel ex parte mulieris tantùm; si enim virgo contrahat matrimonium cum illo, qui priùs aliam uxorem habuit, secundæ nuptiæ iterum benedicuntur; salvatur enim tunc aliquo modo significatio conjunctionis Christi cum Eccle-

Digitized by Google

pti Apostolici, & accessoriè de restitutione tetrarum, quibus altera pars fuerat spoliata: & tamen decidituir, Judicem Ecclesiasticum de sola quæstione legitimitatis posse cognoscere, & judicium de possessione terratum Regi, seu Potestati sæculari esse relinquendum. Ad quod respondetur, etsi aliqui existimant, causam dotis etiam principaliter motam esse mixti fori, ita ut inter Judicem Ecclesiasticum, & sæcularem sit locus prævention i, & ideo potuisse Judicem Ecclesiasticum in hoc cap. de prædicta causa dotis cognoscere, & super ea pronuntiare: ut tamen rectiùs percipiatur verus intellectus, seu expositio *cit. c. De prudentia*, advertendum est, causam dotis, de qua hic agitur, non esse propriè incidentem, quasi ad decidendam causam principalem esset necessaria, sicut quæstio statûs, juxta *l. Quories. 3. C. de Judic.* sed esse omnino dependentem ex valore matrimonii, vel nullitate: ac proinde ad Ecclesiasticum Judicem pertinet de ea cognoscere, juxta decisionem *cit. c. De prudentia.* Si verò principaliter agatur de dote inter laicos, ea causa ad Judicem sæcularem deferri debet, ut si soluto matrimonio, repetatur dos ab hæredibus uxoris, vel si constante matrimonio mulier agat contra maritum vergentem ad inopiam, & ab eo petat dotem, vel si à viro petatur dos tanquam promissa.

Ex quo patet, Judicem Ecclesiasticum, non ex alia ratione cognovisse de dote, quàm ratione incidentiæ, ut resolvunt DD. communiter apud *Barb. de Offic. Episc. alleg.* 84. *n.* 29. Neque etiam contrarium probatur ex *c. Per vestras. 7. h. t.* quia id loquitur de paupere, adeóque miserabili persona, de cujus causa posse Ecclesiasticos Judices cognoscere, omnes fatentur.

XXXIII. Quod verò attinet ad *cit. cap. Causam quæ. 7. Qui filii sint legit.* respondetur, causam dotis esse adeo conjunctam matrimonio, ut sine hoc dos consistere non possit, *l. 3. ff. de jure dotium*, ideóque Judex Ecclesiasticus, qui judicat matrimonium non valuisse, meritò & consequenter etiam judicare debet, dotem esse restituendam, quæ necessaria dependentia non reperitur in hæreditate, & multò minùs in restitutione terratum, de qua in *cit. c. Causam quæ.* Et ob hanc connexionem necessariam matrimonii cum dote, etiam Judex Ecclesiasticus, qui matrimonii nullum esse pronuntiavit, debet præcipere, ut dos restituatur, tanquam aliquid inseparabiliter connexum cum matrimonio, quia de connexis idem est judicium, *c. 3. de Constit. Barbos. c. l.*

XXXIV. Notandum 1. Si constante matrimonio mulier agat de dote, eámque petat, quia fortè maritus dissipat bona sua, & vergit ad inopiam, vel quia mortuus est, regulariter debet causa illa agi coram Judice sæculari, quia tunc causa dotis est principalis, quæ per se est temporalis, *Gl. hic V. Incidens*, licèt etiam favore matrimonii tunc coram Judice Ecclesiastico agi possit, *Hostiens. in cit. c. De prudentia prope finem.*

Notandum 3. Dispositio hujus cap. habet locum, non solùm quando plenariè, sed etiam summariè proceditur, quia etiam tunc Judex Ecclesiasticus, qui de causa principali summariè cognoscit, ut in proposito de matrimonio, rectè etiam pronunciabit super accessorio temporali incidenter moto, videlicet super dote, *Barb. in Collect. in cit. c. De prudentia. n.* 3.

Notandum 4. Quia mulier in casu *cit. c. De prudentia*, petebat sibi restitui dotem, tanquam accessoriam principali quæstioni, ideo debuerunt Judices delegati pronunciare super dote, non quidem auctoritate primi Rescripti, seu mandati, quia cùm hi Judices delegati semel officio functi sint super principali, desinunt esse Judices, sive bene, sive malè judicaverint, *l. Judex. 55. ff. de re judic.* sed auctoritate posterioris mandati, sive *cit. c. De prudentia*, procedere debent; quia cùm tunc nihil statuerint de accessorio, sive dote, non videtur, quòd per primas litteras procedere possint super accessorio, nempe dote, *Gl. hic V. Incidens in fine.* Potest autem dos peti propriâ actione, videlicet condictione, sine causa, *l. fin. ff. de Condict. sine causa*, quæ cùm omnino distincta sit à causa matrimonii, rectè coram iisdem Judicibus proponitur, *Henric. Canis. in cit. c. De prudentia. h. t. n.* 2.

§. VI.

De amissione dotis propter adulterium uxoris.

XXXV. De hac agitur in *cap. Plerumque. 4. h. t.* ubi Clemens III. ita rescribit: si mulier, ob causam fornicationis, (quod est nomen generale continens in se adulterium, & omnem illicitum coitum, *c. 2. §. Cùm ergo caus. 36. q. 1.*) judicio Ecclesiæ, aut propriâ voluntate à viro recesserit, nec reconciliata postea eidem fuetit, dotem, vel dotalitium repetere non valebit.

XXXVI. Notandum 1. Mulier propter adulterium amittit dotem, eámque vir lucratur, ut ex hoc cap. probat *Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 7. §. 6. n. 2. Sanch. l. 10. dis. 8. n. 2. Farinac. in praxi crimin. p. 5. q. 142. n. 1. & seqq.* & alii communiter. Ratio est, quia per adulterium infertur conjugi innocenti gravis injuria, & ideo in pœnam uxoris delinquentis, statuitur, ut uxor adultera, præter alias pœnas, amittat dotem, & maritus illam lucretur, *Auth. Vt liceat matri, & aviæ &c. §. Quia plurimas coll. 8.*

XXXVII. Porro hæc Constitutio, quòd mulier amittat dotem propter adulterium, extenditur 1. etiam ad privationem donationis propter nuptias, *Clarus libr. 5. sentent. §. Adulterium. num.* 12. Extenditur 2. Quòd uxor adultera, propter adulterium, non solùm amittat dotem, sed etiam bona paraphernalia, quæ habet, præter dotem, ad quæ restituenda uxori tenetur maritus, *Gl. hic V. Dotalitium, Covarr. c. l. num. 2. Clarus c. l. n.* 15. & alii. Verùm *Abb. in cit. c. Plerumque hic n.* 8. ait, appellatione dotis, vel dotalitii, in propria significatione, non venire bona paraphernalia, quia in materia pœnali verba non debent extendi, sed potiùs restringi. Unde ipse per dotalitium hîc intelligit pretium, seu æstimationem dotis, ita quòd mulier adultera dotem perdat, vel ejus pretium, seu æstimationem, ut quia dos data est in iis rebus, quæ numero, mensurâ, vel pondere, constant, vel cùm res æstimatæ datæ sunt in dotem, ac proinde cùm hîc dicitur, *quod mulier dotem, vel dotalitium repetere non vale-*

Digitized by Google

valebit, intelligi debeat per dotem res ipsa dotalis, per dotalitium ipsius pretium, sive æstimatio, quæ expositio videtur probabilior. *Henric. Caniſ. hic num. 3.*

Extenditur 3. Quòd mulier propter adulterium perdat dotem, eâque viro acquiratur, non solùm, si sit vera uxor, sed etiamsi putativa solùm, quia matrimonium est nullum, propter impedimentum consanguinitatis, vel affinitatis, vel aliud dirimens, ut docet *Covarr. c. l. num. 1. Clarus cit. §. Adulterium. n. 14. Farinac. in praxi crim. p. 5. q. 142. n. 16.* & alii. Nam quamvis tale matrimonium sit nullum, adeoque non possit dici revera esse commissum adulterium à muliere; considerari tamen hîc debet status matrimonii, qui erat tempore commissi criminis, saltem putativè, & prava intentio ipsius mulieris, quæ, postquam declaratum fuit matrimonium nullum, excusari non potest, nec postquam per sententiam dote privata fuit, eam repetere potest, *Clarus c. l. n. 14.*

XXXVIII. Notandum 1. Quando vir, post commissum ab uxore adulterium, sciens tacuit, uxorem in domo retinuit, eique ut conjugi cohabitavit, & reconciliatus fuit: tunc censetur actionem, quam habebat ad petendum divortium, & privationem dotis, tacitè remisisse, prout colligitur ex *cit. c. Plerumque*, argumento à contrario sensu ducto ex illis verbis: *nec reconciliata postea sit eidem, Sanchez cit. diſ. 8. n. 21. Farinac. cit. q. 142. num. 68.* & alii apud ipsum, ubi *n. 69.* addit, id procedere, etiamsi reconciliatio sit secuta post cœptum judicium super amissione dotis, imò etiam post latam sententiam.

Notandum 3. Si è converso maritus commisit adulterium, uxor quoque recuperat dotem, & luceratur donationem propter nuptias, *l. Conſensu. 8. §. Signa igitur, & §. Si verò causam. C. De repudiis, Auth. Vt liceat matri & §. Quia plurimas. Farinac. c. l. n. 35.* Ipsa verò uxor, etsi accusata de adulterio, dotem amittat, potest tamen contra virum excipere de eodem adulterio, & sic unius adulterium cum altero compensatur, *Farin. c. l. n. 39.*

Notandum 4. Quando maritus consensit in adulterium uxoris, & multò magis si ipse leno extitit, & illam prostituit, tunc non lucratur dotem, & si conventus ab uxore excipiat de adulterio, ipsa replicabit de lenocinio, *l. Cùm mulier. 47. ff. ſolut. matr. Farin. c. l. n. 79.*

XXXIX. Notandum 5. Si maritus, & uxor habeant liberos ex eodem, vel alio matrimonio, tunc maritus non lucratur dotem, nec uxor donationem propter nuptias, sed ista reservantur libetis adulteræ, post mortem uxoris: nam dum vivit maritus, ad ipsum ususfructus pertinet, *Farinac. c. l. n. 93. & 95.*

Notandum 6. Propter adulterium uxor amittit dotem, non ipso jure, sed per sententiam Judicis, de quo videri possunt, quæ tradit *Sanch. cit. diſ. 8. n. 13.* Et hinc ante sententiam Judicis, non tenetur uxor adulteta restituere dotem in conscientia, sed potest uti jure retentionis.

Notandum 7. Uxor, propter adulterium, dotem amittit, quando propriâ voluntate, & absque alia justa causa, nisi quòd virum timet, propter commissum adulterium, ab ejus domo recessit, *cit. c. Plerumque*, ibi: *aut propriâ voluntate à viro recesserit, Sanch. cit. diſ. 8. num. 13. Verſic. Sed huic doctrinæ.* Secus, si recessit à domo viri, non suâ propriâ voluntate, sed viri, qui eam ejecit è domo propter fornicationem, seu adulterium; tunc enim dotem non amittit, *Gl. in cit. c. Plerumque. V. Propriâ voluntate, Farin. c. l. n. 29. & 30.*

§. VII.

An viro, qui ad inopiam vergit, petenti dotem ea tradenda sit sub cautione?

XL. De hac quæstione agitur in *c. Per veſtras. 7. h. t.* ubi talis casus proponitur: Raynaldus certam quandam pecuniæ summam promiserat Hennio pauperi in dotem, nomine uxoris suæ. Ille conventus super ea re coram delegatis S. Pontificis, ut dotem solveret, duplicem exceptionem opposuit, unam, quòd Herennius uxorem suam à se repulerat, (& ideo audiri non debuit, nisi priùs ipsam testitueret, *c. Ex conqueſtione. 10. de reſtit. ſpoliat. & c. ult. de ord. cognit. Gl. hic V. Repulerat.*) aliam item exceptionem opposuit, quòd Judices delegati, tacitâ veritate, essent impetrati. Idque ex eo constabat, quia cùm aliâ vice, coram Consulibus Civitatis Genuensis, super eâdem dote quæstio mota esset, ipsi pronunciârunt, ut quia idem Herennius ad inopiam vergere videbatur, dos non assignaretur eidem, nisi idoneam cautionem præstaret, dotem uxoris salvam fore. Itaque delegati Judices præceperunt, ut Hetennius ita caveret, & uxorem suam reciperet. Sed quia is idoneè cavere non potuit, consultus S. Pontifex Innocentius III. rescribit: Cùm satis possit ei modicum dotis credi, cui corpus uxoris est creditum; ideo mandat dicto Herennio dotem assignari, isque eam, quam posset, cautionem præstet: vel saltem ut alicui mercatori dos committatur, & Herennius interim partem honesti lucri ex illa percipiat, pro sustinendis matrimonii oneribus, ne occasione dotis detentæ, uxor dimissa à viro, vel etiam vir eam dimittens reatum adulterii incurrat.

XLI. Pro explicatione hujus cap. notandum 1. Ecclesia, sive Judex Ecclesiasticus potest se ingerere, sive de dote cognoscere, non solùm in favorem viduarum, ut in *cap. Nuper. 6. h. t.* sed etiam in favorem mariti petentis dotem sibi promissam, ut colligitur ex hoc cap. quamvis etiam dici possit, quòd iste actor fuerit pauper, & miserabilis persona, & ideo potuit convenire alium coram Judice Ecclesiastico, *c. Super quibusdam. 26. in fine de V. S.* Reum autem conventum fuisse laicum, patet ex eo, quòd priùs conventus fuerat coram Consulibus Civitatis Genuensis, *Abb. hic n. 3. Alex. de Nevo n. 2.*

Notandum 2. Licèt ex hoc cap. colligi videatur, uxorem à marito expelli posse, & separari à conjugali consortio, & cohabitatione, si dos promissa soluta non fuerit, ex qua ferre debet onera matrimonii, *c. Salubriter. 16. de uſuris.* ac proinde potest ea nolle sustinere, si non habeat, unde emolumenta sumat, ut docet *Abb. in cit. c. Per veſtras. n. 4. Alex. ibid.*

Digitized by Google

ibid. num. 5. Contrarium tamen rectiùs dicitur, ut docet *Covarr. in* 4. *Decret. p.* 2. *c.* 7. *in princ. n.* 2. *Molin. tr.* 2. *de just. disp.* 425. *n.* 4. *Sanch. l.* 9. *de matr. disp.* 5. *n.* 17. & alii apud ipsum. Idque probatur primò, quia jus cohabitandi non oritur ex solutione dotis, sed ex lege naturali, & Divinâ, & ex ipso contractu matrimonii, sicut & obligatio reddendi debitum conjugale: quemadmodum ergo ob non solutam dotem vir non eximitur ab obligatione reddendi debitum, ita nec liberatur ab obligatione cohabitandi uxori. Secundò Christus *Matth.* 5. prohibuit, ne dimittatur uxor, exceptâ causâ fornicationis: non solutio autem dotis non numeratur inter causas divortii in *c. Porro*, 3. *de divort.* Tertiò, quia dos datur ab uxore, ut uxor ex ea alatur; at verò finis præcipuus cohabitationis est, non ut uxor à viro alatur, sed ut conjuges mutua obsequia sibi præstent, ad generationem prolis, & commodam ejusdem educationem, qui finis non cessat, etiamsi dos non solvatur, adeoque etiam non cessabit obligatio cohabitandi. Neque verò in *cit. c. Per vestras*, dicitur, quòd liceat uxorem domo expellere, ob dotem non solutam; sed suppositâ expulsione uxoris, sive justâ, sive injustâ, respondet Papa ad principalem quæstionem de cautione dotis præstanda, nec nè: neq; verò in casu hujus cap. uxor petiit se restitui ad cohabitandum; si enim id petiisset, ante omnia restituenda fuisset, *Sanch. cit. loc. n.* 18. *Barbos. hic n. ult.* Neque etiam obstat, quòd vir sine dote non obligatur ad subeunda onera matrimonii, quia ad hoc dos ei datur, *l. Pro oneribus*, 20. *C. de jure dot.* Sed respondetur, etsi vir ob dotem promissam non solutam, possit uxori alimenta negare, nec teneatur eam alere: non tamen ob dotem non solutam, poterit ei denegare cohabitationem, adeoque neque illam ob hanc causam expellere ex domo, quia ad cohabitandum obligatur, ex vi contractûs matrimonialis, quo uxorem individuam sibi vitæ sociam conjunxit, *Sanch. c. l.* Unde Jura eximunt quidem maritum ab onere alendi uxorem, ob dotem promissam non solutam: non tamen eximunt ab obligatione cohabitandi, quia ea non pendet à dotis solutione, *Sanch. c. l. n.* 18. *in fine.*

XLII. Notandum 3. Si maritus vergat ad inopiam, etiam sine culpa sua, potest uxor agere ad dotem, eámque petere, prout innitur ex hoc cap. & *l. Si constante*. 24. *in princ. ff. solut. matrim.* & tradit *Abbas hic n.* 12. Idémque est, si maritus incipiat dissipare bona sua, ipsque malè uti, *cit. l. Si constante*, & *l. ubi adhuc*. 29. *C. de jure dot.* potéstque his casibus uxor non solùm agere contra maritum, & repetere dotem, sed etiam, & multò magis contra eum excipere petentem dotem, ut in hoc cap. quia Jus timet, ne in his casibus dos consumatur. Similiter etiam potest uxor, in his casibus, agere contra maritum ad donationem propter nuptias à marito ei factam petendam, *cit. l. ubi adhuc. C. de jure dot. Abb. in cit. c. Per vestras n.* 12. *h. t.*

Notandum 4. dos non debet tradi viro ad inopiam vergenti, nisi cautionem idoneam præstet de dotis securitate, scilicet per fidejussores, vel pignora: si tamen talem cautionem præstare non possit, sufficit, ut præstet, quam potest, ut habetur in hoc c. scilicet juratoriam, *Gl. hic V. Quam potest*. Veruntamen *Abb. hic* ait, quòd hoc non potest intelligi de cautione juratoria, quia illam potest quilibet præstare, quantumvis sit pauper: hic autem dicitur, exigi à marito cautionem, qualem potest præstare, ergo supponitur, illum præstare debere cautionem talem, qualem præstare potest, pro qualitate bonorum suorum. Unde licèt aliàs non possint fidejussores intervenire pro dote restituenda, ne oriatur perfidia inter conjuges, *tot. tit. C. Ne fidejussores dotium dentur*: id procedit, nisi maritus vergat ad inopiam; tunc enim licitè possunt intervenire fidejussores pro dote ab ipso solvenda, & restituenda, *Abb. hic n.* 13. ubi ait, quòd in casu hujus cap. si maritus potuisset præstare cautionem fidejussoriam, vel pignoratitiam, fuisset obligatus ad illam præstandam, & sic potuisset intervenire fidejussor pro dote restituenda.

XLIII. Notandum 5. Si maritus sufficientem cautionem præstare non possit, tum conceditur, ut dos apud mercatorem aliquem deponatur, à quo maritus tantum lucri honesti accipiat, quantum ad sustinenda onera matrimonii est necessarium, ut habetur in *cit. c. Per vestras h. t.* Sed jam hic quæritur, quo pacto fieri debeat, ac licitè possit talis depositio dotis apud mercatorem? *Io. Andr. hic n.* 6. ait, quòd mercator caveat de dote integraliter restituenda, & de certa parte lucri reddenda, ita ut compensato lucro cum damno, de eo quod superest ex lucro, solvatur marito pro oneribus matrimonii sustinendis. 5. *De illa Instit. de Societat.* Verum clariùs hoc explicat *Alex. de Nævo in cit. c. Per vestras. n.* 11. Nam vel quæritur, an liceat, propriâ auctoritate, deponere pecuniam dotalem apud mercatorem, ut salvâ summâ capitali, ex ea percipiatur honestum lucrum: & hoc non licet, sed deest usura, quia quando duo simpliciter contrahunt societatem, videtur actura, ut damnum, & lucrum utrinque æquale sit, *l. Si non fuerint*. 29. §. *Aristo. ff. Pro socio*, ubi dicitur, societatem talem initi non posse, ut alter lucrum tantùm (scilicet totum) alter damnum tantùm sentiret. Neque verò in hoc c. contrarium decidituir, quia non dicitur, quòd Capitale debeat esse salvum. Vel quæritur, an Judex, cujus arbitrio, & auctoritate dos, seu pecunia dotalis committitur mercatori, seu penes eum deponitur, possit hoc facere: & hoc est licitum, quia Judex hoc facit, auctoritate hujus Canonis, ad conservandam pecuniam dotalem, & ut providetur viro sustinenti onera matrimonii, ne occasione dotis detentæ, uxor à viro dimissa, vel vir dimittens in adulterium incidat, ut habetur in textu, ubi etiam mandatur, & commissio fit Judici de dote deponenda apud mercatorem, *Alex. hic n.* 12. *in fine.* Porro licèt in *cit. c. pen.* de solo lucro mentio fiat, idem tamen de damno proportionaliter intelligendum est, quia honestum lucrum dici non potest, quod ab eo prætenditur, qui nullum damnum sentit, seu subit, juxta *l. Cum duobus*. 52. §. *Damna. ff. Pro socio. Barb. in Collect. ibid.* §. *Mercatori in fine.*

Notandum 6. in *cit. c. pen. h. t.* statuitur, alternativè, & sub disjunctione, ut vel maritus, sub cautione, quam præstare potest, reddat dotem uxori eam repetenti: vel ut dos deponatur apud mercatorem. Idque relinquendum est arbitrio Judicis, ita ut si videat sufficere cautionem, eam fieri jubeat; si verò videat non satis esse cautum doti uxoris, faciat eam

Digitized by Google

eam deponi apud mercatorem, *Abb. hîc num. 14.* quia in alternativis optio datur Judici, niſi verba dirigantur ad partem, ut notat *Abb. in c. A cra-pula. 14. num. 4. de vita, & honeſt. Cleric.* Plura de dote videri poſſunt apud Legiſtas, ad quos hæc magis pertinent.

TITVLVS XXI.

DE SECVNDIS NVPTIIS.

I.

QUia diſſoluto primo matrimonio, ſolet fieri tranſitus ad ſecundum, ideo ſubijcitur iſte Titulus de ſecundis nuptijs. Non tantùm autem ſecundæ nuptiæ approbantur ab Eccleſia: ſed etiam tertiæ, quartæ, & ulteriores, ita ut non ſolùm bigamus, ſed etiam trigamus, & octogamus quis fieri poſſit, *c. Aperiant. 11. & 2. ſeqq. cauſ. 31. q. 1.* Idque conſtat ex *c. 7. ad Roman.* ubi dicitur: *quæ ſub viro eſt mulier, obligata eſt legi: ſi autem mortuus eſt vir ejus, ſoluta eſt à lege viri: & 1. Cor. 7. ſi dormierit vir ejus, liberata eſt, cui vult, nubat.* Ratio eſt, quia cùm primæ nuptiæ ſint per mortem penitus diſſolutæ, nullum poſſunt aliis nuptiis legitimè ineundis impedimentum præſtare, *Sanch. libr. 7. de matr. diſ. 81. n. 2.*

§. I.

An coniux dubius de morte alterius coniugis poſſit tranſire ad ſecundas nuptias?

II. De hac re agitur in *c. Dominus. 2. h. t.* Nam » cùm quidam Chriſtiani in captivitate Saracenorum conſtituti, nondum habitâ de obitu ſui conjugis certitudine, ſecundas nuptias contraxiſſent, reſcribit S. Pontifex Lucius III. ut nullus deinceps ad » ſecundas nuptias tranſire præſumat, niſi priùs ei » conſtet de morte conjugis ejus. Si verò aliquis, » vel aliqua id non ſervavit, & de morte prioris conjugis adhuc dubitet, ei, quæ ſibi nupſit, debitum » non deneget poſtulanti: ſed ipſe nullatenus illud exigat. Quòd ſi poſtea priorem conjugem adhuc » vivere conſtiterit, relictis adulterinis complexibus, » ad priorem conjugem revertatur, Idque etiam ſtatutum habetur in *c. In præſentia. 19. de ſponſal. ſupr. Tit. 1.* Et ratio eſt, quia matrimonium ſemel legitimè contractum inter Chriſtianos, cùm ſit Sacramentum, nonniſi morte diſſolvitur, *c. 1. & 2. cauſ. 32. q. 7.*

III. Notandum 1. Captivus apud hoſtes poteſt contrahere matrimonium: nam quamvis matrimonium requirat maximam libertatem, contractum tamen à captivo, ſeu incarcerato valet, ſi vis non inferatur in contrahendo matrimonio, & multò magis alii contractus initi ab incarcerato, ut patet ex hoc cap. ubi Papa permittit captivis apud Saracenos detentis matrimonio copulari, *Sanch. l. 4. de matr. diſ. 12. n. 7.* Idque procedit, etiamſi captivus ſit ſervus, quia ſervitus nihil obſtat contrahendo matrimonio, *Abb. hîc n. 3.*

Notandum 2. Ob ſolam abſentiam conjugis, quantumvis diuturnam, non diſſolvitur matrimonium, niſi conſtet de morte conjugis abſentis, nec poteſt conjux ad aliud matrimonium tranſire, niſi habitâ certitudine de morte conjugis alterius. Quòd ſi tamen conjux dubius de morte prioris conjugis, de facto aliud matrimonium contraxit, nullo modo poteſt petere debitum, quia qui dubitat, an ſit legitimus conjux, exigendo debitum, cum tali dubio, facit contra propriam conſcientiam, quam habet ex probabili cauſa, *c. Inquiſitioni. 44. in fine de ſent. excomm. Gl. hic V. Nullatenus*: neque poteſt quis uti re, de qua dubitat, an ſit ſua. Tenetur tamen reddere debitum ei, qui bonâ fide contraxit; non enim debèt juſtâ ſuâ poſſeſſione privari ob malam fidem alterius, quamdiu non conſtat, matrimonium fuiſſe nullum: nemo enim debet jure ſuo, ſine ſua culpa, privari, *c. Diſcretionem. 6. de eo, qui cogn. conſang. &c. Sanch. l. 2. de matrim. diſ. 42. n. 2. & 4.* Porro ſi quis dubiter, an prior conjux adhuc vivat, vel an obierit, non ideo matrimonium ſtatim eſt diſſolvendum, quia in *cit. c. 2. h. t.* dicitur, ſic dubitantem teneri reddere debitum, quod eſt actus matrimonii, non autem poſſe reddere, ſi matrimonium eſſet irritandum: deinde quia ibi, & in *c. In Præſentia. 19. de ſponſal.* deciditur, non licere ad alias nuptias tranſire, donec conſtet de priorum diſſolutione, ergo dum dubium eſt, an tale matrimonium ſit validum, non debet diſſolvi, aliàs non poſſet reddere debitum, *Sanch. cit. diſ. 42. n. 5.* ſi denique uterque malâ fide contraxit matrimonium dubitans de impedimento dirimente, neuter poteſt petere, nec reddere debitum, quia uterque malâ fide contraxit, adeoque eſt poſſeſſor malæ fidei, *Sanch. c. l. n. 8.*

IV. Notandum 3. Etſi quis à principio, bonâ fide, contraxit matrimonium, poſtquam tamen certior factus eſt de vita prioris conjugis, adulterium committit, niſi ſecundum uxorem ſtatim dimittat, quamvis ab initio in dolo non fuerit, ut conſtat ex *cit. c. 2. in fine h. t.* & tradit *Abb. ibid. n. 5. & Alex. de Nævo n. 6.* Cæterùm non debet Judex Eccleſiaſticus mulieri, vel viro concedere facultatem tranſeundi ad ſecundas nuptias, niſi per certum nuntium conſiterit de morte prioris conjugis, etiamſi per XV. annos, vel plures, abfuerit. *Reginald.* apud *Barb. in cit. c. 2. num. 4.*

Notandum 4. Si compertum fuerit, mulierem duos viros ſimul habere: tunc ea primo viro reſtitui debet, & ſi ad eum redire recuſaverit, excommunicanda eſt, donec redeat, *Farin. in praxi crim. p. 5. q. 140. n. 32.* & alii apud ipſum, ubi addit, idem eſſe de viro habente duas mulieres. Porro plura de hac re, qualis certitudo ſit neceſſaria de morte prioris conjugis, ut tranſire liceat ad alias nuptias dicta ſunt ſuprà *Tit. 1. ſec. 5. §. 2. à n. 131.* uſque ad *n. 135.* inclusivè hoc libr.

Digitized by Google

§. II.

An si mulier, post mortem viri, transeat ad secundas nuptias intra annum luctûs, incurrat infamiam, vel alias pœnas Juris?

V. De hac quæstione agitur in duobus capp. *h. t.*
» Inprimis in *cap. Super illa. 4.* ubi consultus Ponti-
» fex Urbanus III. an mulier possit, sine infamia,
» nubere, infra tempus luctûs secundùm leges de-
» finitum (*in l. 1. ff. De his, qui not. infam. & l. 1. C.*
» *de secund. nupt.*) Respondet Papa, cùm Apostolus
» dicat: *mulier viro suo mortuo, soluta est à lege viri*
» *sui, in Domino nubat, cui voluerit*, per licentiam,
» & auctoritatem Apostoli, ejus infamia aboletur:
» quæ licentia intelligitur intervenire, eo ipso,
» quòd non prohibetur, *Gl. fin. hic.*

VI. Similiter in *c. Cùm secundùm. 5. & ult. h. t.*
» reſcribit S. Pontifex Innocentius III. ob cauſam
» in priore cap. expreſſam, mulierem non debere le-
» galem infamiam ſuſtinere (quam infligit lex ei,
» quæ nubit infra annum) quia licèt poſt viri obi-
» tum, infra tempus luctûs (ſcilicet infra anni ſpa-
» tium) nubat, conceſſâ ſibi tamen ab Apoſtolo u-
» titur poteſtate: cùm in his (ſcilicet matrimoniis
» contrahendis) Leges ſeculares non dedignentur
» SS. Canones imitari.

Hinc patet, etſi ſecundùm Leges Civiles, mulier, quæ nubit intra annum primum poſt obitum viri, fiat infamis, ut infrà dicetur; non tamen de Jure Canonico, ſecundùm quod permittitur mulieri, ut ſtatim marito mortuo, liberam habeat poteſtatem nubendi alteri, absque ulla infamiæ nota, idque probatur auctoritate Apoſtoli ex *c. 7. Ad Roman. & 1. Cor. 7.* allegatâ in *cit. c. pen. & ult. h. t.*

VII. Jam ergo pro declaratione utriúsque hujus cap. quæritur 1. Quæ ſint pœnæ Jure Civili ſtatutæ in fœminas viduas transeuntes ad alias nuptias intra annum luctûs? Reſp. plures ſunt hujusmodi pœnæ. Prima eſt, ut vidua nubens, intra annum à die mortis viri computandum, efficiatur infamis, *l. 1. in princ. C. h. t.* Idque ſtatutum, ut evitetur turbatio ſanguinis per ſecundum matrimonium, & incertitudo prolis, fortè enim mulier illa ex priore marito concepit, *l. Liberorum. 11. ff. De his, qui not. infam.* quæ ratio ceſſat in marito; ideóque nulla infamia in eum, quocunque tempore, poſt mortem prioris conjugis, ad alias nuptias transeat, eſt ſtatuta, *Caniſ. in cit. c. pen. n. 1. h. t.* Secunda pœna eſt, ut ſecundo viro non poſſit dare in dotem, nec in ultima voluntate, ultra tertiam partem bonorum ſuorum, *cit. l. 1.* imò nec inter vivos ultra donare, *Gl. ibid. V. Teſtamento.* Tertia pœna eſt, ut ſit expers cujuscunque hæreditatis, legati, fideicommiſſi, ſupremâ voluntate relictorum, vel mortis causâ donationis, *cit. l. 1. C. eod.* Quarta pœna eſt, privatur mulier nubens infra annum, omnibus relictis à viro in ultimâ voluntate, quoad proprietatem, & uſumfructum, *cit. l. 1.* Quinta pœna eſt, tenetur dare medietatem bonorum filiis prioris matrimonii, *l. Siqua mulier. 4. C. Ad SC. Tertull.* Plura de his videri poſſunt apud *Sanch. l. 7. de matr. diſ. 87.*

VIII. Quæritur 2. An prædictæ pœnæ ſtatutæ in fœminas ſecundò nubentes, intra annum luctûs, non ſolùm infamiæ, ſed etiam aliæ ſint correctæ Jure Canonico? Reſp. affirmativè, adeoque poteſt vidua, poſt mortem mariti, impunè tranſire ad ſecundas nuptias quocunque tempore, idque probatur ex *cit. c. ult. h. t.* in quo, etſi ſolius infamiæ mentio fiat, tacitè tamen ibi expreſſa etiam omnes aliæ pœnas comprehendit, nempe quia conceſſâ ſibi ab Apoſtolo utitur poteſtate: neque enim æquitas Canonica permittit, ut mulier, dum rem licitam facit, & ſuo jure utitur, puniatur. Voluit etiam Jus Canonicum conſulere libertati matrimonii, & dare poteſtatem viduæ tranſeundi ad alias nuptias ad vitandam innocentiam; poſſet enim accidere, ut vidua nollet intra illum annum nubere, ob pœnarum timorem, & tamen gravibus tentationibus carnis vexaretur, iisque frequenter ſuccumberet, *Sanch. cit. diſ. 87. n. 23.* Quare cùm prohibitio matrimonii intra annum luctûs ſit abrogata, auctoritate S. Pauli, conſequenter etiam pœnæ omnes ei annexæ pariter ſunt abolitæ, cùm ſublato principali, etiam acceſſorium cenſeatur abolitum, *Reg. Jur. 42. in 6.*

IX. Quæritur 3. quæ ſint pœnæ Jure Civili decretæ, in favorem filiorum prioris matrimonii, ſi vidua tranſeat ad ſecundas nuptias, per quas hîc intelliguntur non ſolùm ſecundæ, ſed etiam tertiæ, & ulteriores nuptiæ, ut conſtat ex *l. Cum aliis. 4.* & ibi *Gl. V. Suſcepta viro. C. h. t.* Reſp. Prima pœna eſt, conjux tranſiens ad ſecundas nuptias amittit proprietatem omnium bonorum, quæ à conjuge defuncto acquiſivit, eáque acquiruntur filiis prioris matrimonii, ſolo uſufructu retento, etiamſi poſt tempus luctûs ſtatutum tranſierit, *l. Feminæ. 3. C. h. t. Sanch. l. 7. de matr. diſ. 88. n. 2.* Secunda pœna eſt, quòd vidua ſecundò nubens non poteſt marito in dotem dare, nec alio titulo ei relinquere plus, quàm dederit uni ex filiis prioris matrimonii, cui minus reliquit, *l. Hac edictali. 6. in princ. C. eod. Sanch. c. l. n. 3.* Tertia pœna eſt, quòd vidua ſecundò nubens amittat tutelam filiorum, *l. fin. & Auth. Sacramentum. C. Quando mulier tutel. Offic. &c. & Auth. Ut ſine prohibit. matres. §. Quia verò coll. 7.* de qua plura *Sanch. c. l. n. 4.* & pluribus *ſeqq.* Quarta pœna eſt, ſi vidua tutrix filiorum, contra juramentum præſtitum non contrahendi ſecundas nuptias in ſuſceptione tutelæ, ad illas tranſierit, antequam à Judice tutelam filiis petat, & rationem reddat ſuſceptæ tutelæ, & exolvat, quidquid debuerit, omnes pœnas incurrit, quæ Jure ſunt ſtatutæ in mulierem ſecundò nubentem, intra annum luctûs, ut decernitur in *Auth. De nuptiis §. Si autem tutelam. c. 40. coll. 8. & Auth. Eisdem pœnis. C. De ſecundis nuptiis, Sanch. cit. diſ. 88. n. 13.* Quinta pœna eſt, ſi mulier relicta ſit à viro executrix Teſtamenti, amittit illud munus, ſi ad ſecundas nuptias transeat, quia officium Tutelæ, & executionis Teſtamenti æquiparantur, *Sanch. cit. diſ. n. 14.* Sexta pœna eſt, quamvis filii apud matrem viduam educari debeant, *l. 1. C. Ubi pupilli educ. deb.* eo tamen jure privatur, ſi tranſeat ad ſecundas nuptias, *Sanch. c. l. n. 16.* & pluribus *ſeqq.* Plures alias pœnas refert idem *Sanch. c. l. n. 22.* & pluribus *ſeqq.* quarum tamen quædam incertæ ſunt, nec ſatis probari poſſunt.

X. Quæritur 4. An pœnæ in favorem filiorum prioris

Digitized by Google

prioris matrimonij Jure Civili statutæ in viduas secundò nubentes, post annum luctûs, sint correctæ per Jus Canonicum? Resp. non esse correctas, quippe quæ in favorem filiorum sunt statutæ, adeóque servandas esse in utroque foro, *Sanch. cit. dis.* 88. *n.* 39. & alij apud ipsum. Ratio est, quia hujusmodi pœnæ non sunt merè pœnæ, sed potiùs provisio, seu dispositio Jutis, in favorem filiorum; quia fæpissimè contingit, ut parentes post transitum ad secundas nuptias, amore posterioris conjugij allecti, odio prosequantur filios prioris matrimonii, ideóque illos, in quantum possunt, bonis privare volunt, ut ea relinquant posteriori conjugi. Plures alias quæstiones circa hanc materiam fusè tractat *Sanch. l.* 7. *dis.* 89. & 2. *seqq.* quæ apud ipsum legi possunt.

§. III.

An secunda nuptia sint benedicendæ, & quam pœnam incurrat Sacerdos benedicens?

XI. Præmittendum 1. Benedictiones nuptiarum convenientissimè ab Ecclesia adhibentur. Unde Concilium Tridentinum *Sess.* 24. *de matr. can.* 11. eos, qui benedictiones, & alias cæremonias in nuptiis adhiberi consuetas damnant, anathemate ferit. Sunt autem eæ institutæ, tum ad Sacramenti honorem, & dignitatem, tum ad actus matrimonii ritè peragendos, & ut in iis appetitus carnis teftrænetur, *Sanch. l.* 7. *de matr. dis.* 82. *n.* 1.

Præmittendum 2. Præterea idem Concilium *Sess.* » 24. *c.* 1. *de reform.* §. *Præterea*, inprimis hortatur, » ut conjuges, ante benedictionem Sacerdotalem in » templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent, statuitque, benedictiones has à proprio » Parocho fieri debere: neque à quoquam alio, nisi » à proprio contrahentium Parocho, vel ab Ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendam, alii Sacerdoti concedi posse, non obstante quâcunque consuetudine etiam immemoriali (quæ potiùs corruptela dicenda est) vel privilegio. Quòd si quis Parochus, vel alius Sacerdos, sive regularis, sive sæcularis sit, etiamsi id ex » privilegio, vel immemoriali consuetudine, licere contendat, alterius Parochiæ sponsos, sine illorum Parochi licentia, matrimonio conjungere, » aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi, à quo benedictio suscipienda erat, absolvatur. Poterit autem hanc benedictionem impertire Parochus, sive viri, sive mulieris, quia eodem verborum tenore in Trident. *c. l.* exigitur, ut proprius Parochus interfit matrimonio, & ut benedictionem conferat, sicut ergo ad prius sufficit Parochus utriúsque contrahentis, ita & ad posterius, *Sanch. c. l n.* 4.

Præmittendum 3. Est autem præceptum recipiendi benedictiones has nuptiales, ut colligitur ex *c. Nostrates.* 3. & *c. Sponsus. 5. causf.* 30. *q.* 5. Idque approbat Ecclesiæ consuetudo, juxta quam sponsi in omnibus Diœcesibus compelluntur benedictiones nuptiales recipere, quod non posset fieri, si solùm esset consilium, ut fatentur omnes DD. apud *Sanch. cit. dis.* 82. *n.* 6. ubi addit, esse peccatum mortale, si ex contemptu omittantur, qui tunc fieri censetur, quando quis omitteret has benedictiones, quia eas nihili facit, ac si essent res viles, & vanæ; quamvis aliàs probabiliter secundùm se, non sit peccatum mortale, si ex mera negligentia omittantur, quia non sunt Sacramentum, sed Sacramentale quoddam, nec tanti momenti, quanti sunt Sacramentalia, quæ præmittuntur ante Baptismum, *Sanch. c. l.* His prætermissis.

XII. Quæritur nunc, an secundis nuptiis fit impertienda benedictio, & quam pœnam incurrat Sacerdos benedicens? De utraque hæc quæstione extant duo Capitula in hoc Titulo. Et inprimis in *c. Capellanum.* 1. statuitur, secundas nuptias non » esse benedicendas, & benedicentem puniendum » esse: nam cùm quædam mulier, ut refert *Gl. in* » *casu*, mortuo viro suo, ad secundas nuptias transijsset, quidam Capellanus (sive Rector Parochiæ) » eaſdem benedixit: sed quia secundæ nuptiæ benedici non debent, quæsitum fuit, qualiter dictus » Sacerdos puniri debeat? Respondet Papa Alexander III. & mandat Episcopo, ut Capellanum, » qui benedictionem mulieri secundò nubenti impertivit, ab officio, & beneficio suspendat, & sic » suspensum, cum litteris Episcopi, ad Sedem Apostolicam destinet, seu pro absolutione mittat. »

Similiter in *c. Vir autem.* 3. *eod. tit.* rescribit Papa Urbanus III. quòd vir, vel mulier ad bigamiam » transiens (hoc est, ad secundas nuptias, per quas » solet contrahi bigamia, *Hostiens. hic V. Ad bigamiam*) non debet à Presbytero benedici, quia cùm » aliâ vice (in primis nuptiis) jam sint benedicti, » non debet eorum benedictio iterati. »

XIII. Pro declaratione utriúsque hujus cap. notandum 1. Si uterque, vel alter conjux in primis nuptiis benedictionem accepit, non debet in secundis nuptiis benedictio impertiri: secus autem, si neuter conjux in primis nuptiis benedictionem accepit, *Sanch. cit. dis.* 82. *n.* 15. Ratio est, quia cùm uterque, vel saltem alter conjux in primo matrimonio fuit benedictus, non debet iterum benedici in secundo, quia benedictio nubentium non debet reiterari; videretur enim quasi Sacramentum hujusmodi non fuisse collatum, vel quòd inefficax omnino fuisset, & sic fieret ei injutia, *Gl. in cit. c. Vir autem. V. Iterari.* Alia ratio, cur secundæ nuptiæ non sint benedicendæ, redditur à *S. Thom. in* 4. *sentent. dis.* 42. *q.* 3. *art.* 2. *ad* 2. quia scilicet, quamvis secundum matrimonium in se consideratum sit perfectum Sacramentum, habet tamen aliquem defectum Sacramenti, quia non plenè significat conjunctionem unius cum una, sicut primum matrimonium significat conjunctionem Christi cum una Ecclesia; & ideo secundum matrimonium non benedicitur, *Fagn. in cit. c. Vir autem. n.* 5. *h. t.* nam conjuges sunt benedicti in secundis nuptiis, si vel alter ipsorum tantùm fuerit benedictus in primis, ut constat ex *cit. c. Vir autem. Abbas ibid. n.* 3.

XIV. Notandum 2. Quod dictum est, secundas nuptias non esse benedicendas, id intelligendum est, juxta *S. Thom. c. l.* quando nuptiæ sunt secundæ, & ex parte viri, & ex parte mulieris, vel ex parte mulieris tantùm; si enim virgo contrahat matrimonium cum illo, qui priùs aliam uxorem habuit, secundæ nuptiæ iterum benedicuntur; salvatur enim tunc aliquo modo significatio conjunctionis Christi cum Eccle-

Digitized by Google

Ecclesia, etiam in ordine ad primas nuptias: idq; servari in praxi, testatur *Covarr. in 4. Decret. p. 2. c. 8. §. 11. n. 2.* Sed hoc repugnat *citato c. Vir autem.* ubi dicitur, secundas nuptias non esse benedicendas, etiamsi unus tantùm ipsorum conjugum fuerit benedictus in primis nuptiis, quia cùm benedictio nuptialis sit communis marito, & uxori, si vel unus eorum tantùm fuit benedictus in primis nuptiis, non debet ea benedictio iterari in secundis, quia iteraretur in persona jam aliàs benedicta, ut notat *Abb. in cit. c. 3. n. 3. in fine, & Fagn. ibid. n. 6.*

XV. Ex dictis patet, quæ sit vera ratio, ob quam prohibetur benedictio conjugũ in secundis nuptiis, non enim prohibentur benedici ad exhortationem continentiæ, & relinquendas secundas nuptias, quia hæ Jure Pontificio non improbantur: neq; etiam ne Sacramenta reiterentur, tum quia ea benedictio non est Sacramentum: tum etiam quia sola Sacramenta, quæ imprimunt Characterem, non reiterantur: neq; etiam quòd benedictio semel accepta permaneat, & conjux, qui illam accepit, eam communicet alteri illâ carenti: sicut aqua non benedicta permixta aquæ benedictæ tota fit benedicta, *c. Quòd in dubiis. 3. de consecr. Eccles. vel Altar.* quia licèt vir uxori communicet actiones spirituales, *c. Martinus. 4. de cognat. spirit.* non tamen passiones. *Abb. in cit. c. 3. n. 3. h. t.* Vera igitur ratio est, quòd sive nuptiæ sint secundæ, ex parte viri, sive ex parte fœminæ, sive ex parte utriúsque, sola benedictio in primis nuptiis accepta prohibetur, ne ea iteretur in secundis: idq; ne iteretur benedictio in persona semel benedicta, cùm in illa benedictio maneat, & neuter conjux absque altero, benedici possit: indecens enim esse videtur, ut solemnes rerum, vel personarum benedictiones, quales sunt consecratio Ecclesiæ, Altarium, Virginum, vel nuptiarum, in eadem persona iterentur, ne vilipendantur, quæ ratio redditur in *cit. c. Vir autem*: neque verò ideo dicitur in numero plurali, *quia cum alia vice benedicti sint*, quasi benedictio unius conjugis alteri communicetur, ut quidam putant, sed ut sive vir, sive mulier in primis nuptiis benedictionem receperint, ea in secundis nuptiis non iteretur in persona semel benedicta, *Abb. in cit. c. Vir autem. n 3. Alex. de Nævo n. 4. Sanch. l. 7. de matr. dis. 82. n. 15. & 16.*

Neque verò textus Juris prohibentes secundas nuptias benedici, sunt correcti per Concil. Trident. *cit. sess. 24. c. 1.* ubi simpliciter est constitutum, nuptias esse benedicendas: quia id intelligendum est de primis nuptiis, non autẽ de secundis: vel si etiam de his, in casu non prohibito per Jus Canonicum, *Menoch. de arbit. Jud. casu 417. n. 2. Sanch. cit. dis. 82. n. 17.*

XVI. Notandum 3. Pœna, quam incurrit Sacerdos benedictionem impertiens secundis nuptiis, est suspensio ab officio, & beneficio, juxta *c. 1. h. t.* quæ tamen non est suspensio ipso jure lata, sed à Judice ferenda, quia hîc tantùm præcipitur Episcopo, ut ipsum suspensum remittat ad Pontificẽ absolvendum. Quam pœnam esse ordinariam imposĭtam benedictioni secundarum nuptiarum jure interdictæ, putant plures DD. apud *Sanch. cit. dis. 82. n. 27. & 29.* Alij verò apud eundem *ibid. n. 30.* dicunt, eam suspensionem non esse pœnam ordinariam, sed arbitrariam imponendam esse, id est, arbitrio Superioris commissam, pro loci consuetudine, & qualitate delicti, quã ait esse frequentiorem, & veriorem DD. sententiam. Quare textum in *cit. c. 1. h. t.* intelligunt, quando imponditur benedictio secundis nuptiis, nondum dissoluto primo matrimonio, sed initis priore conjuge adhuc superstite, quia non est verisimile, tam gravem pœnam esse impositam pro tam levi delicto, *Abb. in cit. c. 1. n. 5. & Alex. de Nævo n. 5.* Quamvis addant, hoc non patere ex lectione antiqua, *Diaz. in pract. Can. crim. c. 78.* Alij verò dicunt, etsi intelligatur dictum cap. 1. de benedictione secundi matrimonii legitimè contracti, Pontificem tamẽ statuisse eam pœnam in facto illo speciali, nec constituisse ibi jus, ut ea sit pœna ordinaria hujus delicti. *Abb. in cit. c. 1. n. 5. & Alex. de Nævo ibid. n. 5. Sanch. c. l. in fine.*

XVII. Notandum 4. Spectarã verò consuetudine, an & quando liceat benedicere secundas nuptias, aliqui dicunt apud *Sanch. cit. dis. 82. n. 22.* in praxi recepium esse, ne secundis nuptiis benedictio impertiatur, si uterque conjux, vel sola femina in primis nuptiis benedictionem accepit: secus si sola fœmina non fuscepit: nam quando nulla benedictio, nec ex parte viri, nec fœminæ in primis nuptiis est impertita, tunc ipsum Jus in secundis benedictionẽ permittit, & sic de consuetudine non est curandum. Alij verò censent, cõsuetudine nunc servari, ut semper conferatur benedictio in secundis nuptiis, quatenus cumque sint secundæ, ex parte viri, vel fœminæ, quando alteruter conjux in primis nuptiis benedictionem non accepit, sive sit vir, sive fœmina: ac proinde spectatã hodiernã consuetudine, sola secundarum nuptiarum benedictio prohibetur, quando uterque conjux illam accepit in primis nuptiis: nam ea consuetudo approbata est in Extravagante *Concertationi* Joann. XXII. quæ nondum typis edita est, sed relectur apud *Sanch. c. l. n. 23.* in qua declaratur, quòd licèt vir, vel mulier ad secundas nuptias transiens benedici non debeat, cùm aliàs sit benedictus; contrahens tamen secum benedici debet: quia si forsitan alter eorũ, vel ambo ad secundas nuptias transeuntes in primis benedicti non fuerunt, danda erit illis benedictio in secundis, & sic ubiq; servari ajunt DD. allegati apud *Sanch. c. l.* quamvis talis consuetudo, ut in secundis nuptiis benedictio impendatur, quando alter solus in primis benedictionem accepit, non obliget sub præcepto, sed possunt tunc benedictiones omitti in secundis nuptiis, ut notat *Sanch. c. l. n. 24.*

XVIII. Illud postremò hîc addendum, licèt *Gl. in cit. c. Vir autem in fine, & Joann. Andr. ibid. n. 7. Hostiens. V. Benedici. & Abb. not. ult. &* alij apud *Sanch. cit. dis. 82. n. 18.* putent, consuetudinem circa benedictionem secundarum nuptiarum non valere, nisi ea, sciente S. Pontifice, imò etiam ex certa scientia eam approbante, sit inducta: contrariũ tamen est probabilius, quòd nec in Sacramentalibus requiratur, ut cõsuetudo inducatur sciente, vel approbante S. Pontifice, sed posse etiam ipso ignorante, illam induci, per quam lex aboleatur, & transgredientes à culpa excusentur, quia in *cap. fin. de consuetud.* generaliter decidit ur, consuetudinem rationabilem, & legitimè præscriptam habere vim abrogandi quamcunque legem, etiam Principe ignorante, cujus scientia ibi non requiritur, neque major ratio discriminis reperitur in Sacramentalibus, *Sanch. c. l. n. 20.* & alij apud eundem, ubi *n. 28.* addit, reservationem talis suspensionis Papæ factam jam esse sublatam.

INDEX

INDEX GENERALIS
SYNOPTICUS, ET METHODICUS
RERUM, ET QUÆSTIONUM, QUÆ IN TITULIS LIBRI IV. DECRETALIUM CONTINENTUR.

TITVLVS I.
DE SPONSALIBUS, ET Matrimoniis.

SECTIO I. *De Sponsalibus de futuro.*

SPonſalia accipiuntur ttipliciter. 1. Minùs propriè pro arrha, & muneribus, quæ à ſponſo ſponſæ dantur. 2. Pro matrimonio rato, & nondum conſummato: & hæc dicuntur ſponſalia de præſenti. 3. Magis propriè pro futura matrimonii promiſſione, quæ dicuntur ſponſalia de futuro, *n.* 1.

§. I. *Quid ſint ſponſalia, & qua formâ, ſeu modo contrahantur?*

ASSERTIO I. Sponſalia ſunt futurarum nuptiarum mentio, & repromiſſio, quæ promiſſio non debet eſſe merè interna, ſed per verba externa, vel aliud ſignum manifeſtativum conſenſûs interni debet eſſe expreſſa. *n.* 2. Requiritur autem promiſſio non ſimplex, ſed mutua, ſeu reciproca utriuſque partis contrahentis. *n.* 3. Et plenè deliberata, qualis deliberatio requiritur ad votum. *n.* 4. Nec debet eſſe ficta, ſed vera, & ſeria promiſſio. *n. eod.* Cùm ſponſalia ſint promiſſio futuri matrimonij, ſequitur, quòd concubitus cum alieno ſponſo, vel ſponſa non ſit adulterium. *n.* 5. Non tamen abſolutè neceſſarium eſt, ut ſponſalia præcedant matrimonium. *n.* 6. Aſſ. 2. Per quæ verba, aut ſigna contrahantur ſponſalia? *n.* 7. Si verba, quibus promittitur matrimonium, ſint dubia, ea ſecundùm communem verborum ſenſum ſunt intelligenda. *n.* 8. Interdum ſigna ſuppleni in ſponſalibus verborum vices. *n. eod.*

§. II. *Quinam ſint habiles, vel inhabiles ad ſponſalia contrahenda, vel matrimonium?*

ASSERTIO I. Generatim loquendo, ab illis ſolis poſſunt contrahi ſponſalia, inter quos aliquando conſiſtere poteſt licitè, & validè matrimonium. *n.* 9. Aſſ. 2. in ſpecie ſponſalia, & matrimonia à furioſis, & amentibus, ſive etiam cum illis contracta non valent. *c. Dilectus* 14. *h. t.* ob defectum pleni, & deliberati conſenſûs, niſi furioſi lucida intervalla habeant. Similiter neque ab ebrijs *n.* 10. Aſſ. 3. Surdus tantùm, vel mutus tantùm, imò etiam ſurdus ſimul, & mutus poſſunt contrahere ſponſalia, vel matrimonium, quia quicunque non prohiberur, admittitur. *c. Cùm apud.* 23. *h. t.* Quòd ſi ſimul ſit ſurdus, mutus, & cœcus, moraliter loquendo, & ordinariè non poteſt contrahere ſponſalia, vel matrimonium. *n.* 11. Quo ſenſu Edictum de matrimonio contrahendo ſit prohibitorium, vel permiſſorium? *n. eod.* Matrimonium contrahitur per legitimum viri, & mulieris conſenſum, verba autem exprimentia conſenſum de præſenti ſunt neceſſaria, quantum ad Eccleſiam, *c. Tua* 15. *h. t. n.* 12. declaratur *n.* 13. & 14.

§. III. *Quomodo, & quando obligent ſponſalia, & an etiam obligent, ſi gravi metu ſint extorta?*

ASSERTIO I. Sponſalia etſi clam, & ſine teſtibus contracta obligant ex juſtitia ſub culpa lethali ad matrimonium contrahendum. *n.* 15, Aſſ. 2. Sponſalia obligant ad matrimonium contrahendum, tempore à contrahentibus præfixo: ſi autem nullum certum tempus ſit conſtitutum, tenetur quiſque contrahere, ſi alter petat, quamprimùm commodè poteſt. *n.* 16. Aſſ. 3. qui ſine legitima cauſa recuſat implere ſponſalium fidem, is poteſt poſt monitionem, per cenſuras cogi ad contrahendum matrimonium, ſive ſponſalia fuerint jurata, ſive non, niſi gravia mala, & ſcandala inde timeantur, *c. Ex litteris* 10. *h. t. num.* 17. & 18. Aliquando tamen, qui cum juramento promiſit contrahere matrimonium cum aliqua, moneri potiùs debet, quàm compelli ad contrahendum, *c. Requiſivit.* 17. *h. t. num.* 19. & 20. Aſſ. 4. Probabilius eſt, ſponſalia de futuro, etiam per gravem metum injuſtè incuſſum contracta, eſſe valida, donec per Judicis ſententiam reſcindantur, *n.* 21.

§. IV. *An ſponſalium contractui adjici poſſit pœna, vel arrha?*

ASSERTIO I. Pœna propriè dicta, quæ conſiſtit in patrimonio diminuendo ſolvenda per eum, qui frangit fidem, adjecta ſponſalibus eſt utroque jure irrita, Civili, & Canonico, *c. Gemma* 29. *h. t. n.* 22. etiamſi pœna ſit promiſſa à parentibus, vel conſanguineis. Pœna autem inter omnino extraneos ipſis ſponſis valida eſt: neque talis pœna juramento firmari poteſt. *n.* 23. Item irrita eſt adjectio pœnæ, ſive quis ex juſta cauſa à ſponſalibus reſiliat, ſive injuſtè, quamvis etiam probabile ſit, quòd debeatur pœna ſponſalibus adjecta, ſi quis injuſtè ab illis reſiliat, *cit. n.* 23. Promiſſa verò pœna impropriè dicta, quæ conſiſtit in lucro amittendo, appoſita ab ipſis contrahentibus irrita eſt, non item ſi appoſita ſit ab alijs. *n.* 24. Aſſ. 2. Non tantùm Jure Civili, ſed etiam Canonico intervenire poſſunt arrhæ in ſponſalibus. *n.* 25. & cur ſponſalibus, adijci poſſint arrhæ, non autem pœna? *n. eod.*

§. V. *Utrùm ſponſalia clandeſtina jure novo ſint irrita, & quomodo tranſeant in matrimonium?*

ASSERTIO I. Non eſt neceſſarium etiam poſt Concil. Trid. ut ſponſalia de futuro coram parocho, & teſtibus contrahantur, ſed etiam clam contracta ſunt valida, imò & licita, per ſe loquendo. *n* 26. Aſſ. 2. de jure antiquo Canonico, ſponſalia de futuro per ſecutam copulam carnalem tranſeunt in matrimonium,

nium, *c. Is qui* 30. *& c. Veniens. 15. h. t.* ubi habetur, quòd ſponſalia de futuro cum una contrahens, & poſtea cum alia de præſenti, debet manere cum ſecunda, niſi cum prima rem habuerit, vel cum ſecunda ex gravi metu contraxerit. *n.* 27. Idque procedit etiam nunc in locis, in quibus decretum Concilij Trident. *Seſſ. 24. de ref. matr.* non eſt receptum; ubi verò eſt receptum, & promulgatum quoad matrimonia clandeſtina, non habent locum præſumpta matrimonia. *n.* 28. Quòd ſi poſt ſponſalia de futuro non ſequatur copula, ſed ſolùm niſus, ſeu conatus ad illam, non eſt matrimonium præſumptum, *c. ult. h. t. n.* 29. Solvitur objectio *n.* 30.

§. VI. *De impedimento publicæ honeſtatis proveniente ex ſponſalibus de futuro.*

Quæſt. 1. Quid ſit impedimentum publicæ honeſtatis? Reſp. eſt quædam quaſi affinitas, ſeu propinquitas jure Eccleſiaſtico introducta, proveniens ex ſponſalibus de futuro, ob publicam honeſtatem morum, *cit. n.* 30. Quæſt. 2. An ſponſalia à pubere contracta cum puella minore ſeptennio pariant publicæ honeſtatis juſtitiam? Reſp. ſi major ſeptennio cum puella proxima ſeptennio, in qua malitia ſupplet ætatem, contrahat ſponſalia de futuro, oritur juſtitia publicæ honeſtatis. *c. Iuvenis. 3. h. t.* maximè ſi carnalem copulam attentârunt, *n.* 31. & 32. Quæſt. 3. An impedimentum publicæ honeſtatis oriatur ex ſponſalibus invalidis? Reſp. hoc impedimentum jure antiquo Canonico, oritur ex ſponſalibus contractis inter conſanguineos, quamvis nulla ſint, ſeu invalida, etiamſi intervenerit juramentum, *c. Ad audientiam. 4. h. t. n.* 33. Extenditur autem hoc impedimentum uſque ad quartum gradum inclusivè, *c. Sponſam. 8. h. t. n.* 34. Quæſt. 4. Utrùm ex ſponſalibus puris, & certis, etſi invalidis, & an ex incertis, & conditionalibus inducatur impedimentum publicæ honeſtatis, ac juſtitiæ? Reſp. impedimentum hoc oritur ex ſponſalibus puris, & certis, licèt illa ſponſalia ſint nulla, non tamen ex defectu conſenſûs, ſed ex alio capite, v. g. conſanguinitatis, affinitatis, vel Religioſæ profeſſionis, *c. Un. h. t. in 6. n.* 35. *& 36.* Item per poſteriora ſponſalia inita cum perſona conſanguinea prioris ſponſi, aut ſponſæ non oritur impedimentum publicæ honeſtatis ditimens priora ſponſalia de futuro. *n.* 37. Ex ſponſalibus contractis cum aliqua ſub conditione de futuro non oritur impedimentum publicæ honeſtatis ante impletam conditionem, *n.* 38. Verùm hodie poſt Concil. Trident. *Seſſ. 24. c. 3. de reform. matr.* oritur hoc impedimentum tantùm ex ſponſalibus de futuro validis: neque ſponſalia etiam valida excedunt primum gradum conſanguinitatis, tam in linea rectâ, quàm tranſverſâ, *num.* 39.

SECTIO II. *De diſſolutione ſponſalium.*

§. I. *Quas ob cauſas diſſolvi poſſint ſponſalia de futuro?*

Quæſt. 1. An ſponſalia de futuro mutuo conſenſu contrahentium diſſolvi poſſint? Reſp. ſponſalia puberum etiam legitimè contracta poſſunt per mutuum ſponſorum diſſenſum diimi. Idque extenditur etiam ad ſponſalia juramento confirmata. *n.* 40. Requiritur tamen, ut ſponſi ſimul mutuo conſenſu liberè, & non coactè ſponſalia contracta diſſolvant. *n.* 41. Quòd ſi ij, qui ſponſalia contraxerunt, purè, & ſine conditione, fide hinc inde datâ, deinde nolint matrimonium contrahere, admoneridi ſunt, ut datam fidem ſervent, non autem cogendi, ſed tolerandi, ne deterius aliquid contingat, nempe ut illam quis ducat, quam odio habet, *c. 2. h. t. n.* 42. Aliter explicatur idem cap. *n.* 43. Quæſt. 2. An, & qua ratione diſſolvantur ſponſalia priora per poſteriora? Reſp. ſponſalia de futuro, etiam jurata diſſolvuntur per ſecunda ſponſalia cum aliâ contracta de præſenti, non autem per ſecunda de futuro. Item ſponſalia de futuro diſſolvuntur, elapſo tempore ad contrahendum matrimonium, præfixo *c. Sicut.* 22. *h. t. n.* 44. *&* 45. Duobus autem modis poteſt tempus adjici ſponſalibus ad contrahendum matrimonium: vel ad reſtringendam, ſeu finiendam obligationem, ita ut niſi intra id tempus matrimonium contrahatur, reſilire liceat. Vel ad ſtatuendam, ſive exequendam obligationem, nimirum ut nuptiæ tunc executioni mandari debeant, prout declaratur, *n.* 46. Quæſt. 3. An diſſolvantur ſponſalia de futuro propter diſcenſum, vel abſentiam ſponſi? Reſp. Si ſponſus diſcedat in partes remotas, ſine licentia ſponſæ, liberum eſt ſponſæ alteri nubere: ſi tamen per eam ſtetit, quominùs matrimonium conſummaretur, pœnitentia ei imponenda eſt, *c. De illis. 5. h. t. n.* 47. Idque declaratur. *n.* 48. Si ſponſus abſit, ob causam neceſſariam, expectandus eſt, donec juſtum impedimentum ceſſet: ſi verò ob juſtam cauſam voluntariam abſit, ſecundùm Jus Civile expectandus eſt per biennium, ſi intra Provinciam; per triennium verò, ſi extra Provinciam verſetur, *cit. n.* 48. quæ leges non ſunt correctæ per Jus Canonicum, *n.* 49.

§. II. *An, & qua ratione diſſolvantur priora ſponſalia de futuro per ingreſſum Religionis, vel ſuſceptionem Sacri Ordinis?*

ASSERTIO 1. Sponſalia de futuro per ingreſſum Religionis approbatæ diſſolvuntur, ſecutâ profeſſione, *n.* 50. Dubitatur autem 1. An per ingreſſum Novitiatûs, etiamſi profeſſio non ſit ſecuta, ſolvantur ſponſalia? Reſp. pars remanens in ſeculo liberatur ab obligatione ſponſalium, ita ut poſſit cum alio matrimonium contrahere. At verò probabilius eſt, quòd is, qui Religionem ingreſſus eſt, ſi iterum egrediatur, cogi poteſt, ut fidem ſponſaliorum impleat, ſi ſponſus, vel ſponſa remanens in ſeculo ita voluerit, nec interim alia ſponſalia inierit. *cit. n.* 50. Dubitatur 2. An per votum ingrediendi Religionem, ac profitendi diſſolvantur penitus ſponſalia priùs inita, etiam jurata? Reſp. diſſolvi, adeoquè talis ſponſus poteſt Religionem ingredi, non priùs contracto matrimonio. *n.* 51. Excipi debet, niſi neceſſitas cogeret ad priùs contrahendum matrimonium, quia ſponſa aliàs gravem infamiam incurreret. *n. eod.* Is verò, qui juravit matrimonium contrahere cum aliqua, ſi vult ingredi Religionem, tutius eſt, ut priùs contrahat cum illa, ut ſeriver juramentum, & poſtea ante copulam carnalem Religionem ingrediatur, *c. Commiſſum. 16. h. t. n.* 52. Idque declaratur *n.* 53. Dubitatur 3. An ſiquis non ſolùm ſponſalia cum Virgine contraxit, ſed etiam ſub ſpe matrimonii eam corrupit, poſſit ante contractum, vel conſummatum matrimonium, Religionem ingredi? Reſp. non poteſt, ſed tenetur eam ducere. Sed quid ſi poſt votum

Digitized by Google

votũ Religionis à ſponſo emiſſum ante ſponſalia, is ſponſam corrupit, promittendo ei matrimonium, tenetúrne eam ducere, non obſtante voto? Aliqui affirmant: ſed contraria ſententia non teneri illam ducere eſt communis, & in praxi recepta, *n.* 54. Aſſ. 2. Sponſalia de futuro priùs contracta diſſolvuntur etiam per ſuſceptionem Ordinis ſacri, ſeu majoris, non autem per ſuſceptionem Ordinum minorum. Item probabilius eſt per votum ſacrum Ordinem ſuſcipiendi non dirimi ſponſalia priùs contracta, nec illis aſtrictum poſſe licitè promoveri ad Ordines ſacros, *n.* 55.

§. III. *Utrùm priora ſponſalia de futuro ſolvantur per poſteriora juramento firmata, vel per matrimonium cum alia contractum: & an etiam per ſubſequentem fornicationem ſponſi, vel ſponſæ?*

Assertio I. Per ſponſalia poſteriora non ſolvuntur priora, etiam juramento firmata, quia ſecunda ſunt invalida: ſponſalia tamen inita cum prima ſunt ſoluta, quia illa poteſt recedere, ſi velit, *n.* 56. An ſi cum poſteriore ſponſa ignara priorum ſponſalium carnalis copula ſit ſubſecuta, diſſolvantur priora ſponſalia? *n.* 57. Aſſ. 2. Sponſalia de futuro etiam jurata, ſolvuntur per ſponſalia de præſenti, ſive per matrimonium ſubſequens etiam non conſummatum, validè, etſi illicitè contractum cum alia, ſive juramentum ſit appoſitum, ſive non, *c. Si inter. 31. h. t. n.* 58. Eſt autem probabilius hoc caſu ſponſalia per matrimonium ſubſequens cum alia contractũ omnino extingui, & non tantùm ſuſpendi, *n.* 59. Aſſ. 3. Solvuntur ſponſalia etiam jurata per ſequentem fornicationem ſive ſponſi, ſive ſponſæ, ita ut innocens habeat jus ea reſcindendi, non autem nocens: quod etiam obtinet in fornicatione ſpirituali, ſi alterutra ſponſus in hæreſim incidat, *n.* 60. Quibus caſibus ſponſus poſſit, poſt fornicationem ſubſequentem, reſilire à ſponſalibus de futuro priùs contractis, non autem ſponſa, *n.* 61. & 62.

§. IV. *An, & quâ ratione præterea diſſolvantur ſponſalia, ob ſupervenientem notabilem mutationem, ex parte ſponſi, vel ſponſæ?*

Assertio I. Solvuntur præterea ſponſalia propter quamlibet cauſam, vel notabilem mutationem ſupervenientem poſt ea contracta, etiamſi ſponſalia ſint jurata, *n.* 63. Aſſ. 2. Quænam in ſpecie ſint hujuſmodi mutationes notabiles, ob quas à ſponſalibus recedere licet? *n.* 64. Non ſolùm autem ob notabiles mutationes poſſunt reſcindi ſponſalia, ſi poſt illa, ſed etiam ſi ante illa inita extiterint, ſed ab altero contrahentium fuerint probabiliter ignoratæ, nam ijs poſtea cognitis, poſſunt reſcindi ſponſalia, etiam propriâ auctoritate, ſi cauſa diſſolvendi ſit moraliter certa, & manifeſta, *n.* 65.

Sectio III. *De matrimonio ſecundùm ſe, ejúſque eſſentia.*

Matrimonii quatuor ſunt nomina ſynonima. Vocatur enim matrimonium, nuptiæ, connubium, conjugium, *n.* 66.

§. I. *Quid ſit matrimonium, & quotuplex?*

Assertio I. Matrimonium eſt maris, & fœminæ conjunctio individuam vitæ conſuetudinem retinens, *n.* 67. ubi explicatur hæc definitio. Aſſ. 2. Matrimonium dividitur in legitimũ, ratum, & conſummatum, ſcilicet per carnis copulam, quæ tamen ad ſubſtantiam matrimonii non requiritur, quia nuptias non concubitus, ſed conſenſus facit, *n.* 68. Ad eſſentiam matrimonii non requiritur expreſſus conſenſus in carnalem copulam, ſed ſufficit implicitè, & virtualiter in illam conſentire. Unde verum matrimonium fuit contractum inter B. Virginem, & S. Joſephum, non obſtante voto caſtitatis, quia conſenſit in copulam carnis quoad poteſtatem, ſen actum primum, non autem quoad actum ſecundum, ſeu actualem uſum illius poteſtatis, *n.* 69.

§. II. *De matrimonio, quatenus eſt Sacramentum.*

Quær. 1. An matrimonium ſit verum Sacramentum? Reſp. 1. Matrimonium in lege naturæ, & Veteri Moſaica non fuit Sacramentum proprie dictum, ſed contractus naturalis, *n.* 70. Reſp. 2. Quamvis poſt legem Evangelicam, matrimonium inter infideles contractum non ſit Sacramentum, cùm nullum ſubſiſtat Sacramentum ſine baptiſmo, qui eſt Sacramentorum janua: ſi tamen ambo conjuges ad fidem convertantur, tale matrimonium efficitur Sacramentum, ſtatim ac ambo conjuges baptizantur, ſitque inſolubile, *n.* 71. Reſp. 3. Matrimonium inter fideles, ſeu baptizatos eſt verè, ac propriè dictum Sacramentum novæ legis à Chriſto inſtitutum, quia eſt ſignum rei ſactæ, & viſibile ſignum unionis Chriſti cum ſponſa Eccleſia per charitatem, & conferens gratiam, *n.* 72. Eſt autem à Chriſto approbatum in nuptiis Canæ Galilææ, & inſtitutum, quando illius inſeparabilitatem præcepit. Matth. 19. dicens: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*, vel tempore 40. dierum, quibus poſt reſurrectionem ſuam ſæpius apparuit diſcipulis ſuis, *n.* 73. Reſp. 4. Matrimonium inter fideles, & baptizatos nunquam poteſt iniri ſine Sacramento, nec ab eo ſeparari: quare qui volunt ita contrahere matrimonium, ut nullo modo velint ſuſcipere Sacramentum, nihil agunt, quia ratio Sacramenti ex Chriſti inſtitutione eſt inſeparabiliter annexa contractui matrimonii. Unde etiam Acatholici, non obſtante errore ſpeculativo, quo putant matrimonium non eſſe Sacramentum, ſuſciplunt Sacramentum, ita ut eorum quoque matrimonium diſſolvi non poſſit, ſiquidem habent, vel habere debent intentionem contrahendi matrimonium, eo modo, quo ſolent ab antiquo illud contrahere fideles, & Chriſtiani, *n.* 74. Quær. 2. Quæ ſit materia, & forma Sacramenti matrimonii? Reſp. materia *circa quam*, ſeu remota ſunt ipſa corpora contrahentium, proxima verò, traditio corporum: forma autem eſt mutua acceptatio verbis, vel aliis ſignis expreſſa, ſive potiùs ipſe conſenſus mutuus utriúſque conjugis ſignis externis expreſſus, quatenus habet rationem traditionis, eſt materia, & quatenus habet rationem acceptationis, eſt forma. Vel breviùs, materia Sacramenti matrimonii ſunt corpora conjugum mutuò tradenda, forma verò verba conjugum contrahentium, *n.* 75. Quær. 3. Quis ſit miniſter Sacramenti matrimonii, & an etiam Sacerdos? Reſp. ipſi contrahentes, ſeu conjuges, non Parochus, vel Sacerdos, *n.* 76. declaratur *n.* 77. Quær. 4. Utrùm matrimonium inter abſentes per Procuratorem, vel

per epiſtolam contractum ſit validum, & an ſit Sacramentum? Reſp. 1. matrimonium initum per Procuratorem eſt validum, ſicut & fuit ante Concil. Trident. ſervatis tribus conditionibus expreſſis *n.* 78. Eſt etiam validum in locis, ubi Concilium Trident. eſt receptum, modò contrahentes exprimant ſuum conſenſum coram Parocho, & teſtibus per ſuos Procuratores, tanquam ſuos interpretes: requiritur etiam, ut principalis contrahens compos rationis fuerit, dum mandatum contrahendi dedit Procuratori, nec id poſtea revocaverit, *n.* 79. Reſp. 2. matrimonium per Procuratorem contractum eſt Sacramentum conferens gratiam, *n.* 80. ubi etiam reſpondetur ad objectiones. Reſp. 3. etiam poſt Concil. Trident. validè poteſt contrahi matrimonium per epiſtolam, *n.* 81.

§. III. *De conſenſu requiſito ad matrimonium.*

Quær. I. Quomodo conſenſus internus debeat neceſſariò exteriùs exprimi? Reſp. non ſatis eſt ad valorem matrimonii, ut contrahentes de præſenti in conjugium conſentiant, ſed requiritur quoque, ut hunc conſenſum exprimant, eúmque mutuò acceperint: quamvis non ſit neceſſarium, ut actualis utriúsque conſenſus ſimul exprimatur, modò non nimis longum temporis intervallum inter unius, & alterius conſenſum intercedat, & ejus, qui conſenſit priùs, non ſit revocatus, *n.* 82. Quær. 2. An quando matrimonium fuit irritum, quia alter conjugum fictè, vel gravi metu coactus conſenſit, ſufficiat, ſi hic ſolùm poſtea conſenſum in matrimonium renovet: an verò neceſſe ſit, ut uterque denuo conſentiat? Reſp. probabilius eſt ſatis eſſe, ſi ille, qui illegitimè conſenſit, denuo conſentiat: ſecus eſt, ſi uterque fictè, aut ex gravi metu invalidè conſenſiſſet, *n.* 83. Quær. 3. Si aliqui ſponſalia, vel matrimonium contrahunt per verba obſcura, quomodo ea ſint intelligenda? Reſp. ea intelligenda eſſe ſecundùm communem ſignificationem verborum, ſeu loquendi modum, *c. Ex litteris. 7. h. t. n.* 84. idque declaratur *n.* 85. Quær. 4. An ſit verè matrimonium contractum, quando vir, & mulier ſibi invicem promittunt, quòd ex eo tempore habebunt ſe pro conjugibus, & fidem conjugalem ſervabunt? Reſp. affirmativè, ut conſtat ex *c. Ex parte. 9. h. t. n* 86. idque declaratur *n.* 87. Quær. 5. An matrimonium contractum non ſervatâ lege, vel conſuetudine loci, ſeu Regionis, in qua contrahitur, ſit validum? Reſp. validum eſt matrimonium contractum, licèt conſuetudines, ſeu ſolemnitates patriæ non ſerventur, *c. 1. h. t. n.* 88. & 89.

§. IV. *Utrùm ad valorem matrimonii contracti à liberis neceſſarius ſit conſenſus parentum: & an patria poteſtas ſe extendat ad retinendas uxores filiorum?*

Reſp. matrimonium à liberis utriúsque ſexûs initum, ſine conſenſu parentum eſt validum, nec poteſt à parentibus, vel Magiſtratu irritari, *c. Cùm virum. 12. de Regularib. in 6. n.* 90. Leges verò Civiles exigentes conſenſum parentum ſunt abrogatæ per Jus Canonicum, *n. eod.* Si filius matrimonium contrahat, tenetur priùs conſilium petere à parentibus, quamvis non teneatur illud ſequi, ſed eriam iis invitis contrahere poteſt, *n.* 91. Peccant tamen liberi, ſi abſque juſta cauſa contrahant matrimonium ſine conſenſu parentum: ob juſtam tamen cauſam poſſunt etiam licitè, *n.* 92. Ad poſteriorem quæſtionem reſpondetur, ſi pater injuſtè detineat uxores filiorum, per cenſuram Eccleſiaſticam compelli debet, ut intra certum tempus illas reſtituat, alioquin poteſt interdici Terra, in qua uxores filiorum ſunt, *c. Non eſt. 11. h. t. n.* 93. Etſi verò per matrimonium filii, vel filiæ non eximantur à patria poteſtate, non tamen uxores eorum ſubijciuntur poteſtati ſoceri: unde ſi uxor adhuc in poteſtate patris ſui exiſtens invita ab eo detineatur, poteſt maritus contra patrem agere interdicto ad exhibendam uxorem ſuam, idque apud Judicem Eccleſiaſticum, vel etiam ſæcularem, & petere eam ſibi reſtitui, *n.* 94.

SECTIO IV. *De matrimonio ficto, ſeu ſimulato, & coacto.*

§. I. *An matrimonium fictè contractum ſit validum, & ad quid obligetur, qui fictè contrahit?*

ASSERTIO I. Qui fictè contrahit matrimonium cum muliere, per verba de præſenti, abſque interno conſenſu illam ducendi, ſed ut carnaliter eam cognoſcat, invalidè contrahit, *c. Tua nos. 26. h. t. n.* 95. Ubi tamen diſtinguendum eſt inter forum internum conſcientiæ, & externum, nam in foro interno ſoli confitenti ſe animo ficto fœminam ſibi deſponſaſſe de præſenti creditur, ideóque non eſt judicandum pro matrimonio, ſed contra illud, quòd non ſit verum matrimonium. At verò in foro externo, ſi ex confeſſione conjugum, vel aliàs probari poſſit, virum mulierem ignaram fictionis ipſius in propria perſona deſponſaſſe ſibi, & carnaliter eam cognoviſſe, tum debet judicari pro martimonio, & cenſeri illud validum, non obſtante falſi nominis mutatione, *n.* 96. Aſſ. 2. Fictè contrahens matrimonium per verba de præſenti, ſine interno conſenſu, graviter peccat, non ſolùm contra reverentiam Sacramenti, ſed etiam alteri contrahenti bonâ fide gravem injuriam infert. Sunt tamen plures caſus, in quibus fictè contrahens non obligatur ad matrimonium contrahendum, ſi alio modo damnum reſarcire poſſit, *n.* 97.

§. II. *An matrimonium ex metu contractum ſit validum?*

ASSERTIO I. Matrimonium ex gravi metu contractum in utroque foro eſt irritum, ſi is metus injuſtè, ac directè ad matrimonium extorquendum ſit incuſſus, *c. Cùm locum. 14. h. t. n. 98. & ſeq.* Duplex eſt metus, gravis, & levis, & quibus modis incuti poſſit metus gravis? *n.* 100. Matrimonium gravi metu contractum idcirco etiam eſt irritum, quia adverſatur tribus bonis matrimonii, quæ ſunt fides, proles, & Sacramentum: eſt autem irritum, ſive metus inferatur ab eo, cum quo quis contrahere cogitur, ſive à quocunque alio, ſine culpa, & ſcientiâ metum paſſi. Et debet fœmina, cui vis inferenda timetur, in loco honeſto, ac tuto poni, ubi liberè poſſit conſenſum ſuum exprimere, *n.* 101. Quòd autem matrimonium gravi metu injuſtè incuſſo contractum ſit irritum, conſtat etiam ex *c. Veniens. 15. h. t. n.* 102. Quibus præterea caſibus matrimonium per metum gravem injuſtè incuſſum ad illud extorquendum ſit invalidum? *n.* 103. Aſſ. 2. Matrimonium ex gra-

Digitized by Google

ex gravi metu juſtè incuſſo contractum eſt validum, etiamſi is metus directè ad extorquendum matrimonium incutiatur, ſive à lege, ſive à Judice, vel homine privato, *n.* 104. Aſſ. 3. Matrimonium contractum ex gravi metu injuſtè incuſſo, non tamen ad extorquendum matrimonium eſt validum, ſive metus proveniat à cauſa naturali, ſive libera, *n.* 105. Aſſ. 4. Matrimonium metu gravi initum eſt irritum, non Jure Divino poſitivo, nec Jure naturali, ſed ſolo Jure Eccleſiaſtico, *n.* 106. Deducuntur ex dictis quædam corollaria, *n.* 107. Meretricem publicam extrahere è lupanari, & ducere in uxorem, eſt opus miſericordiæ, & tali dantur Indulgentiæ pro remittenda pœna temporali adhuc debita, *c. Inter opera.* 20. *h. t. n.* 108. Non omnis violentia, ſeu metus reddit matrimonium contractum irritum, *c. De mulier.* 6. *h. t.* Nam duplex eſt vis, ſive metus, unus gravis, qui reddit matrimonium irritum, niſi poſtea de novo conſentiant conjuges: alter vanus, & improbabilis, qui non impedit matrimonium, *num.* 109.

§. III. *An ſi mulier in vita cum aliquo matrimonium contraxit, valeat matrimonium, ſi alteri poſtea nubat. Item an matrimonium metu gravi contractum per ſpontaneam cohabitationem ratificetur, & convaleſcat?*

Si mulier coacta, & invita in uxorem ſit ducta, valet poſterius matrimonium, non obſtante priore matrimonio, quippe quod metu gravi contractum, ipſo jure, nullum fuit, niſi metus per ſubſequentem conſenſum mulieris fuerit purgatus, antequam ſecundum matrimonium contraheretur, *c. Veniens.* 13. *h. t.* At verò mulier illa in caſu hujus cap. non potuit validè contahere poſt contracta ſponſalia jurata cum adoleſcente, ob impedimentum conſanguinitatis inter eos intercedens, ideóque ab Epiſcopo ſunt ſeparati: potuit autem liberè nubere illi, cui parentes illam deſponſare volebant, poſtquam ab adoleſcente ſeparata fuit ob conſanguinitatem inter eos intercedentem. Illud verò matrimonium, quod dicta mulier poſtea cum tertio iniit, validum fuit, *n.* 110. *& ſeq.* Licèt matrimonium gravi metu contractum ſit ipſo jure nullum, per ſpontaneam tamen cohabitationem utriúsque conjugis illud convaleſcit, & ratificatur, *c. Ad id.* 21. *h. t. n.* 112. *&* 113. Quæ requirantur, ut cohabitatio conjugum ſit ſufficiens indicium conſenſûs conjugalis? *cit. n.* 113.

§. IV. *An ſi mulier neget, ſe in matrimonium conſenſiſſe, ſit ei fides habenda. Vel ſi probare velit, ſe per metum gravem ſibi illatum conſenſiſſe, ſit audienda?*

Mulieri, quæ negat ſe in matrimonium conſenſiſſe, non eſt credendum, ſi maritus contrarium probet per idoneos teſtes: ſecus ſi mulier probet ſe conſenſiſſe per metum, qui poteſt cadere in conſtantem virum, *c. Conſultationi.* 28. *h. t. n.* 114. Si mulieres non ante, ſed poſt catnis copulam aufugiunt à viris aſſerentes ſe non verè conſenſiſſe in matrimonium, non ſunt audiendæ, niſi probatum fuerit eas invitas eſſe detentas, *n.* 115. Minor autem metus excuſat feminam, quàm virum, & quis metus dicatur cadere in virum, reliquendum eſt Judicis arbitrio, *cit. n.* 115. Mulieres metum paſſæ, qui cadere potuit in conſtantem virum, audiendæ ſunt, non ut Judex reſcindat matrimonium metu initum, ſed ut declaret eſſe irritum, *n.* 116.

§. V. *Vtrùm matrimonium ex levi metu contractum ſit irritum, & an contractum ex metu reverentiali?*

Ad priorem quæſtionem Reſp. probabiliuseſt matrimonium ex metu levi initum non eſſe irritum, ſed validum, *n.* 117. Quamvis oppoſitum etiam ſit probabile, videlicet matrimoniû contractum ex levi metu, ita ut contrahens nullo pacto conſentiret, niſi metu eſſet inductus, eſſe irritum, ſaltem in foro conſcientiæ, quamvis in foro externo non irritetur tale matrimonium, *n.* 118. Ad poſteriorem quæſtionem dicendum, matrimonium initum ex metu reverentiali erga patrem, vel ſuperiorem, non eſſe irritum, ſed validum, niſi conjunctæ ſint graves minæ, vel periculum gravis, ac diuturnæ offenſionis patris, aut talis perſonæ, à qua vita, fortunáque hominis plurimùm pendet. Idémque dicendum de precibus importunis, niſi inferant metum gravem, *num.* 119.

§. VI. *An matrimonium gravi metu initum confirmetur per juramentum adjectum, vel per copulam ſubſecutam?*

Aliud eſt juramentum eſſe validum, & aliud juramentum confirmare contractum, *n.* 120. Aſſ. 1. Matrimonium gravi metu contractum non fit validum per adjectionem juramenti, *n.* 121. Imò juramentum adjectum matrimonio ex gravi metu contracto non tantùm non confirmat illud, ſed neque parit obligationem ex virtute Religionis, adeoque nec relaxatione indiget, *n.* 122. Aſſ. 2. Quamvis matrimonium gravi metu contractum confirmetur per ſequentem copulam, depoſito metu, omninò liberè, & affectu maritali habitam, non tamen ratificatur per talem copulam ſimili metu extortam, *n.* 123. Contraria tamen ſententia aſſerens per copulam, etſi ex gravi metu affectu maritali habitam, ratificari prius matrimonium coactum, eſt ob DD. auctoritatem probabilis, *n.* 124. Valde quoque probabile eſt, in matrimonio gravi metu contracto, poſſe cogentem in foro conſcientiæ reſilire à matrimonio, invito eo, qui metum paſſus eſt, ante Judicis ſententiam, nec teneri matrimonium perficere, modò pro damno illato per coactionem, alio modo ſatisfieri poſſit, *n.* 125.

Sectio V. *De Vnitate, & indiſſolubilitate matrimonii.*

§. I. *An matrimonium ſit neceſſariò unius viri cum una femina conjunctio, & an, ac quo jure polygamia ſit prohibita?*

Præmittendum eſt, ſemper licitum fuiſſe in Lege Veteri, & nova Evangelica ſecundum, tertium, quartum matrimonium, & ſic deinceps contrahere, poſt mortem primi conjugis, *n.* 126. Aſſ. 1. Polygamia, ſeu matrimonium unius viri cum pluribus uxoribus ſimul initum eſt contra primævam inſtitutionem ejus, & jure naturæ nullum, niſi diſpenſatio Divina interveniat, *n.* 127. Aſſ. 2. Polygamia,

Digitized by Google

sive matrimonium unius fœminæ cum pluribus vitis simul initum est contra primævam institutionem matrimonii, & jure naturæ invalidum, *num.* 128. Ass. 3. Polygamia, sive matrimonium unius viri cum pluribus uxoribus non ita repugnat juri naturali, & institutioni Divinæ, ut tanquam intrinsecè malum, nullo casu cohonestari, ac licitum fieri possit, *n.* 129. Altera verò polygamia, quando una fœmina pluribus viris simul nubit, est quidem magis deformis, & plura incommoda annexa habet, quàm prior, non tamen ita repugnat juri naturali, quin DEVS id per absolutam suam potentiam concedere possit, *n.* 130. Hinc sequitur, quòd S. Pontifex in nullo casu dispensare possit in pluralitate uxorum, ut unus plures simul uxores habeat, & multò minùs ut una fœmina plures simul viros habeat, *n. eod.*

§. II. *Qualis certitudo sit necessaria de morte prioris conjugis, ut possit superstes conjux licite ad alias nuptias transire?*

Non potest mulier secundum matrimonium contrahere, nisi per certum nuntium constiterit de morte prioris viri, *c. In præsentia. 19. h.t. n.* 131. Ubi notandum 1. Non sufficit probabilitas, sed requiritur moralis certitudo de morte vitorum absentium, *n.* 132. 2. quamdiu solùm dubitatur, aut leves tantùm conjecturæ, vel indicia adsunt de morte prioris conjugis, nunquam est licitum cum alio matrimonium contrahere, *n.* 133. 3. neque sufficit verisimilis præsumptio, sed requiritur moraliter indubitata certitudo de morte prioris conjugis, *cit. n.* 133. 4. non sufficit unus testis asserens conjugem absentem esse mortuum, neque etiam sola fama, nisi aliis adminiculis adjuvetur, *n.* 134. 5. valde probabile est, quòd si conjux habeat verisimilem præsumptionem, etsi non omnino certam credendi causam alterum conjugem esse mortuum, possit Confessarius in foro conscientiæ, & pœnitentiali ei permittere, ut ad alias nuptias transeat, quia in moralibus *sæpe* non potest haberi omnimoda certitudo, *n.* 135. Quamvis Judex Ecclesiasticus in tali casu non possit in foro externo dare licentiam transeundi ad alias nuptias, *cit. n.* 135. 6. Licèt si prudenter existimatur adesse moralem certitudinem, vel probabilem præsumptionem de obitu alterius conjugis, non sit necessarium, ut ab Ordinario petatur licentia ineundi aliud matrimonium, tutius tamen est, ut res ad Ordinarium deferatur, imò necessarium, si dubitetur, an adsit certitudo, vel probabilis præsumptio de morte alterius conjugis, *n.* 136. 7. si post contractum secundum matrimonium cognoscatur prior conjugem adhuc vivere, debet matitus, vel uxor redire ad conjugem priorem, *cit. n.* 136. Postremò Jure Civili statutum est, ut mulier virum absentem, de cujus vita dubitatur, per quinquennium expectet, ut possit alij nubere, vel saltem per quadriennium, id tamen Jure Canonico est correctum, *cit. n.* 136. *in fine.*

§. III. *An, & quo jure matrimonium sit indissolubile?*

Assertio I. Matrimonium, quatenus est præcisè contractus, non est ita indissolubile quoad vinculum, ut ejus dissolutio repugnet propriè juri naturali, *n.* 137. Ass. 2. Matrimonium ex jure naturali, ac Divino est indissolubile, *Gen. c. 2. & Matth. 19. & c. un. de voto in 6. n.* 138. Ass. 3. Matrimonium consummatum inter fideles Christianos, seu baptizatos est omnino, & indispensabiliter indissolubile, quæ indissolubilitas non competit matrimonio ex jure naturæ, sed ex Jure Divino, addito juri naturali, nimirum ex præcepto, & institutione Christi in lege Evangelica Matth. 19. *Quod DEVS conjunxit, homo non separet. n.* 139. Nam indissolubilitas matrimonii, quæ ipsi competit ex nova lege Evangelica, non provenit ex eo tantùm, quòd sit Sacramentum novæ legis, sed ex eo, quòd sit Sacramentum perfectè significans unionem Christi cum Ecclesia per Incarnationem, juxta illud Joann. 1. *Et Verbum caro factum est. n.* 140. Nec obstat, quòd Christus dicit Matth. c. 19. *Quicunque dimiserit uxorem, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*, quia ibi loquitur Christus solùm de dimissione uxoris quoad torum, & cohabitationem, non autem de dimissione quoad vinculum, *n.* 141.

§. IV. *An, & quibus modis dissolvatur matrimonium ratum, & non consummatum?*

Quæst. 1. An matrimonium ratum possit dissolvi, non solùm per professionem Religionis, sed etiam per dispensationem S. Pontificis, ita ut soluto ejus vinculo, conjuges liberè possint inire aliud matrimonium? Resp, affirmativè *n.* 142. Solvuntur objectiones *n.* 143. *& seq.* Quæst. 2. An ut dispensatio in matrimonio rato fit licita, vel etiam valida, requiratur justa causa? Resp. verius est requiri justam causam ad valorem dispensationis, & quænam sint justæ causæ dispensandi? *n.* 145. Præter duos casus prædictos nunquam dissolvitur matrimonium ratum, ne quidem per matrimonium subsequens consummatum, *cit. n.* 145. Quæst. 3. An matrimonium, sive ratum, sive consummatum infidelium non baptizatorum possit S. Pontifex dispensando dissolvere, & an etiam matrimonium infidelium consummatum, cùm ambo baptizantur? Resp. probabilius est, matrimonium, sive ratum, sive consummatum infidelium non baptizatorum non posse à Pontifice relaxari per dispensationem: posse autem S. Pontificem dispensare in tali matrimonio, etiam consummato infidelium, dum ambo baptizantur, *n.* 146.

Sectio VI. *De impedimentis matrimonii.*

§. I. *De impedimentis matrimonii in genere.*

Quæst. I. Quænam sint impedimenta matrimonii? Resp. esse duplicis generis; quædam enim sunt impedientia tantùm, alia verò dirimentia, *n.* 147. Quæst. 2. Penes quos sit potestas statuendi impedimenta matrimonii, sive impedientia, sive dirimentia? Resp. 1. est in Ecclesia Catholica potestas introducendi, & constituendi impedimenta etiam dirimentia matrimonium, ita ut contra Ecclesiæ prohibitionem contractum sit irritum, ad quod tamen requiritur justa causa, *n.* 148. Resp. 2. Ecclesia, & S. Pontifex potest impedimenta dirimentia matrimonium constituere, non solùm indirectè personas inhabilitando ad contrahendum, sed etiam directè, & immediatè annullando ipsum contractum, *cit. num.* 148. Hæc potestas Ecclesiæ non extenditur ad infideles, qui Ecclesiasticis Constitutionibus non ligantur, nisi sint subjecti temporali jurisdictioni S. Pontificis; secus est de infidelibus subditis Christianorum

Digitized by Google

norum Principum, in quorum ditionibus temporalem jurisdictionem Pontifex non habet, *n.* 149. Hæc potestas statuendi impedimenta dirimentia matrimonij inter fideles non competit Episcopis, sed est reservata soli Papæ, *cit. n.* 149. Porro spectatâ rei naturâ, & seclusis Ecclesiæ Constitutionibus, quilibet Princeps supremus, seu Magistratus secularis potest suis subditis etiam Christianis statuere impedimenta matrimonij ex justa causa. Veruntamen Ecclesia, ac S. Pontifex hanc potestatem sibi reservavit, quia matrimonium adesse, seu rationem Sacramenti est elevatum, *n.* 150. Deducuntur hinc quædam corollaria. *n.* 151. Probabilius videtur etiam per consuetudinem immemorialem Clericorum, aut laicorum legitimè præscriptam, & rationabilem posse antiqua impedimenta matrimonij solo jure Ecclesiastico statuta abrogari, & nova constitui, *n.* 152. Item potest Pontifex aliquibus per sententiam particulare prohibere, ne matrimonium contrahant, alioquin irritum sit, quamvis non soleat tali potestate uti, *n. eod.*

§. II. *De quibusdam impedimentis matrimonii contrahendis in specie, de quibus agitur in hoc Titulo.*

Quær. 1. An, & qua ratione ad dictum unius asserentis impedimentum inter aliquos intercedere, impediatur matrimonium contrahendum? Resp. siquis dicat adesse impedimentum matrimonii inter aliquos, impeditur matrimonium contrahendum, nisi juramentum intervenerit. Ut si consanguineus viri volentis contrahere cum aliqua muliere, dicat carnaliter se illam cognovisse, etsi hoc nolit publicè confiteri, propter metum, & potentiam illius mulieris, *c. Præterea.* 12. *h. t. n.* 153. Impedimentum, ne matrimonium contrahatur propter affinitatem ortam ex concubitu viri cum muliere, plenè probatur per unicum testem, *cit. c. Præterea.* Et quænam præterea aliæ conditiones requirantur, ut testis unicus impedire possit matrimonium contrahendum? *num.* 154. Quòd si sponsalia inita inter virum, & mulierem sint juramento confirmata, non debet ad dictum unius matrimonium impediri, *cit. n* 154. Quær. 2. An ad denunciationem unius viri honesti, qui defert de fama consanguinitatis, impediatur matrimonium contrahendum? Resp. si de fama impedimenti plenè probetur, adeoque de illa constet, ea sufficit ad impediendum matrimonium, ne contrahatur: secus est, si de fama non constet, nec ea probata fuerit, *c. Cùm in tua.* 27. *h. t. n.* 155. & 156. Si verò de fama constet Judici, tanquam Judici, quia ea probata est per testes, tunc talis fama impedit matrimonium contrahi: potest tamen contra probationem famæ de impedimento matrimonij admitti alia contraria probatio, *cit. n.* 156. Quando scandalum timetur ex contractu matrimonii inter consanguineos contrahentium, tum potest, ac debet Judex interdicere matrimonium. Quòd si denuntians impedimentum non sit persona gravis, & de fama, vel scandalo sufficienter probare non possit, tum Judex potest quidem tales monere, ut desistant à contrahendo matrimonio, non tamen potest compellere contrahere volentes, *cit. c. Cùm in tua, n.* 157.

Quær. 3. An si lis pendeat super priore matrimonio, impediatur contrahi secundum? Resp. litis pendentia super matrimonio non impedit contrahi secundum matrimonium, si primum erat invalidum, quia litis pendentia non est à Jure Canonico tanquam impedimentum dirimens matrimonium introductum, ideòque tale matrimonium, pendente lite super priore matrimonio, contractum est validum, *c. Cùm in Apostolica.* 18, *h. t. n.* 158. & 159.

§. III. *De impedimento erroris personæ.*

Assertio 1. Error circa substantiam personæ jure naturæ reddit irritum matrimonium, ut si quis putans se contrahere cum Anna, contrahat cum Barbara. Idque extenditur, quòd error circa substantiam personæ reddat irritum matrimonium, sive sit error antecedens, sive concomitans, *n.* 160. Error autem circa personam non irritat Sacramentum in alijs Sacramentis, ut si quis putet suscipientem esse Petrum, cùm sit Paulus, & cur? *n.* 161. Ass. 2. Error circa qualitatem personæ, etsi det causam contractui, & proveniat ex dolo alterius contrahentis, non irritat per se matrimonium, ut siquis putans se contrahere cum nobili, virgine, vel divite, contrahat cum ignobili, corrupta, vel paupere, *num.* 162. Porro peraccidens in duobus casibus error qualitatis irritum reddit matrimonium 1. si qualitas, in qua erratur, per modum conditionis apponatur in contractu matrimonij, ita ut actu intendat quis non contrahere cum aliqua, nisi talis qualitas ipsi insit. 2. si error qualitatis inducat, vel involvat simul errorem personæ, ut siquis velit ducere primogenitam Regis, & illi alia offeratur, *n.* 163. Quando error qualitatis involvat errorem personæ? *n. eod.*

§. IV. *De impedimento matrimonij orto ex cultûs, sive Religionis disparitate.*

Quær. 1. An, & quomodo disparitas cultûs, sive Religionis dirimat matrimonium? Resp. Matrimonium hominis fidelis, seu baptizati cum infideli, seu non baptizato etiam catechumeno, non est irritum jure naturæ, sed solo jure Ecclesiastico: ex quo sequitur, quòd Pontifex possit dispensare in hoc impedimento, *n.* 164. Quær. 2. An matrimonium personæ Catholicæ cum persona hæretica sit validum, vel etiam licitum? Resp. tale matrimonium esse quidem validum, sed mortaliter illicitum, nisi gravis causa excuset, ut moraliter certum sit, nullum fore periculum scandali, vel perversionis, aliorúmque incommodorum, quæ ex talibus matrimonijs plerumque oriri solent, *n.* 165. Sola consuetudo in Germania, & alijs Regionibus septentrionalibus non facit licita conjugia inter Catholicos, & hæreticos, nisi adsit sufficiens, & gravis causa ineundi matrimonium cum illis, & absint prædicta pericula, & incommoda, *n.* 166. Illud verò certum est, illa pacta in conjugijs cum hæreticis inita, ut aliqui ex liberis nascituris v. g. mares ex patre hæretico fidem hæreticam sequantur, esse prorsus impia, & irrita, *n.* 167.

§. V. *De dispensatione in impedimentis matrimonij.*

Quær. 1. An, & qua ratione dispensari possit in impedimentis matrimonij? Resp. S. Pontifex in nullo impedimento jure Divino, & naturali dirimente matrimonium propriè dispensare potest, *num.* 168. Potest tamen dispensare in omnibus impedimentis jure solùm Ecclesiastico matrimonium dirimentibus, validè quidem etiam sine causa, licitè verò nonnisi ex causa rationabili, *num.* 169. Episcopus non

Digitized by Google

non poteſt regulariter, & ordinariè, per ſe loquendo, diſpenſare in impedimentis dirimentibus matrimonij etiam Eccleſiaſticis: poteſt tamen diſpenſare in extraordinario caſu magnæ neceſſitatis, in impedimentis dirimentibus, concurrentibus certis conditionibus, *n.* 170. Quær. 2. Quæ ſint juſtæ cauſæ diſpenſandi in impedimentis dirimentibus matrimonij? Reſp. tres præcipuæ poſitæ *n.* 171. Quær. 3. Quando ob taciturnitatem veritatis, vel expreſſionem falſitatis in petitione diſpenſationis, ea ſit ſubreptitia, & invalida? Reſp. quando in petitione diſpenſationis tacetur vera cauſa, aut circumſtantia, quam Jura jubent exprimi, vel quando veritas tacita, vel falſitas expreſſa pertinet ad cauſam finalem, ita ut eâ veritate expreſsâ, vel falſitate non expreſsâ, diſpenſatio vel omnino conceſſa non fuiſſet, vel non tali modo, tunc diſpenſatio eſt nulla: quando verò non tacetur aliquid, quod jus juber exprimi, & veritas tacita, vel falſitas expreſſa tantùm verſatur circa cauſam impulſivam, ſine qua nihilominus diſpenſatio conceſſa fuiſſet, licèt difficiliùs, non redditur diſpenſatio ſubreptitia, & invalida, *n.* 172.

Sectio VII. *De mutua conjugum obligatione, quoad cohabitationem, alimentorum præſtationem, & de obligatione conjugum ad debitum conjugale.*

§. I. *An teneantur conjuges ſimul cohabitare, & mutuò ſibi præſtare alimenta, & quæ ſit obligatio conjugum ad alendos, & educandos filios?*

Assertio 1. Conjuges tenentur ſimul habitare, non tantùm in eadem domo, ſed etiam communi menſâ, eodémque toro utentes, ſaltem ut plurimùm, quamvis mutuo conſenſu quoad torum ſeparari poſſint, *n.* 173. Hinc infertur 1. uxorem teneri ſequi virum mutantem domicilium, cùm vir ſit caput mulieris, & quando uxor non teneatur ſequi virum? *n.* 174. Infertur 2. Quamvis ad longum tempus non poſſit, uxore invitâ, vir diſcedere, ſine juſta cauſâ, poteſt tamen vir, etiam ſine uxoris conſenſu, brevem peregrinationem inſtituere. 3. Uxor tenetur in ijs, quæ ad familiæ adminiſtrationem pertinent, obedire præceptis mariti. 4. matito etiam permiſſum eſt uxorem delinquentem caſtigare, moderatè tamen, *cit. n.* 174. Aſſ. 2. Vir quoque tenetur alere uxorem, & familiam, quia ideo etiam fructus dotis accipit. Item quibus caſibus vir non teneatur alere uxorem? *n.* 175. Aſſ. 3. Uterque parens tenetur ad filios ex ſe natos ſuſtentandos, & honeſtè, ac piè educandos; primaria tamen cura alendi filios ad patrem ſpectat. In defectum patris, ſi is pauper ſit, avus paternus prolem alere cogitur, deficiente autem matre, avus, aliique aſcendentes materni, *n.* 176. Jure Canonico parentes quibuſcunque filijs, etiam illegitimis alimenta præbere debent, *c. Cùm haberet. 5. De eo, qui duxit &c.* à quo correctum eſt Jus Civile prohibens alimenta præſtari ſpurijs, *num.* 177.

§. II. *De obligatione mutua conjugum ad uſum, ſeu actum conjugalem.*

Quær. 1. An actus conjugalis ſit licitus, & ſub præcepto? Reſp. per ſe, ac naturâ ſuâ, eſt licitus, & honeſtus, *n.* 178. Petitio verò debiti conjugalis propriè accepta per ſe nunquam eſt ſub præcepto: redditio autem eſt ſub præcepto, ita ut teneatur conjux reddere conjugi debitum ex juſtitia, & ſub peccato mortali, quoties alter debitè, & convenienter petit, expreſsè, vel tacitè, ſeu interpretativè, *n.* 179. Quær. 2. An, & quomodo actus coniugalis reddatur illicitus, ratione dubij de valore matrimonij? Reſp. 1. ſi dubium de valore matrimonij ob ſuſpicionem latentis impedimenti, ortum ſit, ante contractum matrimonium, illud contrahi non poteſt, nec debet: quòd ſi quis malâ fide contraxit matrimonium, dubitans de ejus valore, non poteſt debitum conjugale petere, etſi reddere teneatur alteri, qui bonâ fide contraxit, *n.* 180. Reſp. 2. Si poſt matrimonium bonâ fide utriúſque conjugis contractum, oriſ ſuperveniat dubium de valore illius, is tenetur reddere debitum alteri conjugi non dubitanti: non poteſt tamen petere, antequam adhibuerit ſufficientem diligentiam ad veritatem cognoſcendam, quâ adhibitâ, ſi maneat adhuc dubium, poteſt etiam petere, *n.* 181. Idque confirmatur, & declaratur *n.* 182. Deducuntur duo corollaria, *n.* 183.

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis.

c. 1. *n.* 88. *&* 89.
c. 2. *n.* 42. *&* *ſeqq.*
c. 3, *n.* 31. *&* *ſeq.*
c. 4. *n.* 33. *&* *ſeq.*
c. 5. *n.* 47. *&* *ſeq.*
c. 6. *n.* 109.
c. 7. *n.* 84. *&* *ſeq.*
c. 8. *n.* 34.
c. 9. *n.* 86. *&* *ſeq.*
c. 10. *n.* 17. *&* *ſeq.*
c. 11. *n.* 93. *&* *ſeq.*
c. 12. *n.* 153. *&* *ſeq.*
c. 13. *n.* 110. *&* *ſeq.*
c. 14. *n.* 98.
c. 15. *n.* 102.
c. 16. *n.* 52. *&* *ſeq.*
c. 17. *n.* 19. *&* *ſeq.*
c. 18. *n.* 158. *&* *ſeq.*
c. 19. *n.* 131. *&* 4. *ſeqq.*
c. 20. *n.* 108.
c. 21. *n.* 112. *&* *ſeq.*
c. 22. *n.* 44. *&* 2. *ſeqq.*
c. 23. *n.* 11.
c. 24. *n.* 10.
c. 25. *n.* 12. *&* 2. *ſeqq.*
c. 26. *n* 95. *&* *ſeq.*
c. 27. *n.* 155. *&* 2. *ſeqq.*
c. 28. *n.* 114. *&* 2. *ſeqq.*
c. 29. *n.* 22.
c. 30. *n.* 27.
c. 31. *n.* 58. *&* *ſeq.*
c. 32. *&* *ult.*
n. 29. *&* *ſeq.*

In Sexto.

c. unic. n. 35. *&* 3. *ſeqq.*

TITVLVS II.

DE DESPONSATIONE IMPUBERUM.

§. I. *Quæ ætas requiratur ad ſponſalia de futuro?*

Ad contrahenda ſponſalia de futuro requiruntur ſeptem anni completi, tam in maribus, quàm in feminis, *c. Litteras. 4. h. t.* Nam ſi pubes, vel major ſeptennio contrahat ſponſalia cum puella minore ſeptennio, non oritur ex illis impedimentum publicæ honeſtatis, ideóque poteſt accipere matrem puellæ in uxorem: ſed ſi pubes, vel major ſeptennio, poſtquam puella complevit ſeptennium, matrem ejus duxit in uxorem, eámque carnaliter cognovit, non tenet matrimonium, ſed ſunt ſeparandi, *n.* 1. Ad ſponſalia requritur ſeptennium completum, *n.* 2. Si ſeptennes contrahant ſponſalia, ſed uterque, vel alter uſum rationis nondum habeat, ſponſalia ſunt invalida, *cit. n.* 2. Item ut ſponſalia impuberum ſint valida,

Digitized by Google

lida, neceſſarium eſt, ut ſeptennium ſit omnino completum; ſufficit autem, quòd ultima dies ſeptennii ſit incepta; etſi non ſit completa, *n. eod.* Similiter quando Titius v. g. ſponſalia de futuro contrahit cum aliqua puella, quæ non complevit ſeptem annos, ſi poſtea completo ſeptennio, puella in eum non vult conſentire, Titius poteſt accipere matrem puellæ in uxorem, præſertim ſi à tali deſponſatione ab Epiſcopo fuit abſolutus. Secus eſt, ſi Titius contrahat ſponſalia cum puella, quæ ſeptem annos jam complevit, tum enim licèt puella nolit conſentire in eum, & ita iſte ipſo jure ſit abſolutus, non poteſt accipere matrem puellæ in uxorem, *c. Acceſſit, 5. h. t. n. 3.* Hinc patet, quòd ex ſponſalibus de futuro initis cum puella minore ſeptennio non oritur impedimentum publicæ honeſtatis, oritur autem ex ſponſalibus initis cum puella poſt ſeptennium completum, licèt illa poſtea diſſoluta fuerint, *n. 4.*

§. II. *An ſponſalia ab impuberibus contracta diſſolvantur per ſolum diſſenſum alterius, poſtquam pubes factus eſt.*

Assertio I. Si duo impuberes, mas & fœmina ſponſalia contrahant, neuter poteſt ante pubertatem reſilire: poſt pubertatem tamen uterque poteſt, *c. De illis, 7. h. t. n. 5. & 6.* Id verò intelligendum eſt, 1. de ſponſalibus impuberum ſeptennio majoribus, non de ſolis infantium ſponſalibus. 2. impubes factus pubes poteſt reſilire à ſponſalibus, ſi ſtatim pubertatem adeptus reſiliat, alioquin poſtea non poterit, ſed cenſetur tacitè conſentire. 3. hæc poteſtas reſiliendi à ſponſalibus conceſſa impuberibus, poſt adeptam pubertatem, non tantùm habet locum in foro externo, ſed etiam in interno conſcientiæ, *n. 7.* Aſſ. 2. Probabilius eſt, ſponſalia impuberum confirmari juramento, ut neutri liceat pubertatem adepto reſilire, *c. Ex litteris. 10. de ſponſal.* dummodò talia ſponſalia juramento firmata ſint ab impubetibus doli capacibus, ſive proximis pubertati, *n. 8.* Aſſ. 3. Sicut à veris ſponſalibus non eſt licitum reſilire, ante pubertatem, ita nec à præſumptis, ſi impuberes contrahant per verba de præſenti. Unde ſicut impuberes contrahentes ſponſalia nequeunt ab eis reſilire, ante pubertatem; ita qui intendunt ſponſalia, ſive matrimonium contrahere per verba de præſenti, ante annos nubiles, nequeunt ab eis recedere, niſi carnalis copula intervenerit, quod interdum contingere poteſt ante pubertatem, per quam conſummatur matrimonium, *c. A nobis. 8. h. t. n. 9. & 10.*

§. III. *Utrùm ſponſalia inter impuberes, vel inter impuberem, & puberem inita ſint valida, vel nulla, & quâ ratione convaleſcant?*

Si duo infantes inter ſe, vel unus major ſeptennio, & alter minor contrahant ſponſalia, ipſi, vel parentes pro ipſis, ea ſunt nulla, & quamvis deinde veniant ad ſeptennium, non convaleſcunt, nec inducunt impedimentum publicæ honeſtatis, niſi ſeptennio exacto, de novo conſentiant expreſsè, vel tacitè, veluti verbo, vel facto, aut cohabitatione, *c. Si infantes, unic. in princ. h. t. in 6. n. 11.* Eſt autem veritas, quòd etiam in ſponſalibus maliția ſuppleat ætatem, ita ut valeant ſponſalia etiam ante ſeptennium contracta, ſi tunc contrahentes jam ſint præditi diſcretione, & uſu rationis, *n. 12.* Præterea *in cit. c. nn. §. Idem quoque. h. t. in 6.* ſtatuitur, quòd ſponſalia per verba de præſenti contracta inter impuberem, & puberem, vel duos impuberes, non tamen proximos pubertati, valent ut ſponſalia de futuro, nec adveniente pubertate, in matrimonium transeunt, niſi per carnis copulam ſubſecutam, vel alio modo contrahentes in eadem voluntate perſevetare uſque ad pubertatem evidenter conſtiterit, inducunt tamen publicam honeſtatem, *n. 13.* Idque declaratur *n. 14.* Denique in eodem *c. nn. §. fin. h. t. in 6.* additur, ſponſalia pro præſentibus filiis, & tacentibus per parentes contracta valida ſunt, & ex eis oritur publicæ honeſtatis juſtitia. Sponſalia verò pro abſentibus, & ignorantibus filiis per parentes contracta non tenent, nec ex eis conſurgit publicæ honeſtatis juſtitia, niſi ea expreſsè, vel tacitè, ex pòſt facto approbaverint, *n. 15. & 16.* Id verò ſpecialiter ſtatutum eſt de parentibus, ſi pro filiis præſentibus, & tacentibus, ſponſalia, vel matrimonium contrahant, nam ſi alii id faciant, requiritur aliud ſignum exprimens internum conſenſum, ut valeant talia ſponſalia, vel matrimonium, *cit. n. 16. in fine.*

§. IV. *An, & quatenus filii impuberes ex ſponſalibus pro ſe per patrem contractis, obligentur?*

Pater pro filio adulto, id eſt, pubere, nec matrimonium, nec ſponſalia contrahere poteſt; niſi filius conſentiat expreſsè, vel tacitè, verbo, vel facto. At verò pro filio nondum adulto, hoc eſt, infante, vel minore ſeptennio pater poteſt ſponſalia contrahere, nam matrimonium hic accipitur pro ſponſalibus de futuro, per quæ ad matrimonium pervenitur, *c. 1. h. t. n. 17.* Sponſalia contracta à parte pro filio adulto, ſeu pubere, & pro infante, ſeu minore ſeptennio, in eo conveniunt, quòd utraque non valent, quia pro pubere non valent, niſi is conſentiat: nec pro infante contracta valent, quia durante hoc tempore, non poteſt infans conſentire: & in eo differunt, quòd priora pro pubere contracta nunquam valeant, ſine illius conſenſu: poſteriora verò pro infante contracta à parte uſque ad ſeptennium non valent: poſt ſeptennium verò ſponſalia convaleſcunt, ſi ab eo approbentur, *n. 18.* Filius, cùm pubes factus eſt, tenetur ſalrem ex debito honeſtatis; patris factum, ſive ſponſionem approbare, niſi juſtam cauſam reclamandi habeat, *n. 19.*

§. V. *De variis caſibus occurrentibus circa deſponſationes impuberum inter ſe, & puberum cum impuberibus, an, & quâ ratione hujuſmodi deſponſationes valeant, aut obligent?*

Major, ſive pubes contrahens ſponſalia cum minore, ſeu impubere, tenetur hunc expectare, donec pubes fiat, niſi major, ſive pubes gravi metu coactus contraxerit cum minore, ſeu impubere, tunc enim non tenetur expectare, ſed poteſt ad alias nuptias tranſire, *c. Ex litteris. 11. h. t. n. 20. & 21.* Secundò ſi puella impubes deſponſata fuit, & traducta in domum viti, eáque pubes facta petat licentiam nubendi alteri, non audienda eſt, ſi vir juret, ſe illam carnaliter cognoviſſe, quia tunc erant ſponſalia de futuro inita, quæ per carnalem copulam tranſeunt in matrimonium; creditur autem in tali caſu potiùs viro, quàm mulieri neganti, niſi hæc plenè contra-

Digitized by Google

rium probaverit, *c. Continebatur. 6. h. t. n. 22. & 23.* Juramento viri dicentis ſe copulam habuiſſe cum impubere non eſt ſtandum; declaratur *cit. num. 23.* Tertiò ſi contractum eſt matrimonium ab aliquo ante pubertatem, etiam cum niſu ad carnalem copulam, illud non eſt validum, niſi mulier per idoneos teſtes probaverit, quòd juvenis ille ante finem anni XIV. in eam conſenſerit, juramento ab ipſo recepto, quòd poſtquam ad legitimam ætatem pervenit, illam uxorem habere noluerit, tunc enim ab impetitione mulieris eſt liberandus, & poteſt uterque ad alias nuptias tranſire, *c. Atteſtationes. 20. h. t. n. 24.* & declaratur *n. 25.*

§. VI. *Proponuntur, & explicantur alia Capitula hujus Tituli, in quibus agitur de deſponſationibus impuberum.*

Præterea quattò ſponſalia contracta cum minore ſeptennio per mutuam cohabitationem poſt ſeptennium convaleſcunt, & inducunt publicæ honeſtatis juſtititam, diſſolvuntur tamen per matrimonium de præſenti initum priora ſponſalia ante pubertatem contracta. Quòd ſi conſtet, quòd vir mulierem cognoverit, neutri, vivente altero, licet aliud matrimonium inite propter delictum utriuſque. Item qui ſine judicio Eccleſiæ uxorem dimittit, puniendus eſt, *c. Duo pueri. 12. h. t. n. 26. & 27.* Quintò matrimonium, vel ſponſalia, quæ nondum ſunt, ut ſi cum minore ſeptennio contrahantur, accuſari non poſſunt, poteſt tamen denunciari impedimentum v. g. conſanguinitatis, ne contrahatur matrimonium, & ſi interim aliquid attentatum fuerit in præjudicium puellæ, id eſt irritum, *c. Ad diſſolvendum. 13. h. t. n. 28.* & declaratur *n. 29.* Sextò denique ſi contrahatur matrimonium de præſenti, & puella non ſit in ætate nubili, nec malitia ſuppleat ætatem, licèt vir ei dederit arrham, non eſt matrimonium contractum, ſed ſponſalia ſolùm de futuro, *c. Tuæ. 14. & ult. h. t. n. 30. & 31.*

§. VII. *De ætate requiſita ad matrimonium, & de pubertate, & quando malitia ſuppleat ætatem?*

Quæt. 1. Quæ ætas requiratur ad matrimonium contrahendum? Reſp. ætas legitima ad contrahendum matrimonium eſt pubertas, ſive annus XIV. in maſculo, & XII. in fœmina, niſi adſit aliqua urgentiſſima cauſa, ut pro bono pacis, *c. Vbi non eſt. 2. h. t. n. 32.* Duplex eſt expoſitio, *cit. c. 2.* 1. Quòd hîc prohibeantur ſponſalia de futuro ante ſeptennium, imò etiam poſt illud, ante pubertatem, *n. 33.* Altera, & verior expoſitio eſt, quòd in eo prohibeatur tantùm conjunctio matrimonialis, ne ſcilicet matrimonium contrahant, ſi ambo, vel alter nondum pervenit ad ætatem legitimam, ſeu pubertatem completam, ſine cauſa utgentiſſima: poteſt tamen Epiſcopus diſpenſare, ut impuberes matrimonio copulentur, & ad illum ſpectat cognitio, an adſit cauſa juſta, *cit. n. 33.* Quæt. 2. Qui dicuntur, & ſunt puberes, quoad matrimonium contrahendum? Reſp. puberes, ſeu apti ad matrimonium dicuntur, & ſunt, qui ex habitu corporis pubertatem oſtendunt, & generare poſſunt, & puerperæ ſunt, quæ in annis puerilibus pariunt, *c. Puberes. 3. h. t. n. 34.* In matrimonio contrahendo non debet ſpectari præcisè tempus annorum, ſed an contrahens ſit talis, qui generare, vel concipere poſſit, & tunc præſumitur quis habilis ad copulam, & ad conſenſum conjugalem præſtandum: imò etiam ante pubertatem matrimonium initum eſt validum, ſi adſit potentia generandi, & diſcretio rationis. In dubio ante pubertatem completam, nec mas, nec fœmina præſumuntur apti, *n. 35.* Matrimonium contractum à pubere, etſi tunc nondum poſſit cum fœmina carnaliter commiſceri, nec generare, nihilominus eſt validum, *n. 35.* Quæt. 3. Quomodo, & quando malitia ſuppleat ætatem, quoad contrahendum matrimonium? Reſp. validum eſt matrimonium contractum ante legitimam ætatem, ſi malitia ſuppleat ætatem, niſi violentia intercedat, *c. De illis. 9. h. t. n. 36.* Nomine malitiæ autem communiter intelligitur non tantùm aptitudo ad copulam conjugalem, ſeu potentia generandi, ſed etiam prudentia, ſive diſcretio, & judicium rationis ad cognoſcendum ſtatum conjugalem, *n. 37.* Motus, & violentia in quacunque ætate inculſus reddit matrimonium ipſo jure nullum, *cit. n. 37.*

SERIES CAPITVLORVM.

In Antiquis.
c. 1. n. 17. & 2 ſeqq.
c. 2. n. 32. & ſeq.
c. 3. n. 34. & ſeq.
c. 4. n. 1.
c. 5. n. 3. & 4.
c. 6. n. 22. & ſeq.
c. 7. n. 5. & 3. ſeqq.
c. 8. n. 9.
c. 9. n. 36. & ſeq.
c. 10. n. 24. & ſeq.
c. 11. n. 20. & ſeq.
c. 12 n. 26. & ſeq.
c. 13. n. 28. & ſeq.
c. 14. & ult. n. 30. & ſeq.
In Sexto.
c. un. in princ. num. 11.
§. Idem quoque. n. 13. & ſeq. §. Borro. n. 15. & ſeq.

TITVLVS III.

DE CLANDESTINA deſponſatione.

Nomen deſponſationis hîc ſumitur pro ipſo matrimonio, quamvis aliàs propriè hoc nomine tantùm intelligantur ſponſalia de futuro. Matrimonium verò clandeſtinum dicitur, quod clam contrahitur, idque dupliciter, vel nullis teſtibus præſentibus, vel quia nullis præmiſſis denunciationibus eſt contractum. Dicitur etiam clandeſtina deſponſatio, quando contrahitur matrimonium ſine adhibitis ſolemnitatibus jure requiſitis, quod rectiùs matrimonium minùs ſolemne vocatur, & huc non pertinet, *num. 1.*

§. I. *An matrimonia clandeſtina Jure antiquo non ſolùm fuerint prohibita, ſed etiam invalida, & quâ ratione potuerint Jure novo ab Eccleſia irritari?*

Asserti o I. Matrimonia clam ſine Parocho, & teſtibus, contracta ſemper quidem fuerunt ab Eccleſia graviter prohibita, & mortaliter illicita, ſed ante Concilium Tridentinum fuerunt valida. Sunt tamen plures caſus, in quibus ante Concilium, & nunc etiam, ubi Decretum illud non eſt promulgatum, poteſt contrahi matrimonium etiam clam, ſine teſtibus, quorum quinque hîc enumerantur *n. 2.* Aſſ. 2. Jure novo Concilii Tridentini *Seſſ. 24. c. 1. de ref. matr.* matrimonia clam inita, ſine Parocho, & teſtibus, declarantur penitus nulla, & irrita, *n. 3.* Ubi etiam exprimuntur cauſæ, ob quas hujuſmodi matrimonia

Digitized by Google

ttimonia clandestina ab Ecclesia sunt irritata. Ass. 3. Potuit Ecclesia irritare matrimonium clandestinum initum, sine Parocho, & testibus, & de facto irritavit, etiam quatenus Sacramentum est; non quidem per se, ac directè, sed indirectè, ac per accidens, & mediatè, annullando contractum humanum, seu civilem, unde consequenter irritum redditur ipsum Sacramentum, *n. 4. & 5.* ubi id declaratur. Ass. 4. Ubi prædictum Decretum Concilij Trident. est promulgatum, etiam qui illud invincibiliter ignorant, invalidè contrahunt matrimonium, sine Parocho, & testibus, *n. 6.* Item irritum est etiam matrimonium in articulo mortis, aut in quacunque alia necessitate contractum, absque præsente Parocho, & testibus, quia deest forma substantialis ad valorem matrimonij requisita. *n 7.* Excipi debet, nisi matrimonium semel in facie Ecclesiæ contractum fuerit, sed invalidè, ob occultum impedimentum dirimens, hoc enim postea sublato, non est necessarium, ut putatitij conjuges iterum coram Parocho, & testibus contrahant, sed satis est, ut conscij prioris nullitatis occultè mutuum consensum renovent, *n. 8.*

§. II. *An ad matrimonium in locis, ubi Decretum hoc Concilij Tridentini non est receptum, aut promulgatum, matrimonia clandestina sint valida?*

Assertio I. Si matrimonia clandestina etiamnum contrahantur ab incolis in ijs locis, sive Catholicorum, sive hæreticorum, in quibus dictum Decretum non est receptum, vel nunquam promulgatum, ea valida sunt, *n. 9.* Ass. 2. Peregrini transeuntes per locum, ubi Decretum Concilij est receptum, invalidè contrahunt matrimonium, sine Parocho, & testibus, quamvis in loco domicilij illud Decretum non sit receptum, *n. 10.* Ass. 3. Is, qui ex loco, ubi Decretum Concilij est receptum, se transfert ad locum, in quo non est receptum, animo figendi illic domicilium, potest validè ibidem contrahere matrimonium, sine præsentia Parochi, ac testium, sit enim illius loci incola, adeoque non astringitur ampliùs legibus priotis domicilij: imò etiam probabile est valore matrimonium, siquis ad tempus se conferret ad locum, ubi hoc Decretum Tridentini non est receptum, etiamsi ex intentione clandestinè contrahendi ibi matrimonium, id fiat, *n. 11.* Ex his deducuntur quædam corollaria *n. 12.*

§. III. *Virum necessarium sit ad valorem matrimonii, ut assistat proprius utriúsque contrahentis Parochus, & intra propriam Parochiam, & qualis præsentia Parochi, & testium requiratur?*

Assertio I. Quando sponsus, & sponsa sunt diversæ parochiæ, ad valorem matrimonii sufficit, si assistat illi proprius Parochus alterutrius, sponsi scilicet, vel sponsæ, in cujus parochia nuptiæ celebrantur; ut si in parochia sponsi contrahatur matrimonium, sufficit, ut assistat Parochus sponsi, & si in parochia sponsæ, Parochus sponsæ, *n. 13.* Ubi addendum 1. si Parochus proprius alterutrius contrahentis assistat matrimonio, illud validum est, etiamsi in parochia alterutrius sibi non subditi celebretur, ut si Parochus Petri contrahentis matrimonium cum Anna, ei assistat in parochia Annæ, cujus non est Parochus, valet matrimonium, *num. 14.* Addendum 2. validum est matrimonium, cui Parochus alterius, vel utriúsque contrahentis assistit, quamvis in neutrius parochia, vel etiam Diœcesi matrimonium celebretur. Ut si v. g. Civis Dilingануs cum cive Lavingana contrahat matrimonium Donawerdæ, vel etiam extra Diœcesin Augustanam, Ingolstadij, præsente tamen Parocho Dilingano, vel Lavingano, validum est matrimonium, *n. 15.* Porro si proprius Parochus assistat matrimonio extra parochiam, absque licentia Ordinarij, vel Parochi loci, probabilius est, quòd peccet, & puniri possit, si solemniter, & publicè assistat matrimonio, sine licentia Parochi loci, *n. 16.* Ass. 2. Parochus validè assistit matrimonio, etsi Sacerdos non sit, non tamen potest alteri, quàm Sacerdoti licentiam assistendi dare, *n. 17.* Ass. 3. Parochus etiam excommunicatus non toleratus, seu nominatim denunciatus, vel notorius percussor Clerici, item suspensus ab officio, & beneficio, vel irregularis, vel administratione interdictus, validè assistit matrimonio, & alteri licentiam assistendi dare potest, modò actu non sit depositus, sed titulum, & possessionem beneficii retineat, *n. 18.* Ass. 4. Probabile est, vagabundos posse valide, ac licitè contrahere matrimonium, coram quolibet Parocho, quem elegerint: probabilius tamen videtur, eum Parochum debere interesse matrimoniis vagorum, in cujus parochia pro tempore, quo contrahunt, vagantur, *n. 19.* Id certum est, Parochos non posse licitè vagabundos matrimonio conjungere, nisi factâ prius diligenti inquisitione de eorum statu, & habilitate ad contrahendum matrimonium, & obtentâ Ordinarij licentiâ, *cit. n. 19.* Ass. 5. Præter Parochum, etiam proprius Episcopus in sua Diœcesi, vel alius quasi Episcopali jurisdictione præditus proprium territorium habens, assistere potest matrimonio, ut Abbas exemptus, Vicarius generalis Episcopi, Capitulum Cathedrale, Sede vacante. Item Legatus Sedis Apostolicæ, ac denique S. Pontifex per totum orbem Christianum; non autem Archiepiscopus potest assistere matrimoniis subditorum Suffraganeorum suorum, *n. 20.* Item Parochus Catholicus potest licitè assistere matrimoniis hæreticorum, qui in sua parochia degunt, *n. 21.* Ass. 6. Parochus, & testes debent esse præsentes matrimonio, non tantùm physicè, sive corpore, sed etiam moraliter, cum advertentia, & usu rationis, *n. 22.* Neque verò ea verba Sacerdotis, *Ego vos in matrimonium conjungo*, sunt de essentia matrimonii, quia Sacerdos non est minister hujus Sacramenti, *cit. n. 22.* Ass. 7. Non requiritur ad valorem matrimonii, ut Parochus, aliíque testes ad id vocati, seu rogati sint, unde etiamsi casu interveniant, vel omnino inviti intersint, dummodo intelligant mutuos contrahentium consensus, valet matrimonium, *n. 23.* Præterea necessariò requiritur, ut tres, vel duo saltem testes simul cum Parocho intersint matrimonio, & sufficiunt testes qualescunque, modò usu rationis prædicti advertant, quid agatur; unde etiam impuberes, fœminæ, parentes, consanguinei, domestici, servi, excommunicati, Religiosi, infames, imò etiam infideles, assistere matrimonio, ut testes, possunt, *n. 24.*

§. IV. *An, & quâ ratione denunciationes publicæ præcedere debeant ante matrimonium?*

Quando matrimonia sunt contrahenda, debent per Presbyteros in Ecclesia Edicta proponi, præfixo

Digitized by Google

termino, intra quem qui voluerit, & potuerit, legitimum impedimentum opponat, quæ impedimenta etiam ipſi Presbyteri inveſtigare debent. Quòd ſi probabilis conjectura ſit de impedimento, interdicatur matrimonium, donec de impedimento conſtiterit, *c. Cùm inhibitio. 3. & ult. in princ. h. t. num. 25.* Denunciationes, ſeu proclamationes ſunt monitiones quædam, quæ præmittuntur matrimonio contrahendo, ut ſi quis impedimentum novit inter ſponſos, illud aperiat, *n. 26.* Quær. nunc 1. An denunciationes ſint de eſſentia matrimonii, vel ſaltem de præcepto? Reſp. validum eſt matrimonium, etiamſi nullæ denunciationes præmittantur, vel fiant, peccant tamen mortaliter, tam Parochus aſſiſtens matrimonio, quàm ipſi contrahentes, ſi ex non ſint factæ, *n. 27.* Quær. 2. Ubi, quomodo, & quando fieri debeant denunciationes? Reſp. 1. Si ſponſi ad diverſas parochias ſpectent, denuntiationes in utriuſque contrahentis parochia faciendæ ſunt, niſi contraria ſit conſuetudo, ut tantùm fiant in parochia unius ſponſi, in qua celebrandæ ſunt nuptiæ. 2. Denuntiationes debent fieri continuis tribus diebus feſtivis, inter quos ſcilicet non medient alia feſta, etſi intercedere poſſint, ac debeant aliquot dies profeſti. 3. Debent fieri in Eccleſia, inter Miſſarum ſolemnia: quamvis etiam extra Eccleſiam, & die non feſto, in quo tamen eſt frequens populi concurſus, hæ denuntiationes fieri poſſint, in qua re obſervari debet cujusque Eccleſiæ conſuetudo, *n. 28.* Quær. 3. Quis poſſit diſpenſare, ut denuntiationes matrimonii omittantur, & ob quas cauſas? Reſp. Epiſcopus, ex juſta cauſa, diſpenſare poteſt, juxta *Concil. Trident. Seſſ. 24. c. 1. de ref. matr.* Item Vicarius Generalis Epiſcopi, & ex quibus cauſis? *n. 29.* Si denuntiationes ſint prætermiſſæ ante nuptias, tunc poſt nuptias ante conſummationem matrimonii faciendæ ſunt, *n. 30.* Poſt factas denuntiationes, is, qui ſcit impedimentum etiam occultum, illud deferre, & denuntiare debet, & quando non? *n. 31.*

§. V. *De probatione matrimonii clandeſtini, & ejus publicatione.*

Alleganti matrimonium clandeſtinum incumbit onus probandi: quòd ſi mulier neget deſponſationem eſſe factam, vir verò affirmet, viro incumbit probatio; ſi verò vir neget, & mulier affirmet, mulieri incumbit probatio, *c. 1. h. t.* Hodie verò poſt Concil. Trident. cùm matrimonia clandeſtina ſint irrita, inania, & fruſtratoria eſſet talis probatio, *n. 32.* Eccleſia non judicat de clandeſtinis matrimoniis, ſed ſi contrahentes ea volunt publicare in Eccleſia, hæc recipienda ſunt, & publicanda in Eccleſia, niſi rationabilis cauſa obſiſtat, *n. 33. & 34.* Publicatio matrimonii clandeſtini hunc effectum tribuit, ac ſi ab initio in facie Eccleſiæ contractum fuiſſet, *cit. n. 34.* Illi, qui priùs matrimonium clam contraxerunt, & poſtea palam cum alio, vel alia, non ſunt cogendi ad priùs matrimonium, ſed poſterius obſervandum, *n. 35.*

§. VI. *De pœnis matrimonij clandeſtini, & clam contrahentium, vel ei aſſiſtentium.*

Quær. 1. Quæ ſint pœnæ ipſius matrimonij clandeſtini? Reſp. Quamvis aliàs filij ex matrimonio invalido geniti, quando uterque parens, vel ſaltem alter bonâ fide contraxit, ignorans impedimentum, ſint legitimi: ſi tamen matrimonium illud nullum fuit clandeſtinum, tum filij ex eo geniti erunt illigitimi, non obſtante bonâ fide parentum, *c. 3. & ult. §. Si quis verò h. t. n. 36.* Prædicta autem pœna matrimonij clandeſtini, ut proles ſit illegitima, habet locum, non tantùm ſi matrimonium nullum ſit, ob impedimentum conſanguinitatis, vel affinitatis, ſed etiam ob aliud quodcunque impedimentum, ſaltem propter ea impedimenta, quæ per denuntiationem detegi, & cognoſci poſſunt, *n. 37.* Verùm matrimonium, quod coram Parocho, & teſtibus, non præmiſſis denuntiationibus, initum fuit, cenſeri debeat clandeſtinè, & non in facie Eccleſiæ celebratum? *n. 38.* Altera pœna matrimonij clandeſtini eſt, ut ſi quis intra gradus prohibitos ſcienter matrimonium contrahere præſumpſerit, ſeparetur, & ſpe diſpenſationis conſequendæ careat, *n. 39.* Quær. 2. Quæ ſint pœnæ contrahentium matrimonium clandeſtinum, & teſtium aſſiſtentium? Reſp. Prima eſt, quòd reddantur inhabiles, non abſolutè ad matrimonium ineundum, ſed ad ſic contrahendum, id eſt, clandeſtinè. Secunda pœna eſt arbitraria, ſunt enim graviter puniendi, arbitrio Epiſcopi, *n. 40.* Quær. 3. Quæ ſint pœnæ Parochi, vel alterius Sacerdotis aſſiſtentis matrimonio clandeſtino? Reſp. ſi Parochus matrimonia clandeſtina prohibere contemperit, vel quicunque alius Sacerdos, etiam Regularis, illis præſumpſerit intereſſe, per triennium à beneficio ſuſpendantur, & ſi culpa exegerit, etiam graviùs puniendi ſunt. Ipſi etiam contrahentes contra hanc formam puniendi ſunt. Item ſi quis ad impediendum legitimum matrimonium, impedimentum malitioſè objecerit, Canonicè puniatur, *cit. c. 3. & ult. §. fin. h. t. n. 41.* Idque declaratur, *n. 42. & 43.* Epiſcopus non poteſt Parochum ſuſpenſum per triennium, quia interfuit matrimonio clandeſtino, abſolvere, *n. 44.*

SERIES CAPITVLORVM.

In Antiquis	*n. 25. & ſeq. §. Siquis verò n. 36. & 2. ſeqq.*
c. 1. n. 32.	*& §. fin. num. 41. & 3. ſeqq.*
c. 2. n. 33. & ſeq.	
c. 3. & ult. in princ.	

TITVLVS IV.

DE SPONSA DUORUM.

§. I. *Si aliqui bina ſponſalia cum diverſis contraxerunt, quænam ſint valida?*

Reſp. Is, qui ſucceſſivè contraxit ſponſalia per verba de præſenti, ſive matrimonium cum duabus, debet adhærere primæ: ſi verò priùs contraxit ſponſalia de futuro cum una, & poſtea per verba de præſenti cum altera, debet adhærere ſecundæ, *c. 1. h. t. n. 1.* Idque declaratur, *n. 2.*

§. II. *An ſponſalia de præſenti diſſolvantur per ſequens matrimonium conſummatum?*

Reſp. Sponſalia de præſenti, ſive matrimonium priùs contractum, ſed non conſummatum, non diſſolvitur per ſubſequens matrimonium, etiamſi per carnalem copulam ſit conſummatum, *c. Licèt. 3. h. t. n. 3. & 4.* Præterea qui duas per verba de præſenti deſponſavit, priùs deſponſatam, etiam nondum cognitam, habebit in uxorem, quamvis ſecundam priùs carnaliter cognoverit, non obſtante contrariâ conſuetu-

Digitized by Google

suetudine, *n.* 5. Sed neque Papa potest condere legem, ut matrimonium ratum, & non consummatum dirimatur per subsequens carnali copulâ consummatum, *n.* 6. Qui accepit in uxorem, quam alter sibi priùs desponsaverat per verba de præsenti, debet illam dimittere, & nunquam potest esse legitima ejus uxor, debétque 40. diebus pœnitere in pane, & aqua per 7. sequentes annos, *c.* 2. *h. t. n.* 7. Quæ requirantur, ut contrahens matrimonium cum desponsata alteri per verba de præsenti, omnino inhabilis fiat ad ducendam illam, etiam post mortem primi viri? *n.* 8.

§. III. *An appellans in causa matrimoniali possit, lite pendente, aliud matrimonium contrahere?*

Resp. pendente lite super matrimonio, etsi appellatum fuerit, non potest aliud matrimonium contrahi cum alia, & si talis contraxerit, tale matrimonium est separandum, ac irritandum, *c. Tua 4. h. t. n.* 9. & 10. Vel saltem usus matrimonij prohibendus, *cit. n.* 10.

SERIES CAPITVLORVM.

IN ANTIQVIS. *c.* 3. *n.* 3. & *seq.*
c. 1. *n.* 1. & *seq.* *c.* 4. *n.* 9. & *seq.*
c. 2. *n.* 7. & *seq.* *c.* 5. & *ult. n.* 5. & 6.

TITVLVS V.

DE CONDITIONIBUS APPOSITIS in desponsatione, vel in alijs contractibus.

§. I. *Quid sit conditio, & quotuplex, quid modus, causa, & demonstratio, quæ matrimonio, aliisque contractibus apponuntur.*

ASSERTIO 1. Conditio propriè dicta est dispositionis, id est, actûs, vel contractûs suspensio in futurum tempus, & eventum incertum, & explicatur per particulam *Si*, ut contraham tecum matrimonium, si pater tuus consenserit. Modus est qualitas adjecta dispositioni, per quem onus aliquod adjicitur, ad quod obligatur contrahens, & explicatur per particulam *Ut.* v. g. duco te, ut divitias, vel honorem consequar. Causa apponitur, quando exprimitur causa, ob quam contrahitur matrimonium, & explicatur per dictionem *Quia*, ut duco te, quia dives, vel pulchra es. Demonstratio fit, quando demonstratur persona, cum qua contrahitur, ut duco te, quæ es libera, vel virgo. *n.* 1. Ass. 2. Conditiones quædam sunt generales, aliæ speciales, quædam intrinsecæ, aliæ extrinsecæ: item quædam sunt necessariò eventuræ, aliæ impossibiles: rursus aliquæ contingentes, & possibiles: quædam honestæ, quædam turpes, quædam indifferentes, seu impertinentes. Denique ex turpibus quædam sunt contra substantiam, & bona matrimonij, aliæ non. *n.* 2.

§. II. *An conditio contractui matrimonij apposita, illum vitiet, vel suspendat?*

ASSERTIO 1. Matrimonium contractum sub conditione relata in tempus præsens, vel præteritum, non suspenditur, vel vitiatur, sed ftatim valet, si conditio est, vel fuit posita: non valet, si ea non existit, vel non extitit. v. g. duco te, si es virgo, nobilis, dives &c. *n.* 3. Ass. 2. Matrimonium contractum sub conditione de futuro possibili, honesta, & contingente, v. g. *duco te, si pater tuus consenserit*, suspenditur, ita ut non valeat, nec obliget, donec conditio impleatur. *n.* 4. Imò etiam sponsalia de futuro jurata possunt contrahi sub conditione de futuro, neque priùs obligant, donec conditio fuerit impleta, nisi consensus de præsenti, aut carnalis copula fuerit secuta, *c. De illis 3. h. t. n.* 5. & 6. Hodie verò hujusmodi præsumpta matrimonia non valent, nisi coram Parocho, & testibus sint contracta, *cit. n.* 6. Solvitur objectio *n.* 7. Qui matrimonium contrahit per verba de præsenti sub conditione non improbata ab Ecclesia, ut contraho tecum, si pater meus consenserit, non est cogendus ad contrahendum, & multò minùs ad consummandum matrimonium, nisi accedat consensus patris, quia non potest dici consensus de præsenti, *c. Super eo. 5. h. t. n.* 8. & 9. Matrimonium non potest conferri in arbitrium alterius, *cit. n.* 9. Probabilius est non tantùm consensui matrimonij, sed etiam ipsi matrimonio adijci posse conditionem, v. g. contraho tecum, si pater meus consenserit. *num.* 10.

§. III. *An conditio de futuro necessaria, vel impossibilis, adjecta matrimonio, illud vitiet, vel suspendat?*

ASSERTIO 1. Matrimonium contractum sub conditione de futuro necessitatis, ut contraham tecum, si eras sol oriatur, non suspenditur per conditionem adjectam, nec vitiatur, sed perinde est, ac si ea apposita non esset, adeoque validum est tale matrimonium, modò contrahentes sciant conditionem esse necessariam. *n.* 11. Ass. 2. Matrimonium contractum sub conditione de futuro, quæ repugnat substantiæ, & bonis matrimonij, invalidum est: si verò in contractu matrimonij conditio impossibilis, vel turpis apponatur, quæ non est contra substantiam matrimonij, ea habetur pro non adjecta, & matrimonium tenet. *c.* 7. & *ult. h. t. n.* 12. Declaratur *n.* 13. Quando conditiones turpes, & inhonestæ adversus substantiam matrimonij appositæ non irritant contractum matrimonij? *n.* 14. Sicut matrimonium contractum sub conditione suspensiva, quæ est contra illius substantiam, non tenet: ita non tenet, si fuerit contractum sub conditione resolutiva, ut contraho tecum, si non invenerò aliam ditiorem, *n.* 15. Conditiones turpes, vel impossibiles, quæ matrimonii substantiæ non adversantur, non reddunt irritum matrimonium, sed rejiciuntur, & pro non adjectis habentur, favore matrimonii, ut contraho tecum, si furtum feceris, *n.* 16. Quænam requirantur, ut conditio impossibilis rejiciatur in contractu matrimonii? *n.* 17. Omnes fideles consentur recipere Sacramenta, juxta intentionem Ecclesiæ, *n. eod.* Quando matrimonium contractum sub conditione turpi, vel impossibili non teneat, propter defectum consensûs conjugalis? *n.* 18. Præterea matrimonium sub turpi conditione contractum, eâ rejectâ, servandum est, *c.* 1. *h. t. num.* 19. ubi etiam aliæ expositiones referuntur. Qui sponsalia contrahit sub conditione honesta, si pater suus consentiat, & ante impletam conditionem, habet copulam cum illa, à conditione recessisse videtur, & matrimonium tenet, *c. Per tuas. 6. h. t. n.* 20. Sponsalia de futuro, non tantùm pura, & absoluta,

Digitized by Google

ſoluta, ſed etiam conditionalia per ſecutam copulam tranſeunt in matrimonium, quia tunc Eccleſia præſumit contrahentes receſſiſſe à conditione, & voluiſſe purè, & abſolutè contrahere, nec admittit probationem in contrarium, *n.* 21. An ſi matrimonio ſint adjectæ tales conditiones, v. g. contraham tecum, ſi te virginem invenero, vel ſi mecum rem habueris, eæ ſint validæ, vel tanquam turpes reijci debeant? *num.* 22.

§. IV. *Proponuntur, & reſolvuntur aliæ nonnullæ quæſtiones circa ſponſalia, vel matrimonia ſub conditione contracta?*

Quæt. 1. An matrimonium contractum per verba de præſenti inter habiles ſub conditione honeſta de futuro, & contingenti, ut contraho tecum, ſi pater tuus conſenſerit, poſitâ conditione ſit validum, ſine novo conſenſu utriúsque conjugis? Reſp. probabile eſt tale matrimonium ſtatim perfici, impletâ conditione, ſine novo contrahentium conſenſu, *n.* 23. Idque magis declaratur *n.* 24. Quæt. 2. An poſt Concil. Trident. requiratur ad valorem matrimonii, ut Parochus, & teſtes non tantùm contractui ſub conditione de futuro inito, ſed etiam impletioni conditionis interſint? Reſp. probabile eſt requiri, quamvis ſufficiat, ſi ipſi contrahentes coram Parocho, & teſtibus aſſerant poſtea, conditionem eſſe impletam, *n.* 25. Etſi verò talia matrimonia ſint valida, non tamen facilè ſunt permittenda, ſed tutius eſt, ut poſt impletam conditionem, conſenſus matrimonialis renoverur coram Parocho, & teſtibus, *cit. n.* 25. Quæt. 3. An ſi inhabiles ad matrimonium contrahendum per verba de futuro promittant ſibi invicem, vel etiam de præſenti contrahant matrimonium ſub conditione, ſi Papa diſpenſaverit, obligationem contrahant, & qualem, ante, vel poſt diſpenſationem? Reſp. per ſe loquendo, non peccant, ſi ſponſi ſub tali conditione matrimonium ſibi invicem promittant, *n.* 26. Probabile quoque eſt, matrimonium per verba de præſenti inter perſonas impeditas, ſeu inhabiles contractum, impetratâ diſpenſatione, purificati, ſeu perfici, abſque novo conſenſu contrahentium coram Parocho, ac teſtibus expreſſo, *n.* 27. Probabilius tamen eſt, matrimonium ſub conditione diſpenſationis Papalis contractum nunquam ſine novo conſenſu coram Parocho, & teſtibus expreſſo perfici. *cit. n.* 27. Quæt. 4. Si quis ſponſalia, vel matrimonium contraxit cum duabus, quænam, vel quod ex illis ſervandum ſit, & validum? Reſp. ſiquis cum duabus contrahat ſponſalia ſub conditione de futuro, etſi poſteriorum ſponſalium conditio priùs impleatur, adhuc priora erunt valida, quandocunque eorum conditio eveneric. Si quis verò cum duabus contraxit matrimonium, ſub conditione pendente in futurum, illud validum eſt, cujus conditio priùs impletur, ſive illud primò contractum ſit, ſive poſterius, modò tamen contrahens utrumque, quantnm poteſt, velit eſſe validum, & neutrum conſenſum revocârit, *n.* 28.

§. V. *An cauſa, demonſtratio, vel modus adjectus contractui matrimoniali ipſum vitiet, vel ſuſpendat?*

Assertio 1. Demonſtratio, vel cauſa, ſive turpis ſit, ſive honeſta, vel contraria ſubſtantiæ matrimonii, vera, vel falſa, per ſe nunquam ſuſpendit, nec vitiat matrimonium, ſed ſemper habetur pro non adjecta, & matrimonium valet, ut accipio te in uxorem, quæ vel quia es ſterilis, vel virgo &c. *n.* 29. Aſſ. 2. Modus adjectus contractui matrimoniali non vitiat illum, nec ſuſpendit, niſi ſit contrarius ſubſtantiæ, aut bonis matrimonii, *n.* 30. Aſſ. 3. Si modus adjectus matrimonio ſit impoſſibilis, non tamen repugnans ſubſtantiæ matrimonii, ut contraho tecum eâ lege, ut digito cœlum tangas, ut montem aureum mihi des: vel turpis, & illicitus, ut patrem tuum interficias, tunc matrimonium valet, & modus pro non adjecto habetur, in favorem matrimonii, *n.* 31. Unde cognoſci poſſit, utrùm contractus aliquis initus ſit ſub modo, vel conditione propriè dicta, ſive ſuſpenſiva, an verò ſolùm ſub modo, ſeu conditione non ſuſpenſiva? *n.* 32. Specialiter verò conditio non ſuſpenſiva, ſive modus impoſſibilis, vel turpis, ſi non adverſetur ſubſtantiæ contractûs, debet haberi pro non adjecto in contractu matrimonii, ob illius favorem, *cit. n.* 32. Servus poteſt manumitti ſub ea conditione, ſeu modo, ut fiat Monachus, vel Clericus, *c. Cum ſit. 2. h. t. n.* 33. Donatio Eccleſiæ, vel pio loco facta ſub modo, non poteſt à donatore poſtea revocari, niſi expreſsè fuerit conventum in donatione, quòd ſi pactum, vel modus non ſervetur, poſſit revocari, *c. Verum. 4. h. t. n.* 34. Idque declaratur *n.* 35.

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis.

c. 1. *n.* 19.
c. 2. *n.* 33.
c. 3. *n.* 5. *&* 2. *ſeqq.*
c. 4. *n.* 34. *& ſeq.*
c. 5. *n.* 8. *&* 2. *ſeqq.*
c. 6. *n.* 20. *& ſeq.*
c. 7. *& ult. n.* 12. *& aliquot ſeqq.*

TITVLVS VI.

QUI CLERICI, VEL VOVENTES matrimonium contrahere poſſunt?

§. I. *Vtrùm Ordo ſacer dirimat matrimonium ſubſequens, & quo jure?*

Assertio 1. Per Ordinem ſacrum, videlicet Presbyteratum, Diaconatum, & Subdiaconatum, dirimitur matrimonium poſtea initum, *c.* 1. *h. t. n.* 1. Excipitur 1. niſi quis fuerit promotus per illatam vim, ſeu metum gravem. 2. qui ſuſcepit Ordinem ſacrum ante pubertatem, non obligatur ad votum continentiæ ei annexum, *num.* 2. Clericus in Sacris conſtitutus, ſi uxorem ducat, fit irregularis, *cit. n.* 2. Subdiaconus, qui de facto contrahit matrimonium, ſi ad Religionem tranſire voluerit, poteſt ei Epiſcopus concedere, ut ad altiores Ordines promoveatur. Si verò non vult ad Religionem tranſire, neque in Subdiaconatu miniſtrare, neque ad altiores Ordines promoveri poteſt, in minoribus tamen Ordinibus miniſtrare poterit, *n.* 3. Qui in minoribus Ordinibus ſunt conſtituti, poſſunt contrahere matrimonium, *n.* 4. Epiſcopus diſpenſare poteſt cum Clerico in Sacris conſtituto, ſi cum unica, eâque virgine contraxit matrimonium: ſecus, ſi cum vidua, aut corrupta, vel cum eo Clerico in Sacris, qui binas nuptias contraxit, *n.* 5. Aſſ. 2. probabilius eſt, ac veritas, non jure naturali, vel Divino, ſed ſolo jure Eccleſiaſtico per ſuſceptionem Ordinis ſacri, dirimi matri-

Digitized by Google

matrimonium subsequens, *n.* 6. Cur per susceptionem sacri Ordinis impediatur matrimonium contrahendum, ita ut validè contrahi non possit: non autem irritetur matrimonium præcedens etiam non consummatum? *n.* 7. Nullus, durante matrimonio, etiam non consummato, potest recipere aliquem ex Ordinibus sacris, nisi cum licentia uxoris Religionem ingredientis, vel etiam in seculo remanentis, & votum castitatis emittentis, si uxor sit suspecta de incontinentia, *n.* 8. Sed neque talis conjugatus Ordines minores recipere potest, ut est probabilius, *n.* 9. Quòd si quis post matrimonium ratum, & non consummatum, in Sacris constitutus Religionem ingrediatur, & in ea proficeatur, potest Episcopus cum eo dispensare, ut in suscepto Ordine ministrare, & ad altiores ascendere possit, *n.* 10. Est tamen talis conjugatus monendus, per Episcopum, ut Religionem ingrediatur, si matrimonium nondum sit consummatum, *n.* 11. Hoc est discrimen inter Græcos, & Latinos in sacris Ordinibus constitutos, quòd illis licuit, post matrimonium initum, sacros Ordines suscipere, & matrimonio antea contracto uti, non autem Latinis, *n.* 12.

§. II. *An, & quo jure votum solemne castitatis per professionem Religiosam matrimonium postea initum dirimat: & an etiam votum simplex castitatis impediat matrimonium, idque dirimat?*

Assertio I. Votum solemne castitatis per professionem Religiosam emissum dirimit matrimonium subsequens, non autem si solùm fuit votum ingrediendi Religionem, licèt postea matrimonium contraxerit, *c. Meminimus. 3. h. t.* quamvis impediat matrimonium contrahendum, *n.* 13. & 14. Ass. 2. Votum solemne castitatis editum in Religione, non jure naturali, ac Divino, sed solo Ecclesiastico irritum reddit matrimonium subsequens, *n.* 15. Votum solemne castitatis etiam per professionem tacitam emissum impedit, ac dirimit matrimonium postea contractum, *c.* 7. & *ult. h. t. n.* 16. Declaratur *n.* 17. An & quando votum solius v. g. castitatis, & sic unius tantùm ex substantialibus, si emittatur in ordine ad certam Regulam approbatam, & in manibus habentis potestatem admittendi, fiat solemne, & veram professionem inducat? *n.* 18. Professio fieri potest etiam in manibus privati Religiosi alicujus habentis ad hoc speciale mandatum, *n.* 19. Potest Religiosus licitè retinere bona sua quoad usumfructum, vel usum, cum licentia Superioris, & dependenter ab ejus voluntate, *n.* 20. Susceptio habitûs professorum extra Religionem à non habente potestatem admittendi ad Religionem, impedit matrimonium contrahendum, non autem dirimit contractum, *c. Consuluit. 4. h. t. n.* 21. & 22. Quando per assumptionem habitûs professorum extra claustrum Monasterii fit votum solemne, ita ut impediat, & dirimat matrimonium postea contractum, vel non? *n.* 23. Ass. 3. Votum simplex castitatis impedit, ne matrimonium licitè iniri possit, non tamen dirimit postea initum, sed tale matrimonium validum est, non obstante voto simplici castitatis, *c. Rursus. 6. h. t. n.* 24. Votum simplex, & solemne non differunt per se, ac ex natura sua, sed solùm ex Ecclesiæ Constitutione accidentaliter, & extrinsecè, *n.* 25. Ex Constitutione Gregorii XIII. tria vota simplicia Societatis JESU post biennium probationis emissa, irritant matrimonium postea contractum, non tamen dirimunt matrimonium antea contractum, *n.* 26.

§. III. *An per votum simplex castitatis dirimantur præcedentia sponsalia de futuro?*

Mulier, quæ promisit se alicui nupturam, & postea vovit castitatem, ideóque sponsus aliam duxit, si non valet continere, sed timet, ne in fornicationem incidat, potest petere dispensationem in voto, & nubere alteri, impositâ ei pœnitentiâ, ob fidem non servatam, & votum violatum, *c. Veniens. 5. h. t. n.* 27. Ubi certum est 1. per votum ingrediendi Religionem dissolvi priora sponsalia. 2. per votum simplex castitatis perpetuæ præcedens sponsalia illa irritari, quia continent promissionem rei illicitæ. 3. quando unus ex sponsis castitatem vovit, alter à sponsalibus servandis liber est, quia vovens censetur illis renunciâsse. *n.* 28. Probabile est, sponsalia de futuro dissolvi per subsequens simplex votum perpetuæ continentiæ editum animo permanendi in seculo, ita ut vovens non possit matrimonium antea promissum inire: quare si quis post votum castitatis editum, contrahat cum alia matrimonium, violabit quidem votum, non tamen fidem priorum sponsalium, quia ea jam per votum omnino erant dissoluta, ut colligi videtur ex *cit. c. Veniens. 5. h. t. n.* 29. Verùm probabilius est, per votum simplex castitatis editum post sponsalia priùs contracta, illa non dissolvi, *n.* 30. Quid in praxi in hac quæstione faciendum? *n.* 31. An Episcopus possit dispensare in voto castitatis perpetuæ? *n.* 32.

SERIES CAPITVLORVM.

In Antiquis.
c. 1. *n.* 1. & *seq.*
c. 2. *n.* 3. & 2. *seqq.*
c. 3. *n.* 13. & 14.
c. 4. *n.* 21. & 2. *seqq.*
c. 5. *num.* 27. & *aliquot seqq.*
c. 6. *n.* 24. & *seq.*
c. 7. & *ult. num.* 16. & *seq.*

TITVLVS VII.

DE EO, QUI DUXIT IN MATRIMONIUM, quam polluit per adulterium.

§. I. *An, & quando adulterium dirimat matrimonium subsequens?*

Assertio I. Adulterium dirimit matrimonium subsequens, si vir, vivente legitimâ uxore, cum alia per verba de præsenti matrimonium contrahere attentavit, vel saltem de matrimonio post mortem prioris conjugis contrahendo promissionem fecit, *n.* 1. Ass. 2. Siquis vivente legitimâ suâ uxore, cum alia contrahat matrimonium ignorante primam uxorem ipsius adhuc vivere: is mortuâ primâ uxore, si petat à secunda separari, non debet ab illa separari: quamvis secunda possit à viro, si velit, discedere, *c. 1. h. t. n.* 2. Duo sunt casus, in quibus propter adulterium prohibetur matrimonium iniri inter adulterum, & adulteram, *n.* 3. Solum adulterium non sufficit ad dirimendum matrimonium subsequens, sed insuper requiritur, ut vir promiserit matrimonium adulteræ, vel ut actu cum illa contraxerit, vel ut adultera in mortem prioris uxoris machinata fuerit, *cit. n.* 3. Potest tamen is, qui vivente marito, conju-

gem

Digitized by Google

gem illius adulteravit, poſt peractam pœnitentiam, viduam illam in uxorem ducere, *n.* 4. Aſſ. 3. Siquis contrahat per verba de præſenti cum una, quam tamen carnaliter non cognovit, adeoque matrimonium non conſummavit: ſed poſtea ſcienter cum alia contrahat, eámque carnaliter cognovit: hoc caſu, ſi primum matrimonium non fuit validum, quia coactè contraxit, nec eam carnaliter cognovit, talis, mortuâ primâ uxore, poteſt manere cum ſecunda, eámque habere in uxorem: ſi verò prius matrimonium fuit validum, licèt prima uxor ſit mortua, non poteſt habere ſecundam, ſi ſcienter contraxit cum illa: ſecus, ſi ignoranter, tunc enim ſaltem aliam ducere poterit, *c. Significavit. 2. h. t.* Et ſic legi debent, & corrigi, quæ habentur *n. 5. h. t.* à principio uſque ad §. *Si verò.* Ut adulterium dirimat matrimonium ſubſequens, requiritur, ut matrimonium priùs contractum ſit validum: per copulam ramen carnalem ſpontaneam affectu maritali habitam ſubſequentem matrimonium gravi metu contractum ratificatur, & validum redditur, *n.* 6. Matrimonium autem validum eriam nondum conſummatum inducit impedimentum dirimens perpetuum, ita ut non poſſit quis habere in uxorem illam, cum qua contraxit matrimonium, vivente primâ uxore legitimâ, etſi non cognitâ, neque verò per juramentum adjectum matrimonio gravi metu contracto, hoc efficitur validum, *cit. n.* 6. Aſſ. 4. Siquis vivente primâ uxore, à qua ſe ob adulterium ejus ſeparavit, quoad torum, & quæ Monialis facta eſt, contrahat cum ſecunda, quæ ſcivit, quòd ille aliam habeat uxorem, is mortuâ primâ uxore, ſeparari debet à ſecunda, ita tamen ut poſſit ducere in uxorem, non ſecundam, ſed aliam tertiam, *c. Ex litterarum. 4. h. t. n.* 7. Idque procedit, etiamſi adulter, vivente legitimâ ſuâ uxore, longo tempore ſecundæ adulteræ cohabitaverit, & plures filios ex ea ſuſceperit, nihilominus enim eâ mortuâ, à ſecunda ſeparari debet, *c. Cùm haberet. 5. h. t. n.* 8. *&* 9. Aſſ. 5. Siquis, vivente primâ uxore, ſecundam inſciam criminis adulterii à viro commiſſi, duxerit in uxorem, mortuâ primâ uxore, licitè manere poteſt cum ſecunda, ſi novus conſenſus interveniat, *c. Veniens. 7. h. t. n.* 10. *&* 11. Aſſ. 6. Siquis vivente primâ uxore ſuâ, fidem dedit alteri de ea ducenda, poſt mortem uxoris, vel de facto contraxit cum ea matrimonium, ſi nec ante fidem datam, nec poſt, vel nec ante contractum matrimonium de facto, nec poſt, eandem cognovit, vivente primâ, & hac mortuâ contrahat matrimonium cum ſecunda, non eſt tale matrimonium ſeparandum, ſed tenet: quamvis utrique eorum, ob hoc delictum, pœnitentia injungi debeat; quòd ſi vivente adhuc primâ uxore, ſecundam carnaliter cognovit, ante, vel poſt fidem datam, ſeu matrimonium, adeoque adulterio eam polluit, non debet tale matrimonium tolerari, *c. 8. & ult. h. t. n.* 12. Solus contractus matrimonii, vel ſola promiſſio de eo contrahendo cum ſecunda, vivente primâ uxore, non inducit impedimentum dirimens matrimonium cum illa, cui fidem dedit, vel cum qua de facto contraxit matrimonium, niſi interveneric carnalis copula cum ſecunda, *n.* 13.

§. II. *Quænam conditiones requirantur, ut adulterium dirimat matrimonium inter adulteros?*

Plures requiruntur. Prima conditio eſt, ut adulterium concurrat cum promiſſione matrimonii futuri, vel cum matrimonio de facto inito. 2. Ut matrimonium de præſenti attentarum, vel fides de eo data ſit, & adulterium commiſſum, dutante adhuc eodem legitimo matrimonio. 3. Ut uterque adulteras ſciat alterum conjugatum eſſe. 4. Ut promiſſio matrimonii non ſit ficta, ſed ſerla, quamvis aliqui putent etiam ex ficta promiſſione oriri hoc impedimentum. 5. Ut promiſſio ab una parte facta, ab altera ſit acceptata. 6. Ut promiſſio pura ſit, & abſoluta, vel ſaltem ut ante mortem conjugis fuerit purificata, quamvis aliqui contrarium teneant. 7. Ut copula carnalis ſit perfecta, ſeu conſummata. 8. Ut prius matrimonium fuerit validum, *n.* 14. *&* 15.

§. III. *An, & quando crimen homicidii, ſeu machinationis mortis alterius cõjugis dirimat matrimoniũ ſubſequẽs?*

Alterum crimen dirimens matrimonium ſubſequens eſt homicidium, ſeu machinatio facta in mortem unius conjugis, cum propoſito contrahendi poſtea matrimonium cum altero conjuge ſuperſtite. Aſſ. 1. Siquis matrimonium de facto cum aliqua contraxit, vivente primâ uxore, eámque cognovit, non poteſt is, poſt mortem uxoris primæ, illam ducere in uxorem in perpetuum, ſi iſta adultera machinata fuit in mortem primæ uxoris, vel ſi vir fidem adulteræ dedit, quòd primâ defunctâ, illam ducturus ſit, *c. Super hoc, 3. h. t. num.* 16. *&* ſeq. Aſſ. 2. Similiter ſi quis vivente legitimâ uxore ſuâ, habeat copulam cum altera, mortuâ uxore, poteſt illam ducere, & matrimonium cum illa initum tenet, niſi eâ vivente, fidem illi dederit, vel alter eorum mortem uxoris defunctæ fuerit machinatus, *c. Significaſti. 6. h. t.* (vel niſi de facto eam in uxorem duxerit) *n.* 18. Solum adulterium non reddit matrimonium poſtea initum invalidum, ne quidem inter perſonas contractum, à quibus illud commiſſum fuit, niſi cum adulterio concurrat machinatio in mortem alterius conjugis, tunc enim matrimonium erit invalidum, *n.* 29. Conjugatus perſiſtens in adulterio poteſt excommunicari, niſi ad uxorem redeat, poteſt tamen excommunicatus contrahere matrimonium, illúdque tenet, quamvis peccet contrahendo, *cit. n.* 19. Ad impedimentum hoc dirimens matrimonium contrahendum non requiritur phyſica cooperatio in mortem alterius conjugis, ſed ſufficit moralis, nempe contrahere volentes matrimonium, mandato, vel conſilio ad mortem alterius conjugis per alios cooperatos eſſe, modò ſic ab aliis petmori mortem intulerint, *n.* 20. Sola ratihabitio necis alteri conjugi illatæ non ſufficit ad inducendum hoc impedimentum, *n.* 21. Hoc impedimentum incurritur, non tantùm ſi in uxoris, ſed etiam ſi in mariti cædem conſpiratio, ſeu machinatio facta ſit ab uxore, *n.* 22. Quando impedimentum hoc machinationis in mortem alterius conjugis non incurritur, niſi etiam adulterii intervenerit? *n.* 23. Quærnunc, quænam conditiones præterea ſint neceſſariæ, ut incurratur hoc impedimentũ? Reſp. requiritur 1. ut machinatio illa ſit efficax, & cædes reipſa ſit ſecuta, *n.* 24. 2. Ut machinatio mortis facta ſit animo ineundi matrimonium cum conjuge ſuperſtite, *n.* 25. 3. requiritur, ut ſi unus tantùm machinetur mortem conjugis, matrimonium utrique contracturo

ſit;

Digitized by Google

sit notum, sive ut fœmina etiam sciat, virum, cum quo fornicata est, esse conjugatum. *n.* 26. 4. requiritur ad contrahendum hoc impedimentum, ut matrimonium prius cum uxore occisa initum fuerit validum, & legitimum, non tantùm bonâ fide existimatum, etiamsi non consummatum fuerit, *n.* 27. Solvitur objectio Lutheri ex Veteri Testamento, *n.* 28. Aliud crimen dirimens matrimonium Jure novo Ecclesiastico introductum est crimen raptûs, de quo infrà *libr.* 5. *Tit.* 17. *sect.* 1. §. 3. & 4.

SERIES CAPITVLORVM.

In Antiqvis.

c. 1. *n.* 2. & 2. *seqq.*
c. 2. *n.* 5. & *seq.*
c. 3. *n.* 16. & *seq.*
c. 4. *n.* 7.
c. 5. *n.* 8. & *seq.*
c. 6. *num.* 13. & *aliquot seqq.*
c. 7. *n.* 10. & *seq.*
c. 8. & *ult. num.* 12. & 3. *seqq.*

TITVLVS VIII.

DE CONJUGIO LEPROsorum.

§. I. *An per lepram supervenientem præcedentia sponsalia de futuro dissolvantur, vel etiam matrimonium præcedens?*

Assertio I. Per lepram supervenientem dissolvuntur sponsalia de futuro priùs contracta, si sponsus immunis à lepra id petat; quamvis etiam promittere possit leprosæ matrimonium, quam scit esse leprosam, si velit, *c.* 3. & *ult. h. t. n.* 1. Id verò extenditur ad quemvis alium morbum contagiosum supervenientem uni ex sponsis, post sponsalia de futuro inita; nam ob quamvis notabilem mutationem supervenientem post sponsalia, ea dissolvuntur, si id petat sponsus sanus, *n.* 2. Ass. 2. per lepram supervenientem non dissolvitur matrimonium præcedens, ac proinde conjux leprosus non potest, nec debet propter lepram separari à sano: quòd si unus conjux alterum leprâ infectum sequi noluit, debet uterque, altero vivente, continentiam servare, alioquin excommunicentur, *c.* 1. *h. t. n.* 3. Leprosi ex generali consuetudine licitè separantur à consortio reliquorum hominum. Item per lepram supervenientem non dissolvitur matrimonium antea contractum, neque propter aliam infirmitatem quantumvis gravem, & multò minùs dissolvi potest matrimonium propter lepram, postquam consummatum fuit, *n.* 4. An sicut uxor tenetur sequi virum, ita & vir uxorem? *n.* 4.

§. II. *Aliæ nonnullæ quæstiones circa conjugia leprosorum proponuntur, & resolvuntur.*

Quær. 1. An propter lepram, vel aliam infirmitatem, conjux à conjuge separandus sit, saltem quoad torum, & cohabitationem? Resp. propter lepram, vel aliam gravem infirmitatem unus conjux alterum non debet dimittere, nec ab eo separari, etiam quoad torum, & cohabitationem, *c.* 2. *h. t. n.* 5. & 6. Non ob solam causam fornicationis, seu adulterii, sed ob alias etiam causas separatio inter conjuges quòad torum, & cohabitationem ad certum, vel incertum tempus fieri potest, *cit. n.* 6. Quomodo intelligendum sit illud dictum Christi, non posse virum dimittere uxorem suam, exceptâ causâ fornicationis, seu adulterii? *cit. n.* 6. & 7. Quær. 2. An leprosi possint contrahere matrimonium? Resp. si continere nolint, & aliquam inverenint, quæ ipsis nubere velit, possunt ad matrimonium transire, *c.* 2. *h. t. n.* 8. Quær. 3. An conjuges leprosi teneantur sibi invicem reddere debitum conjugale? Resp. Si vir, vel uxor leprosa fuit, & conjux infirmus à sano debitum exigat, illud reddendum est, nisi debiti redditio cedat conjugi sano in notabile damnum, & periculum infectionis foret, *cit. c.* 2. *in fine. n.* 9. Quando teneatur conjux sanus leproso debitum reddere, & quando excusetur? *cit. n.* 9. Utrùm conjux sanus teneatur cum leproso assidue cohabitare? *n.* 10.

SERIES CAPITVLORVM.

In Antiquis.

c. 1. *n.* 3. & *seq.*
c. 2. *n.* 5. & *aliquot seqq.*
c. 3. & *ult. n.* 1.

TITVLVS IX.

DE CONJUGIO SERVORUM.

Aliud impedimentum matrimonii est error servilis conditionis. Est autem hîc sermo non de servis adscriptitiis, qui prædio colendo sunt perpetuò addicti, sed de servis propriè dictis, qui non sunt liberi, *num.* 1.

§. I. *An servus possit licitè, & validè contrahere matrimonium, invito, vel ignorante domino, & quâ ratione error statûs, seu conditionis servilis dirimat matrimonium, & quo jure?*

Assertio I. Servus etiam invito, & contradicente domino, licitè matrimonium contrahere potest, illúdque tenet, quamvis debita, & consueta servitia nihilominus domino exhibere debeat, *c.* 1. *h. t. n.* 2. Servus Christianus, & baptizatus non potest omnia Sacramenta suscipere, quæ sunt omnibus Christianis communia, excepto Ordine, quia nullus servus debet ordinari, sine consensu domini: aliud est de servis non baptizatis, de quibus nihil potest disponere Ecclesia, *n.* 3. Ass. 2. Error conditionis servilis, quando scilicet homo liber contrahit matrimonium cum ancilla, quam ignotat esse ancillam, vel libera cum servo, quem nescit esse servum, reddit irritum matrimonium, *c.* 2. *h. t. n.* 4. Ubi tamen distinguendum est: vel enim contrahit quis matrimonium cum ancilla, ignorans illam esse ancillam, sed putans esse liberam, & tunc matrimonium non renet: vel sciens esse alterum servum, vel ancillam, cum eodem, vel eadem contrahit matrimonium; & tunc illud tenet, *cit. c.* 2. *h. t. n.* 5. Error circa qualitatem personæ, ut si quis contrahat cum illa, quam putat esse nobilem, cùm non sit, non dirimit matrimonium, *cit. n.* 5. Matrimonium, quod liber contraxit cum ancilla, ignorans illam esse ancillam, sit validum, si postquam scit illam esse servam, carnalem copulam cum illa habeat, *cit. c.* 2. *h. t.* Quamvis hoc non procedat post Concil. Trident. *cit. n.* 5. Judex Ecclesiasticus potest judicare inter laicos super dote restituenda, *cit. n.* 5. Ass 3. Quando per conditionem servilem redditur deterior conditio errantis, ut quia credidit mulierem, cum qua contraxit matrimonium, esse liberam, cùm esset ancilla, tunc error vitiat matrimonium: quando verò liber contrahit matrimonium cum libera, quam putavit esse ancillam,

Digitized by Google

tum non redditur matrimoniũ nullũ. Item ſi ſervus contrahat matrimoniũ cum ancilla, quã putabat eſſe liberam, valet matrimonium, *n.* 6. Quær. ulteriùs. Utrùm error conditionis ſervilis dirimat matrimonium jure naturali, an verò ſolùm jure Eccleſiaſtico? Probabile eſt, quòd error ſervitutis jure naturali, ac gentium reddat matrimonium irritum, *n.* 7. Probabilius tamen eſt ſolo jure Eccleſiaſtico teddere irritum, *n.* 8. An matrimonium inter infideles initum cum errore ſervitutis ſit validum? *n.* 9. An ſi dominus proprium ſervum, vel ancillam tradat in matrimonium perſonæ liberæ ignaræ ſervitutis, talis perſona libera fiat? *n.* 10. Aſſ. 4. Si liber ignoranter matrimonium contraxit cum ancilla, quam ignoravit eſſe ancillam, ſi poſtquam id ſcivit, nec verbo, nec facto in illam conſenſit, matrimonium non valet, & cum alia contrahere potetit, *c.* 4. *& ult. h. t. n.* 11. *&* 12. Matrimonium ab initio nullum, ob errorem conditionis ſervilis, poſtquam conſtat de illius nullitate, ratificatur per ſuperveniențem conſenſum verbis expreſſum, vel facto, id eſt, per copulam ſubſequentem, modò tractatus de matrimonio, vel ſponſalia de futuro præceſſerint, quod tamen non procedit poſt Concil. Trident. *n.* 13. Cui incumbat onus probandi ignorantiam ſervitutis? *cit. n.* 13.

§. II. *An, & quando proles, quoad libertatem, & ſervitutem, ſequatur conditionem, non matris, ſed patris?*

Valet conſuetudo legitimè præſcripta, ut proles ſequatur, quoad libertatem, & ſervitutem, non matris, ſed patris conditionem, ita ut ſi pater ſit liber, vel ſervus, etiam filii ſint liberi, vel ſervi, non attentâ conditione matris, *c.* 3. *h. t. n.* 14. *&* 15. Valet matrimonium liberi initum cum ancilla, ſi ignorata fuit conditio ſervilis illius, poſt elapſum decennium, imò etiam poſt quinquennium, *cit. n.* 15. Favore libertatis in dubio judicandum eſt pro libertate, *cit. n.* 15.

SERIES CAPITVLORVM.

In Antiquis.
c. 1. *n.* 2. *& ſeq.*
c. 2. *n.* 4. *& aliquot ſeqq.*
c. 3. *n.* 14. *& ſeq.*
c. 4. *& ult. n.* 11. *&* 2. *ſeqq.*

TITVLVS X.

DE NATIS EX LIBERO ventre.

Filij nati ex libera, vel liberta ſunt liberi, & Eccleſia debet libertatem potiùs defendere, quàm impugnare, *c. nn. h. t. n.* 1. Filij legirimè nati, quoad familiam, nobilitatem, & dignitatem, ſequuntur conditionem patris, non matris: quoad ſtatum verò libertatis, vel ſervitutis, ſequuntur conditionem matris. Sufficit autem, ſi mater tempore conceptionis, vel nativitatis, vel medio tempore fuerit libera, ut proles libertate gaudeat, *n.* 2. Liberti, ſive libertini, hoc eſt, filij libertæ, nempe progeniti ex ancilla, quæ ex ſervitute manumiſſa eſt, ſunt liberi, etſi pater ſervus fuerit, nec poſſunt à domino in ſervitutem revocari, *cit. t. nn. h. t. n.* 3.

In Antiquis.
c. nn. n. 1. *&* 2, *ſeqq.*

TITVLVS XI.

DE COGNATIONE SPIRITUALI.

§. I. *Quid ſit cognatio ſpiritualis, unde dicatur, & inter quas perſonas contrahatur?*

Assertio I. Cognatio ſpiritualis eſt propinquitas quædam perſonarum, quæ ex ſtatuto Eccleſiæ oritur ex collatione, & ſuſceptione Sacramentorum Baptiſmi, & Confirmationis, *n.* 1. Cognatio ſpiritualis non habet ortum ex jure naturali, neque ex jure Divino poſitivo, ſed ex ſolo jure Eccleſiaſtico, ſeu inſtitutione Eccleſiæ. Ex aliis verò Sacramentis non oritur cognatio ſpiritualis, neque ex Sacramento Pœnitentiæ inter Confeſſarium, & ſuum Confeſſionis: eſt autem impedimentum hoc ſpirituale cognationis perpetuum, *n.* 2. Aſſ. 2. Cognatio ſpiritualis impedienſ, ac dirimens matrimonium jure antiquo triplex erat, paternitas, compaternitas, & fraternitas, *n.* 3.

§. II. *Quænam circa cognationem ſpiritualem, ſive paternitatis, ſive compaternitatis, ſive fraternitatis, Jure antiquo Decretalium ſtatuta ſunt, & inter quas perſonas ea impediat matrimonium contrahendum, vel dirimat contractum?*

Inprimis filii duorum compatrum, per quorum neutrum deventum eſt ad compaternitatem, licitè contrahunt matrimonium, niſi conſuetudo alicujus Eccleſiæ aliud obſerver, *c. t. h. t. n.* 4. *&* 5. Secundò, ſi duo conjuges, vir, vel mulier, ſcienter, vel ignoranter proprium filium de facto fonte ſuſceperint, etſi videantur ſeparari debere: aliter tamen etiam ſtatutum reperitur, nempe ut ſive ex ignorantia, ſive ex malitia id fecerint, non ſint ab invicem ſeparandi, nec alter alteri debitũ conjugii negare debet, niſi ad continentiam poſſint induci, *c* 2. *h. t. n.* 6. Parentes carnales non debent proprios filios baptizare, nec in Baptiſmo, vel Confirmatione ſuſcipere, extra neceſſitatem; tunc autem non oritur inter eos impedimentum cognationis ſpiritualis, *n.* 7. Quòd ſi conjux extra neceſſitatem, baptizet, vel ut patrinus, ſuſcipiat è Baptiſmo, vel Confirmatione communem filium, vel ſolius alterius conjugis, non ſunt ab invicem ſeparandi, ſive ſcienter, ſive ignoranter hoc fecerint: ſi tamen ſcienter hoc fecerint, non poteſt quidem unus conjux alteri debitum negare, ipſe tamen non poteſt exigere, *cit. n.* 7. Quando pater carnalis in neceſſitate proprium filium tenuit in Baptiſmo, non oritur inter eos impedimentum cognationis ſpiritualis, ſi fuerint legitimi conjuges: aliud eſt in concubina, *n.* 8. Ad contrahendam cognationem ſpiritualem requiritur ſcientia, & intentio illam contrahendi, *n. eod.* Tertiò filij duorum compatrum, per quorum alterum, vel utrumque parentes ad compaternitatem perveneruntt, matrimonialiter conjungi non poſſunt, ſed conjuncti ſeparari debent: ſecus eſt, ſi per neutrum illorum compaternitas contracta fuit, tunc enim conſuetudo Eccleſiæ Metropolitanæ, vel aliarum vicinarum Eccleſiarum ſervari debet, *c. 3. h. t. n.* 9. Per conſuetudinem non poteſt induci impedimentum dirimens matrimonium, niſi fuerit per S. Pontificem approbata, *n.* 10. Conſuetudo, quæ reddit fideles inhabiles ad contrahendum matrimonium, ſine conſenſu, & approbatione S. Pontificis, non eſt rationabilis, *n.* 11.

Quartò

Digitized by Google

Quartò filii duorum compatrum, per quorum alterum perventum est ad compaternitatem, si matrimonium contrahant, separari debent, quia matrimonium non tenet, & qui hoc sciunt, debent tempore contractûs illud denuntiare, *c. Tua nos. 7. h.t. n. 12.* Inter baptizatum, & filios levantis è baptismo etiam antea genitos, contrahitur cognatio spiritualis dirimens matrimonium de jure antiquo, *n. 13.* Hodie post *Concil. Trident. Sess. 24. c. 1. de reform. matr.* antequam contrahatur matrimonium, publicè denuntiari debent ij, inter quos matrimonium est contrahendum, ut si quis sciat aliquod impedimentum inter eos esse, illud aperiat, *n. 14.* Quintò compaternitas dirimens matrimonium contrahitur inter patrem baptizati, & uxorem levantis è Baptismo priùs ab eo cognitam, *c. Martinus. 4. h. t. n. 15. & 16.* Sextò impedimentum impediens, ac dirimens matrimonium contractum oritur inter patrem baptizati, & levantem, seu tenentem baptizatum, *c. Veniens, 6. h. t. n. 17.* Septimò cognatio spiritualis impediens, & dirimens matrimonium oritur inter baptizatum, & filium baptizantis, prout sumitur ex *c. 8. & ult. h. t. n. 18.* Siquis etiam laicus in extrema necessitate baptizet aliquem, contrahit cognationem spiritualem dirimentem subsequens matrimonium cum baptizato, ejúsque parentibus. Item filius, vel filia spiritualis Sacerdotis baptizantis non potest matrimonio copulari filio, vel filiæ carnali ipsius Sacerdotis: quæ cognatio spiritualis extenditur etiam ad filios spurios, ac illegitimos baptizantis, *num. 19.* Octavò cognatio spiritualis contrahitur, inter baptizatum, & suscipientem, ipsiúsque filios, & uxorem ante susceptionem carnaliter cognitam: item inter suscipientem (ejúsque uxorem) patrémque baptizati, ac matrem, quæ & impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum, idémque est de baptizante, *c. 1. h. t. in 6. n. 20.* Denique ex Confirmatione quoque cognatio spiritualis contrahitur impediens matrimonium contrahendum, & dirimens contractum, *cit. c. 1. h. t. in 6. eod. n. 20.* Ut autem spiritualis cognatio contrahatur inter baptizatum, & uxorem suscipientis è Baptismo, requiritur, ut ante susceptionem sit carnaliter cognita à viro, secus si post susceptionem, *n. 21.*

§. III. *An per Catechismum præcedentem Baptismum contrahatur cognatio spiritualis impediens, ac dirimens matrimonium?*

Compaternitas contracta per Catechismum præcedentem Baptismum vix impedit matrimonium contrahendum, & contractum non ditimit, *c. Contracto. 5. h. t. n. 22. & c. 2, eod. in 6. n. 23.* Is, qui tenet puerum in Catechismo, contrahit cognationem spiritualem impetfectam, sive institutio fidei præcedat Baptismum, sive sequatur, nec impedit exactionem, & redditionem debiti conjugalis, *n. 24.* Verisimilius est, prædictum impedimentum omnino sublatum esse per *Concil. Trident. Sess. 24. c. 2. de refor. matr. n. 25.*

§. IV. *An plures possint intervenire Patrini, seu susceptores in Baptismo, & Confirmatione de jure antiquo, & an inter omnes, si plures sint Patrini, contrahatur spiritualis cognatio?*

De Jure antiquo prohibitum erat, ut plures patrini in Baptismo, vel Confirmatione adhiberentur, sed unus solus, sive vir, sive mulier adhiberi poterat; si tamen plures susceperunt, omnes contrahebant cognationem spiritualem, *c. 3. & ult. h. t. in 6. n. 26. & 27.* Verùm Jure novo *Concilii Trident. Sess. 24. c. 2. de refor. matr.* unus tantùm, sive vir, si puer baptizandus sit, sive mulier, si puella: vel ut summùm unus, & una (mas, & femina) sive puer, sive puella baptizetur, patrini esse possunt, *n. 28.* Quid præterea circa hoc decreverit *Concil. Trident. c. 1. n. 29.* Ad parentes pertinet designare patrinos, vel ad Parochos, quòd si nullus sit designatus patrinus, & multi simul tenendo tangant baptizandum, vel simul suscipiunt, omnes contrahunt spiritualem cognationem: quamvis etiam probabile sit, quòd si nulli designentur patrini, nullus contrahat cognationem spiritualem, etiamsi plures simul suscipiant baptizatum, *n. 30.* In Confirmatione verò juxta Concil. Trident. unus, vel una tantùm possunt esse patrini, *cit. n. 30. in fine.*

§. V. *Inter quosnam contrahatur cognatio spiritualis in Baptismo, & Confirmatione, de Jure novo Concilii Tridentini?*

Cognatio spiritualis contrahitur ex decreto Concilii Tridentini, tantùm inter patrinos, & baptizatum ipsum, & illius patrem, & matrem, nec non inter baptizantem, & baptizatum, & hujus patrem, ac matrem tantùm. Idem est de cognatione, quæ ex Confirmatione contrahitur, *n. 31. & 32.* Inter ipsos verò patrinos etiam Jure antiquo, non contrahebatur cognatio spiritualis, nec patrini conjugati privantur propterea jure exigendi debitum: per parentes autem hîc intelliguntur parentes naturales, sive legitimi sint, sive illegitimi, *cit. n. 32.*

§. VI. *Quæ conditiones requirantur ad munus patrini, & ad contrahendam cognationem spiritualem in Baptismo, & Confirmatione?*

Patrinus dicitur quasi spiritualis pater, ac pœdagogus hominis baptizandi, qui eum in Christiana vita instruere debet, *n. 33.* Ad hoc munus requiritur 1. ut quis usum rationis sit assecutus, etsi non sit necessarium, ut ætate excedat baptizandum. 2. Debet esse baptizatus. 3. Ut intentionem habeat exercendi munus patrini, *n. 34.* Patrini autem esse non possunt hæretici, & apostatæ, item Monachi, & omnes alii Religiosi non possunt esse patrini in Sacramento Baptismi, & Confirmationis, *cit. n. 34.* Ad contrahendam cognationem spiritualem plures etiam conditiones requiruntur. 1. Ut baptizans, vel suscipiens ex Baptismo, sit fidelis, seu baptizatus. Unde si infidelis baptizet filium fidelis, etsi postea ad fidem Christianam convertatur, potest puellam ducere in uxorem, Et è converso si fidelis baptizet, vel suscipiat è Baptismo filium infidelis, possunt inter se contrahere matrimonium, quia nulla inter eos contrahitur spiritualis cognatio, *n. 35.* 2. Requiritur ad cognationem spiritualem contrahendam, ut Sacramentum Baptismi, vel Confirmationis validè sit collatum, *n. 36.* 3. Videntur Jura passim requirere ad cognationem hanc spiritualem contrahendam, ut patrinus teneat, vel tangat baptizatum, vel confirmatum. Unde oritur quæstio, an càm quis per alium velut legatum, aut procura-

Digitized by Google

rotem ſuum, aliquem in Baptiſmo, vel Confirmatione tenet, ſolus procurator, vel legatus cognationem ſpiritualem contrahat cum baptizato, vel confirmato: an verò ſolus principalis, qui per alium ſuſcipit, vel tenet? *n.* 37.

§. VII. *Proponuntur, & reſolvuntur aliæ nonnullæ quæſtiones circa cognationem ſpiritualem ortam ex Baptiſmo, & Confirmatione.*

Quær. 1. An ſuſcipiens prolem in neceſſitate, quia nullus alius adeſt, & in privato Baptiſmo, contrahat cognationem ſpiritualem impedientem matrimonium, vel ejus uſum? Reſp. Talis verus patrinus cenſetur, & ſpiritualem cognationem contrahit, *n.* 38. Quær. 2. An ſi Chriſtianus in extrema neceſſitate aliquem baptizet, contrahat cognationem ſpiritualem dirimentem matrimonium ſubſequens cum baptizato, ejúsque parentibus? Reſp. contrahere: niſi conjux baptizet prolem conjugis ſuæ, vel communem filium, ob urgentem neceſſitatem, ut patrinus, è Baptiſmo ſuſcipiat, tum enim nullum impedimentum contrahitur. An, & quando patens baptizans, vel ſuſcipiens è Baptiſmo proprium filium in neceſſitate, vel etiam extra illam, per probabilem ignorantiam, contrahat impedimentum cognationis ſpiritualis cum propria uxore, ita ut debitum petere non poſſit? *n.* 39. Quær. 3. An hæreticus ſit capax hujus ſpiritualis cognationis? Reſp. ſi hæreticus baptizet, vel in Baptiſmo, aut Confirmatione ſuſcipiat prolem Catholici, is contrahit cognationem ſpiritualem cum perſona baptizata, vel ſuſcepta, & ejus parentibus. Aliud eſt, ſi infidelis, ſive non baptizatus baptizat filium fidelis, vel ſuſcipit in Baptiſmo, vel Confirmatione, *n.* 40. Item quæritur, an Catholicus licitè poſſit prolem acatholici, quæ à miniſtro hæretico baptizatur, rogatus è Baptiſmo ſuſcipere? *n* 41. Et an vice verſâ, petmitti poſſit, ut cùm proles Catholica à Sacerdote Catholico baptizatur, admittatur patrinus hæreticus, v.g. Lutheranus? *n.* 42.

SERIES CAPITVLORVM.

In Antiqvis.

c. 1. *n.* 4.
c. 2. *n.* 6. *& ſeq.*
c. 3. *n.* 9. *&* 10.
c. 4. *n.* 15.
c. 5. *n.* 22. *&* 2. *ſeqq.*
c. 6. *n.* 17.
c. 7. *n.* 12.
c. 8. *& ult. n.* 18. *&* 19.

In Sexto.

c. 1. *n.* 20. *& ſeq.*
c. 2, *n.* 23. *& ſeq.*
c. 3. *& ult. in fine n.* 2. *& idem cap. in princ. n.* 26. *& aliquot ſeqq.*

TITVLVS XII.

DE COGNATIONE LEGALI.

§. I. *Quid, & quotuplex ſit adoptio?*

Ea deſcribitur *n.* 1. Eſtque duplex, una perfecta, quæ arrogatio dicitur, per quam adoptatus tranſit in poteſtatem adoptantis: altera impetfecta, per quam adoptatus non tranſit in poteſtatem adoptantis, *n.* 2.

§. II. *Quid ſit cognatio legalis, & quot ejus ſpecies, & ex qua adoptione oriatur impedimentum hoc dirimens matrimonium ſubſequens?*

Assertio 1. Cognatio legalis eſt propinquitas perſonarum Jure Eccleſiaſtico approbante Jus Civile, ex adoptione proveniens. Eaque triplex eſt; prima in linea recta, ſecunda in linea transverſa, tertia per modum affinitatis cujusdam, prout declaratur *n.* 3. Aſſ. 2. Ex adoptione perfecta, ſive arrogatione oritur cognatio legalis dirimens matrimonium: non autem ex impetfecta, ſive ſimplici adoptione, *n.* 4.

§. III. *An omnes tres ſpecies cognationis legalis impediant, ac dirimant matrimonium, & inter quas perſonas?*

Assertio 1. Prima ſpecies eſt quaſi aſcendentium, & deſcendentium inter patrem adoptantem, & filium, vel filiam, nepotem, vel neptem adoptati, *n.* 5. Secunda ſpecies linearum transverſarum inter naturales, & adoptivos filios adoptantis, & adoptatum, dirimit matrimonium, non in perpetuum, ſed ſolùm quamdiu durat adoptio, *c. unic h. t. n.* 6. Tertia ſpecies legalis affinitatis inter adoptatum, & uxorem adoptantis ex una patte, & inter adoptantem, & uxorem adoptati ex altera, dirimit perpetuò matrimonium, etiam diſſolutâ adoptione per mortem adoptantis, vel emancipationem adoptati, *num.* 7. Cur in prima, & tertia ſpecie cognationis legalis prohibeatur, ac dirimatur matrimonium ſubſequens in perpetuum: in ſecunda verò ſolùm ad tempus, quamdiu durat adoptio? *n.* 8. Quomodo inter adoptantem, & adoptatum, & hujus deſcendentes contrahi poſſit matrimonium, vel non? *n.* 9.

In Antiquis.

c. unic. n. 6.

TITVLVS XIII.

DE EO, QUI COGNOVIT CONSANGUINEAM UXORIS ſuæ (vel ſponſæ)

§. I. *An inceſtus, ſive copula carnalis habita cum conſanguinea uxoris ſuæ impediat, vel dirimat matrimonium?*

Inceſtus commiſſus cum conſanguinea uxoris ſuæ impedit quidem matrimonium contrahendum, ſed non ditimit contractum poſt mortem uxoris, *c.* 1. *h. t. n.* 1. Duæ ſunt pœnæ viti committentis inceſtum cum conſanguinea uxoris, una, quia privatur facultate petendi debitum à proptia uxore: altera pœna eſt, quia vir privatur etiam facultate contrahendi matrimonium, mortuâ uxore ſuâ, cum quavis alia muliere in perpetuum, ita tamen, ut ſi contra prohibitionem jutis cum alia matrimonium ineat, illud ſit validum. Similiter ſi uxor inceſtum committat cum conſanguineis viri, nec debitum petere poteſt à viro, nec illo mortuo, contrahere aliud matrimonium, *n.* 2. Non tamùm ipſi conjuges, qui inceſtum commiſerunt, prohibentur poſt mortem alterius conjugis, inire aliud matrimonium, ſed etiam illi conſanguinei conjugis, cum quibus alter conjux inceſtum commiſit; requiritur tamen, ut inceſtus ſit ſcienter commiſſus, *n.* 3. Nihil autem refert, ſive vivo, ſive mortuo conjuge, inceſtus cum conſanguinea alterius conjugis fuerit commiſſus, *c. Transmiſſæ. 4. h. t. num.* 4. *&* 5. Si femina à conſanguineo mariti per vim ſit cognita, non incurrit

Digitized by Google

rit impedimentum non contrahendi matrimonium cum alio, aut pœnas illius, quamvis consanguineus mariti, qui illam vi cognovit, incurrat impedimentum ad contrahendum matrimonium, *n.* 6. Incestus cum propriis consanguineis non impedit, nec dirimit matrimonium contrahendum, *n.* 7.

§. II. *Virùm affinitas superveniens matrimonio contracto inter conjuges, etiam per copulam illicitam, dissolvat priora sponsalia de futuro, vel etiam sponsalia de præsenti, sive matrimonium nondum consummatum?*

Ad priorem quæstionem respond. etsi per affinitatem supervenientem non dissolvatur matrimonium, dissolvuntur tamen ipso jure priora sponsalia de futuro, etiam per copulam illicitam, *c. Veniens. 2. h. t. n. 8.* & declaratur *n. 9.* Si alicui sponsa per verba de præsenti sit desponsata, non potest sponsus cum alia contrahere matrimonium, nisi ex dispensatione Episcopi: & est hoc impedimentum non perpetuum, sed temporale, dum vivit is, cum quo incestus ille fuit commissus, *n.* 10. Si quis filiam, cum qua sponsalia de futuro iniit, priùs cognovit, quàm matrem illius, non potest in uxorem accipere matrem, neque filiam illius, petendo ab ea debitum, etsi matrimonium inter ipsos priùs contractum constat. Si verò cognovit sponsam, postquam cognovit matrem illius, nec sponsam, nec aliam potest ducere in uxorem, *n.* 11. Ad posteriorem quæstionem respondetur, affinitas superveniens, etiam per copulam illicitam, non dissolvit sponsalia inita per verba de præsenti, sive matrimonium priùs contractum, etsi nondum consummatum, *c. Discretionem. 6. h. t. n.* 12. Idque declaratur *n.* 13. Affinitas superveniens non dissolvit sponsalia de præsenti, sive matrimonium ratum, & non consummatum: impedit tamen talis affinitas ex parte conjugis, qui incestum commisit, petitionem debiti: non autem ex parte alterius conjugis, qui non fuit particeps iniquitatis illius, *n.* 14.

§. III. *An impedimentum affinitatis dirimens matrimonium contractum, probetur per assertionem, vel confessionem utriusque conjugis?*

Si unus solùm asserat subesse impedimentum dirimens inter conjuges, dicendo se cognovisse uxorem fratris sui, non debet separari matrimonium, nisi hoc sit publicum, aut notorium, vel per idoneos testes probatum, *c. De illo. 3. h. t.* At verò ad impediendum matrimonium contrahendum plenè probat unus testis, *n.* 15. Ad dirimendum matrimonium jam contractum non sufficit sola confessio conjugum, etiamsi ambo confiteantur contra matrimonium, neque separatur matrimonium, etiamsi ambo conjuges dicant, affinitatem inter illos contractam esse ante matrimonium, *c. Super eo. 5. h. t. n. 16. & 17.* Sed neque ex hujusmodi confessione amborum conjugum dissolvi debet matrimonium, etsi rumor vicinia id confirmet, *n.* 18. Cùm verò non de dissolvendo matrimonio, quoad vinculum, sed solùm quoad torum agitur, tunc creditur unius tantùm conjugis assertioni contra seipsum, *cit. n.* 18.

* * *

§. IV. *Virùm prædictum impedimentum affinitatis oriatur etiam ex copula carnali attentata cum puella impuberi: & an etiam ex incestu cum cognata legali, aut spirituali: ac denique ad quem gradum extendatur hoc impedimentum affinitatis ortum ex illicita copula habita cum consanguinea alterius conjugis?*

Ad priorem quæstionem respond. ex sponsalibus contractis cum puella septenni, quæ nondum complevit septennium, si intercesserit etiam copula attentata, oritur publica honestas impediens, ac dirimens matrimonium contractum cum consanguinea sponsæ: non autem sola sponsalia, sine conatu ad copulam, cum puella minore septennio, vel solus conatus ad copulam, absque sponsalibus, inducit publicam honestatem, *c. Fraternitati. 7. h. t. n. 19.* Ad posteriorem quæstionem dicitur, ex incestu cum cognatâ spirituali, vel legali non oritur impedimentum dirimens matrimonium, nec impediens aliud matrimonium contrahere: quia copula inter cognatos spirituales tantùm non est verè incestus, *n.* 20. Ad 3. dicitur, jure antiquo Canonico orta fuit affinitas ex copula illicita cum consanguineis alterius conjugis, sicut ex licita, usque ad quartum gradum inclusivè, *c. Discretionem. 6. h. t.* Hodie verò ex Decreto *Concilii Trid. Sess. 24. c. 4. de reform. matr.* restrictum est hoc impedimentum affinitatis ex fornicatione cum consanguineis usque ad secundum gradum, *n.* 21. Nomine autem fornicationis in eodem Decreto Concilii, intelligitur non solùm simplex fornicatio, sed etiam quivis alius illicitus concubitus, *n.* 22.

§. V. *Proponuntur, & explicantur reliqua Capitula hujus Tituli.*

Affinitas orta ex copula illicita dissolvit sponsalia præcedentia, & privat facultate contrahendi aliud matrimonium, nisi de incontinenti ipsius timeatur, tunc enim cùm eo dispensare potest Episcopus, *c. Ex litteris. 8. h. t. n. 23. & 24.* Præterea is, qui sponsalia de futuro contraxit cum aliqua, & postea sororem illius carnaliter cognovit, ab utraque abstinere debet, *c. Veniens. 9. h. t. n. 25.* Idque declaratur *n. 26.* Similiter per affinitatem superuenientem non dissolvitur matrimonium priùs contractum, impeditur tamen petitio debiti conjugalis, etsi reddere teneatur petenti, *c. Tua. 10. h. t. n. 27.* Idque declaratur *n. 28.* Hoc impedimentum de Jure antiquo Canonico extenditur usque ad quartum consanguinitatis gradum inclusivè. Verùm post decretum *Concilii Trident. Sess. 24. c. 4. de refor. matr.* probabilius est, copulam habitam cum consanguineis alterius conjugis non impedire petitionem debiti ultra secundum graduni, *n.* 29. Si quis post sponsalia de futuro carualiter cognoscat sponsam, & postea etiam cognoscat matrem sponsæ, non dissolvitur matrimonium, *c. 11. & ult. h. t. n.* 30. Idque declaratur *n.* 31.

SERIES CAPITVLORVM.

In Antiquis.

c. 1. n. 1. & 2. seqq. *c. 4. n. 4. & seq.*
c. 2. n. 8. & 3. seqq. *c. 5. n. 16. & seq.*
c. 3. n. 15. *c. 6. n. 12. & 2. seqq.*
c. 7 n 19.

Digitized by Google

c. 7. n. 19.
c. 8. n. 23. & seq.
c. 9. n. 25. & seq.
c. 10. n. 27. & 2. seqq.
c. 11. & ult. num. 30. & seq.

TITVLVS XIV.
DE CONSANGUINITATE, ET affinitate.

Sectio I. *De Consanguinitate.*

§. I. *Quid sit consanguinitas, & quid linea, & gradus consanguinitatis, & quomodo sint computandi?*

Assertio I. Consanguinitas est vinculum personarum, quæ ab eodem stipite, seu progenitore, eóque propinquo, per carnalem propagationem descendunt. Requiritur autem, ut consanguinei ab eodem stipite, seu progenitore propinquo descendant, n. 1. Duplices sunt consanguinei. 1. Agnati, qui per masculinam lineam, seu per vitilis sexûs cognationem sunt conjuncti, sive mares sint, sive feminæ. 2. Cognati, qui sive ex parte patris per lineam masculinam, sive ex parte matris, seu per maternam lineam conjunguntur, n. 2. Ass. 2. Linea consanguinitatis est ordinata series, seu connexio personarum sanguine junctarum, quæ ab eodem stipite descendunt gradus continens, & cognationes distinguens. Est autem triplex linea, una ascendens, sive superior; altera descendens, sive inferior: tertia collateralis, eáque æqualis, vel inæqualis, n. 3. Gradus consanguinitatis est distantia unius personæ ab altera in eadem linea consanguinitatis, quâ cognoscitur, quæ persona sit stipiti propinquior, cit. n. 3. Ass. 3. Ad computandos, & dignoscendos consanguinitatis gradus, tres assignantur regulæ. Prima est, pro linea rectâ ascendentium, & descendentium, utroque jure recepta: Tot sunt gradus in linea rectâ ascendente, vel descendente, quot sunt personæ, unâ demptâ, nempe communi stipite, à quo prima origo ducitur, n. 4. Secunda regula pro linea transversali æquali, in qua personæ junctæ æqualiter distant à communi stipite, est: quot gradibus personæ singulæ distant à communi stipite, totidem distant inter se, n. 5. Tertia regula pro linea transversa inæquali inter personas, quæ inæqualiter distant à communi stipite, est: quot gradibus persona, quæ remotior est, distat à communi stipite, totidem gradibus, sive eodem gradu distant inter se, n. 6. Porro hæc computatio graduum procedit secundùm Jus Canonicum: at verò secundum Jus Civile, in linea collaterali, æquali, & inæquali, tot censentur esse gradus, quot sunt personæ collaterales, stipite dempto. Est autem computatio graduum Juris Canonici servanda quoad matrimonium: quoad hæreditarias verò successiones servari debet computatio Juris Civilis, in foro seculari, & Ecclesiastico: sed in aliis contractibus quælibet computatio servanda est in suo foro, civilis in seculari, Canonica in foro Ecclesiastico, n. 7.

§. II. *Quinam gradus consanguinitatis, & quo jure matrimonium dirimant?*

Assertio I. Matrimonium in primo gradu lineæ rectæ, inter patrem, & filiam, matrem, & filium, jure naturæ irritum est, & per consequens etiam indispensabile ab Ecclesia. Excipitur unicus casus publicæ necessitatis conservandi genus humanum, deficientibus omnibus aliis hominibus, si superesset solus pater, & filia, vel filius, & mater, tunc cohonestari posset tale matrimonium, & Deus ineo dispensare posset, n. 8. Ass. 2. Probabilius est, matrimonium etiam in secundo, imò etiam quovis ulteriore, seu superiore gradu in linea rectâ esse ipso jure naturali irritum, ac proinde matrimonium inter ascendentes, & descendentes, in linea rectâ, non tantùm usque ad quartum gradum, sed in infinitum esse invalidum, videlicet avi cum nepte sua, proavi cum pronepte: item aviæ cum nepote, proaviæ cum pronepote, & sic deinceps, n. 9. Ass. 3. Probabilius est, etiam in primo gradu lineæ transversæ, videlicet inter fratres, & sorores matrimonium jure naturæ esse irritum, excepto casu necessitatis, qualis fuit inter filios, & filias Adæ in exordio mundi, n. 10. Quamvis oppositum sit etiam probabile, n. 11. Ass. 4. In secundo gradu consanguinitatis lineæ transversæ, & multò magis in reliquis ulterioribus gradibus matrimonium non est jure naturali irritum, n. 12. Post Concilium Generale Lateranense sub Innocentio III. restricta fuit prohibitio gradum consanguinitatis, & affinitatis inter consanguineos in linea transversa utique ad quartum gradum inclusivè, c. *Non debet.* 8, h. t. num. 13. Olim erant tria genera affinitatis, primum, secundum, & tertium, quorum duo posteriora jam sunt sublata, n. 14. Prohibitio matrimonii inter consanguineos, quæ olim extendebatur ad septimum gradum in linea transversali æquali, vel inæquali postea restricta fuit ad quartum usque gradum consanguinitatis, & affinitatis inclusivè, n. 15. Cur Ecclesia prohibitionem illam matrimonii inter consanguineos, & affines restrinxit ad quartum gradum, secundùm computationem Canonicam? n. 16. Hinc si duo consanguinei inæqualiter distent à communi stipite, ita unus distet ultra quartum gradum, alter verò intra illum, possunt inter se matrimonium contrahere, c. *Vir, qui. 9. & ult. h. t. n. 17.* Idque procedit, etiamsi alter consanguineus distet in primo, vel ulteriore gradu à communi stipite, *num. eod.* Ass 5. Falsum est, & erroneum, omnes gradus consanguinitatis, aut affinitatis expressos c. 18. *Leviticı.* esse prohibitos lege naturali, & Divinâ, ita ut in nullo eorum Pontifex dispensare possit, juxta *Concil. Trident. Sess 24. can. 3. de matrim. n. 18.* Porro testes, qui super consanguinitate deponunt, debent gradus distinguere per ordinem, designando personas propriis nominibus, vel æquipollentibus indiciis, & afferre causam, ac probabilem rationem dicti sui, præsertim quia sæpe testantur solùm de auditu alieno, c. *Tua nos. 7. h. t. n. 19. & 20.*

Sectio II. *De affinitate, quæ est altera pars Rubricæ hujus Tituli.*

§. I. *Quid sit affinitas, & qua ratione contrahatur, & inter quas personas?*

Assertio I. Affinitas est propinquitas personarum ex carnali copula provenieus, quæ oritur ex copula carnali tum conjugali, tum etiam ex fornicatio concubitu, *num.* 21. Ass. 2. Ad affinitatem contrahendam requiritur copula carnalis perfecta, seu

Digitized by Google

seu consummata, *n.* 22. Et hinc ex copula sodomitica habita in vase præposteto, & contra naturam, non contrahitur affinitas, idémque est de quacunque pollutione extra vas debitum: oritur autem affinitas etiam ex copula habita cum fœmina dormiente, ignorante, coacta, ebria, insana, seu amente. Item ex matrimonio tato, & nondum consummato oritur affinitas, non quidem propriè dicta, sed initiativa, ac impedimentum publicæ honestatis, *n.* 23. Ass. 3. Affinitas contrahitur inter consanguineos uxoris, ex una parte; & inter maritum ejus ex altera, & rursum inter consanguineos mariti, & uxorem ejus ex altera, non autem mutuò inter consanguineos viri, & mulieris: numerantur autem gradus affinitatis eodem modo, quo in consanguinitate, & traditur hæc regula: In quo gradu aliquis est consanguineus mariti, in eodem gradu sit affinis uxoris, & è converso, *n.* 24. Et hinc consanguinei mariti possunt licitè, ac validè contrahere matrimonium cum consanguineis uxoris, & hi vicissim cum illis, *c. Quod super. 5. h. t.* Nam affinitas contracta inter uxorem, & consanguineos viri non transit ad consanguineos uxoris, & è converso affinitas contracta inter virum, & consanguineos uxoris, non transit ad consanguineos viri, *n.* 25. Prohibitum est autem intra gradus prohibitos contrahere matrimonium sub pœna excommunicationis, non obstante consuetudine etiam immemoriali, quæ est dicenda corruptela, *sum.* 26. Ass. 4. Triplex est genus affinitatis, primum inter consanguineos mulieris, ex una parte, & virum ex altera: non autem inter consanguineos viri, & mulieris mutuò, *n.* 27. Quia verò jam sublatum est secundum & tertium genus affinitatis; nam nulla ampliùs contrahitur affinitas inter consanguineos mariti, & uxoris, ideo possunt plures casus ejusmodi affinitatis occurrere, in quibus matrimonio nullum impedimentum præstatur, quorum plura exempla adferuntur *n.* 28.

§. II. *Quousque, & quo jure affinitas dirimat matrimonium?*

Assertio I. Sicut consanguinitas, ita etiam affinitas orta ex copula legitima, & conjugali impedit matrimonium contrahendum, ac dirimit contractum in linea transversali usque ad quartum gradum inclusivè, *c. Non debet. 8. h. t. n. 29.* Similiter si matrimonium intra quartū affinitatis gradum contractum fuerit, illud dissolvi debere, & sic contrahentes ab invicem separandos esse, ne in peccato persistant, statuitur quoque in *c. Ex literis. 1. h. t.* ubi in fine additur, quòd causæ matrimoniales tractandæ sunt, non per quoslibet judices, sed per Ecclesiasticos, eósque tales, qui potestatem habeant judicandi, & statuta Canonum sciant, *n.* 30. Ad contrahendum sufficit unus testis ad plenam probationem: sed ad dissolvendum matrimonium contractum duo testes requiruntur, *n.* 31. Ass. 2. Probabilius est matrimonium in primo affinitatis gradu lineæ rectæ, esse jure naturæ irritum, nempe inter vitricum, & privignam, novercam, & privignum: socerum, & nurum: socrum, & generum, *n.* 32. An spectato jure naturali oriatur affinitas etiam ex fornicaria copula? *n.* 33. Et an gentilis, ante Baptismum susceptum, validè contrahere possit, vel etiam licitè cum filia, vel sorore mulieris, cum qua est fornicatus? *ibi. n.* 33. Ass. 3. Quamvis matrimonium in primo gradu lineæ transversæ naturalem quandam indecentiam præseferat, ut si quis ducat uxorem fratris defuncti, vel sororem uxoris defunctæ, non tamen tale matrimonium est irritum jure naturali, idque probatur auctoritate Ecclesiæ, *n.* 34.

§. III. *Verùm affinitas superveniens dissolvat sponsalia de futuro, & an infideles conjuncti in gradu prohibito Jure Canonico, post Baptismum, debeant separari?*

Ad priorem quæstionem respond. si quis puellam sibi desponsavit per verba de futuro, sed postea excipiat, se consanguineam illius carnaliter cognovisse, idque vel manifestum sit, vel saltem fama loci id habeat, ipsa puella liberatur à sponsalibus, *c. Super eo. 2. h. t. n.* 35. Sola fama facit plenam probationem ad impediendum matrimonium contrahendum: item sola fama de impedimento v. g. affinitatis, impedit matrimonium contrahendum, & dissolvit sponsalia priùs inita, quamvis sint juramento confirmata, *n.* 36. Ad posteriorem quæstionem respondetur, infideles matrimonio conjuncti in gradu consanguinitatis, vel affinitatis prohibito ab Ecclesia, si convertantur ad fidem, non sunt separandi, quia quos DEUS conjunxit, homo non separet, *c. De infidelibus. 4. h. t. n.* 37. Matrimonium Judæorum, vel aliorum infidelium, etiamsi contractum sit in gradu prohibito Jure Canonico, est verum, ac legitimum matrimonium, quamvis non sit Sacramentum, *n.* 38. An si Judæus contrahat matrimonium cum Judæa, eo pacto, ut liceat ei dare libellum repudij, tale matrimonium sit invalidum? *n.* 39.

§. IV. *Quæ pœna sit contrahentium matrimonium in gradu consanguinitatis, vel affinitatis prohibito?*

Qui scienter matrimonium contrahunt in gradu consanguinitatis, vel affinitatis prohibito, vel cum Moniali, nec non Religiosi, & Monialos, ac Clerici in sacris Ordinibus constituti, sunt excommunicati ipso jure, & denunciati, ac evitari debent, donec absolvantur, ita ut aliæ pœnæ contra sic contrahentes impositæ in suo robore perinaneant, *Clem. Eos, qui un. h. t. n. 40. & 41.* Item excommunicationem hanc incurrunt, non tantùm Religiosi professi, qui matrimonium contrahunt, sed etiam non professi, qui in Societate JESU tria vota simplicia Religionis emiserunt, & ante absolutionem à votis, matrimonium contrahunt. Et Moniales cuicunque nubunt, & illi, qui eas sacrilegè ducunt in uxores: si verò alia fœmina non Monialis nubat professo, vel Clerico in sacris Ordinibus constituto, hi soli excommunicationem incurrunt, *n.* 42. Mandantes verò, & consulentes, aut adjuvantes ad hujusmodi sacrilegum matrimonium ineundum non excommunicantur, sed soli ineuntes matrimonium, *n.* 43. Ad incurrendam hanc excommunicationem requiritur 1. ut matrimonium sit contractum, licèt non sit consummatum, *n.* 44. Secunda conditio requisita est, ut contrahatur matrimonium cum impedimento consanguinitatis, vel affinitatis in gradibus Jure Canonico interdictis, & quando ob defectum hujus conditionis non incurratur hæc excommunicatio? *n.* 45. Quòd si quis contrahat matrimonium cum consanguinea in gradu lege Divinâ, & naturali prohibito, incurritur excommunicatio, *ibi. n.* 45.

Tertia

Digitized by Google

Tertia conditio requisita ad incurrendam hanc excommunicationem est, ut scienter ineatur tale matrimonium cum impedimento consanguinitatis, vel affinitatis, vel cum Moniali, *n.* 46. Excusat autem ab hac excommunicatione incurrenda 1. ignorantia etiam culpabilis, non solùm facti, sed etiam juris, imò & crassa, dummodo non sit affectata, *cit. n.* 46. 2. Si quis, ignorans, & bonâ fide contraxit matrimonium cum consanguinea, vel affine, & postea conscius impedimenti ei cohabitet, & utatur conjugio, hanc excommunicationem non incurrit, *n.* 47. 3. Etsi in primis tribus casibus excommunicati sint ipso jure, qui scienter contrahunt matrimonium cum consanguinea, affine, vel Moniali: non autem incurritur in posterioribus tribus casibus, si Religiosi, Moniales, vel Clerici in sacris Ordinibus constituti scienter matrimonium contrahant, & quæ sit ratio divertitatis? *num.* 48. Denique absolutio ab hac excommunicatione est reservata Episcopo, *cit. Clem. unic. n.* 48. *in fine.*

SECTIO III. *De dispensatione in impedimentis consanguinitatis & affinitatis dirimentibus matrimonium, & de impedimento publicæ honestatis.*

§. I. *Quousque S. Pontifex dispensare possit in gradibus consanguinitatis, & affinitatis?*

Generatim loquendo, potest S. Pontifex dispensare in omnibus gradibus consanguinitatis, vel affinitatis Jure Canonico solùm prohibitis, & dirimentibus matrimonium. Quare potest Pontifex dispensare in omnibus gradibus consanguinitatis lineæ collateralis etiam in secundo, solo primo excepto, inter fratres, & sorores, *num.* 49. Quin imò solet Papa interdum ex benignitate dispensare cum personis inferioris conditionis in secundo gradu consanguinitatis ob causam urgentem etiam privatam, *cit. num.* 49. Potest etiam S. Pontifex dispensare in omnibus gradibus affinitatis lineæ transversæ, v. g. ut quis ducat sororem, vel consobrinam, vel matertetam uxoris defunctæ. In affinitate verò orta ex copula fornicaria dispensari potest etiam in primo gradu lineæ rectæ, ut si quis v. g. ducat filiam mulieris, cum qua fornicatus est, *n.* 50. Difficilius autem dispensatur super impedimento consanguinitatis, quàm affinitatis in simili gradu, & quò propinquior est gradus consanguinitatis, vel affinitatis, eò gravior causa requiritur ad dispensandum, *cit. num.* 50.

§. II. *An in dispensatione aliquibus concessa in linea collaterali inæquali, attendendus sit, & exprimendus gradus remotior, an verò propinquior?*

Quando alicui conceditur dispensatio, ut possit contrahere matrimonium, v. g. in quarto gradu aliàs prohibito, uterque contrahentium debet distare in quarto: alioquin si alter distaret in tertio gradu à stipite, non valeret dispensatio, præsertim si hoc habet consuetudo loci, cui standum est ad vitandum scandalum, *c. Quod dilecto. 3. h. t. n.* 51. idque declaratur *n.* 52. & 53. deducuntur quædam corollaria *num.* 54. & 55.

§. III. *An dispensatio obtenta à Papa contrahendi matrimonium inter consanguineos in gradu prohibito valeat, si in eo falsa causa sit expressa?*

Dispensatio à Papa obtenta super matrimonio inter consanguineos contracto in gradu prohibito, non valet, si in ea causa falsa sit expressa, nisi postea Papa eam confirmet, *c. Quia circa. 6. h. t. n.* 56. Duplex affectur expositio hujus *c. n.* 57. & 58. Verùm prior expositio est communior, nempe quòd non valeat dispensatio, si in ea falsa causa sit expressa, nisi Papa eam confirmet, *n.* 59. Duæ sunt causæ dispensandi in matrimonio contracto in gradu prohibito, una est, si ex matrimonio contracto supersites sit filius; altera propter scandalum vitandum, vel propter bonum pacis, *cit. n.* 59. *in fine.*

§. IV. *De impedimento publicæ honestatis orto ex matrimonio rato, & non consummato.*

ASSERTIO I. Ex matrimonio rato, & nondum consummato oritur impedimentum publicæ honestatis, etiam post Concil. Trident. dirimens matrimonium cum alterius conjugis consanguineis usque ad quartum gradum inclusivè, *n.* 60. Idque etiamsi irritum fuerit ex quacunque causa, *n.* 61. Præterquam si sit irritum ob defectum liberi consensûs vel ob errorem personæ, *n.* 62. Nec oritur hoc impedimentum, quando matrimonium est clandestinum, quia deest præsentia Parochi, & duorum testium, *cit. n.* 62. Deducuntur alia duo corollaria *eod. num.* 62. *in fine.*

SERIES CAPITVLORVM.

In Antiquis.
c. 1. *n.* 30.
c. 2. *n.* 35. *& seq.*
c. 3. *n.* 51. *& 4. seqq.*
c. 4. *n.* 37. *& 2. seqq.*
c. 5. *n.* 25. *& seq.*
c. 6. *p.* 56. *& 3. seqq.*
c. 7. *n.* 19. *& seq.*
c. 8. *n.* 13. *& 3. seqq.*
c. 9. *& ult. n.* 17.

In Clementinis.
Clem. un. n. 40. *& pluribus seqq.*

TITVLVS XV.

DE FRIGIDIS, ET MALEFICIATIS, & impotentia coeundi.

Impotentia alia est ad prolis generationem, quæ sola non impedit matrimonium, nec dirimit: alia est impotentia ad copulam carnalem perfectam, sive impotentia proveniat ex causa naturali, & intrinseca, ut frigiditate in vitro, vel ex arctitudine fœminæ: sive ex causa extrinseca, & accidentaria v. g. ex maleficio, vel morbo. Rursum impotentia hæc ad copulam alia est perpetua, alia temporalis: perpetua impotentia alia est absoluta, quæ respectu cujusvis personæ impedit copulam, alia respectiva, quæ tantùm respectu certæ personæ, vel aliquarum duntaxat impedit. Denique alia impotentia præcedit matrimonium, alia sequitur, & supervenit, *n.* 1.

§. I. *Quinam sint impotentes ad matrimonium contrahendum, vel non?*

Impotens ad copulam non est aptus ad contrahendum matrimonium, *c.* 2. *h. t. n.* 2. Est autem triplex impotentia, quædam provenit ex naturali complexione, quædam ex accidente extrinseco, per sectionem, vel abscissionem membri genitalis, vel ex maleficio diabolico, *cit. n.* 2. Evnuchi, vel spadones, seu castrati non possunt validè contrahere matrimonium, *num.* 3. Hermophroditi validè possunt contrahere matrimonium, vel cum fœminis, in quibus prævalet sexus virilis, vel cum viris, in quibus prævalet

Digitized by Google

prævalet sexus fœmineus, *cit. n. 3.* Senes etiam decrepiti possunt inire matrimonium, si nullo alio impedimento laborent, *num. 4.* Sterilis valide contrahunt matrimonium, *cit. n. 4.* Mulieres, quæ non possunt parere, sine vitæ periculo, vel nonnisi fœtam mortuum, validè contrahunt matrimonium, si aliàs aptæ sint ad copulam, etsi ordinariè non licitè, *num. 5.* Etiam in articulo mortis constitutus potest contrahere matrimonium, *n. 6.*

§. II. *An, & qualis impotentia coeundi dirimat matrimonium?*

ASSERTIO I. Impotentia perpetua ad copulam, & generalis, respectu omnium, quæ arte medicâ, sine miraculo, aut peccato, aut gravi corporis periculo, vel damno tolli nõ potest, sive ex natura, sive ex alia extrinseca causa oriatur, si præcedat matrimonium, illud jure naturæ dirimit, *n. 7.* Idque extenditur, ut procedat, sive ea perpetua impotentia in contrahentibus cognita fuerit, sive ignorata, nam in utroque casu matrimonium est irritum, *n. 8.* Qui scienter contrahit cum impotente ad copulam, ab ea non separatur, sed si non possit eam habere ut uxorem, habeat ut sororem, *c. Consultationi. 4. h. t. cit. n. 8.* adeoque castè simul vivere debent, tanquam frater, & soror, *n. 9.* Ass. 2. Impotentia perpetua, sed respectiva tantùm, dirimit matrimonium cum iis, respectu quorum est, non autem respectu aliorum, *num. 10.* Ass. 3. Temporalis impotentia, quæ per licita, & ordinaria media, sive spiritualia, sive naturalia, tolli potest, non dirimit matrimonii subsequens, *c. Fraternitatis. 6. h. t. n. 11.* Ass. 4. Si mulier, quæ cum perpetua impotentia contraxit matrimonium, postea per miraculum sanetur, matrimonium prius est irritum, nisi per novum consensum denuo cum illa contrahatur: aliud est, si mulier per maleficium sit reddita impotens, & per ordinarios Ecclesiæ exorcismos sanetur, *n. 12.*

§. III. *Referuntur, & explicantur varij casus in specie, in quibus propter impotentiam coeundi, matrimonium dissolvitur, vel separatur, aut non separatur?*

Si quis accepit aliquam in uxorem, eique per menses, vel per tres menses, vel per annum cohabitavit, asseritque se frigidum esse, nec posse illam, vel aliam mulierem cognoscere, tunc si ipsa mulier idem affirmat, idque probare potest per rectum, & verum judicium, à se invicem separati debent, ita tamen ut si vir aliam postea in uxorem duxerit, reus sit perjurii, & ad priorem uxorem, post peractam pœnitentiam, redire debeat. Si verò illa prior post annum, ac dimidium ad Episcopum, vel ejus Officialem provocavit, dicens, quòd eam vir suus non potuit cognoscere, hic verò id neget, ei credendum est, cùm sit caput mulieris, cur enim tamdiu tacuit? Si verò ab initio post menses, vel duos ad Episcopum proclamavit, dicens virum esse impotentem, idque probari possit per rectum judicium, separari potest, & ipsa, si velit, alteri nubere, *c. 1. h. t. n. 13. & 14.* Soli confessioni mariti, & uxoris asserentium impotentiam non creditur contra matrimonium, sed alia probatio requiritur, ut possit fieri separatio, *cit. n. 14.* Præterea si de impotentia coeundi constet, statim matrimonium separatur, aliàs cohabitabunt conjuges per triennium, dando operam carnali copulæ, quo elapso, si simul cohabitare noluerint, & mulier per justum judicium probare potuerit, quòd eam cognoscere nequiverit, nubat alij, & tunc separentur. Si verò consentiant simul habitare, vir habeat illam ut sororem. Si autem confiteantur, quòd nunquam se invicem cognoverint, cum septima manu propinquorum, vel vicinorum, si propinqui deficiant, jurejurando dicant, quòd una caro per carnalem copulam nunquam effecti sint, & tunc mulier potest aliùm accipere. Verùm si vir aliam duxerit, tunc vir, ac uxor sunt rei perjurii, & peractâ pœnitentiâ, cogi debent redire ad prius conjugium, *c. Laudabilem. 5. h. t. n. 15.* Quando non constat de impedimento frigiditatis, vel alterius similis impotentiæ, & statim probati non potest per certa signa, tunc requiritur triennalis cohabitatio conjugum, *n. 16.* In impedimento frigiditatis triennium hoc computatur à die copulæ attentatæ, quod conceditur ad explorandam conjugis potentiam, *cit. n. 16.* Debent autem, si uterque conjux fateatur impedimentum impotentiæ, septem consanguinei cujusque conjugis, vel vicini jurare, vel in defectum eorum, alij. *n. 17.* Conjuges debent jurare de certa scientia, consanguinei verò de sola credulitate, *cit. n. 17.* Si verò reputatus frigidus aliud matrimonium ineat, ipsi conjuges rei sunt perjurii, *n. 18.* Si ob frigiditatem viri, sit dissolutum matrimonium, & is aliud ineat, statim hoc posterius matrimonium est dissolvendum, *n. 19.* Si puer XIV. anno completo, vel fœmina XII. adhuc sint impotentes ad copulam, expectandum est usque ad plenam pubertatem, nempe XIV. in fœminis, & XVIII. in viris, *n. 20.*

§. IV. *Continuatur eadem materia.*

Si vir contraxit cum muliere, quæ impedita, v. g. arcta, & omnino inhabilis facta est ex infirmitate, ita ut arte Medicorum curari non possit, viro datur licentia ducendi aliam, *c. Ex literis. 3. h. t. n. 21.* Ob nullam infirmitatem, vel aliam impotentiam supervenientem conjugia solvi possunt, *cit. n. 21.* Si de impotentia superveniente matrimonio certò constat, eam esse perpetuam, illicita est talibus conjugibus copula conjugalis, quamvis tactus ijs sint liciti, absque periculo tamen pollutionis. Quòd si de impotentia superveniente matrimonio sit dubiũ, num sit perpetua, an verò solùm temporalis, licitum est conjugibus conari ad copulam, quamdiu spes est seminandi intra vas, *n. 22.* Si impedimentum mulieris arctæ, præter Divinum miraculum, sine vitæ periculo, potuit removeri, non est perpetuum: quare si per sententiam Ecclesiæ ex errore informationis separata fuit à marito, & ipsa alteri se conjunxit, relicto secundo, debet redire ad primum, quia erat verum matrimonium. Sed si mulier hæc separata à viro professa est Religionem, & vir aliam duxit, tenet secundum: quia primum non erat confirmatum, aliàs redeat ad primam, nisi idcirco, quòd illa cum alio fuerit fornicata, à viro repellatur, *c. Fraternitatis. 6. h. t. n. 23.* Propter impedimentum mulieris arctæ, si appareat, quòd præter Divinum miraculum, & ope humana, sine periculo vitæ, vel gravi corporis, tolli non potest, matrimonium separati potest, *n. 24.* Omne impedimentum impotentiæ viri, vel mulieris, quod operâ humanâ, sine gravi periculo corporis tolli non potest, reddit inhabilem ad con-

trahendum matrimonium: secus si facto humano potest removeri, absque gravi periculo corporis, *n.* 25. Si mulier sit cognita ab uno viro, præsumitur, quòd etiam cognosci possit ab alio, nisi contrarium probetur, modò uterque vir similis sit ætate, ac roboris, *n.* 26. Propter impotentiam provenientem ex maleficio potest matrimonium separari, nec restauratur, etsi vir post mortem illius aliam ducat in uxorem, & illam cognoscat: & cur separetur matrimonium propter frigiditatem viri, vel arctitudinem mulieris: & si postea contrahat cum alio, vel alia, & appareat ex postfacto esse potens ad copulam, restauretur primum matrimonium: & tamen si separetur matrimonium propter maleficium, non cogatur vir, si contraxit cum alia, eámque cognovit, redire ad primam? *n.* 27. Error, sive ignorantia juris non est probabilis, nec excusat: si tamen sit probabilis, ut si erretur in facto, excusat, *n.* 28. Si mulier transivit ad Religionem, & Professionem emisit, tunc matrimonium postea contractum per primum virum cum secunda muliere, tener, & debet cum illa remanere. Quòd si appareat Ecclesiam deceptam esse in separatione matrimonii, dum impotentiam judicavit esse perpetuam, restaurandum est prius matrimonium cum muliere, *n.* 29. Si mulier dicat se per triennium cohabitâsse cum viro, & illum esse impotentem, vir autem fateatur se esse impotentem quoad illam, sed non quoad alias, & si per inspectionem matronarum mulier reperitur virgo, factâque inquisitione, non reperitur aliqua à viro illo carnaliter cognita fuisse, & si constet eos per continuum triennium cohabitâsse, ipsique conjuges cum septima propinquorum manu jurent se carnaliter commiscere non potuisse, tunc inter eos sententia divortii est profetenda, *c. Litteræ. 7. & ult. h. t. n.* 30. Idque declaratur, & explicatur *n.* 31. & 2. *seqq.*

SERIES CAPITVLORVM.

In Antiquis.
c. 1. *n.* 13. & *seq.*
c. 2. *n.* 2.
c. 3. *n.* 21.
c. 4. *n.* 8. & *seq.*
c. 5. *num.* 15. & *aliquot seqq.*
c. 6. *n.* 23. & *aliquot seqq.*
c. 7. & *ult. n.* 30. & 3. *seqq.*

TITVLVS XVI.

DE MATRIMONIO CONTRACTO contra interdictum Ecclesiæ.

§. I. *An, & quâ ratione matrimonium contractum contra interdictum Ecclesiæ dirimatur, vel impediatur?*

Quær. I. Quod dicatur interdictum Ecclesiæ, & quot modis fiat? Resp. Fieri potest circa matrimonium tribus modis, nempe per legem Ecclesiasticam, quæ certis temporibus nuptias celebrari prohibet, vel per Judicem Ecclesiasticum, vel per Parochum, *n.* 1. Quando Judex alicui mulieri interdicit, ne nubat, & ipsa, spreto mandato, contrahit matrimonium, illud tenet, imponitur tamen sic contrahentibus pœnitentia, & separantur quoad torum, donec de causa interdicti cognoscatur, *c.* 1. *h. t. n.* 2. & 3. Matrimonium dissolvit præcedentia sponsalia, etiamsi præcesserit interdictum Ecclesiæ, vel Judicis, *n.* 4. Probabilius est speciale esse in parentibus, ut si pro filiis contrahant sponsalia, vel matrimonium, sufficiat eorum taciturnitas, & præsentia: non autem si extraneus pro extraneo, tunc enim requiritur aliud signum consensum internum exprimens, ut valeant sponsalia, vel matrimonium, *n.* 5. Præterea si quis contrahat sponsalia de futuro cum una, etiam contra interdictum Ecclesiæ, non dirimitur matrimonium postea contractum cum alia, *c.* 2. *h. t. n.* 6. Solum interdictum Ecclesiæ factum propter impedimentum, non perpetuum, sed tempotale solùm, non dirimit matrimonium postea contractum, *n.* 7. Qui propter consanguinitatem prohibentur conjungi matrimonio, si postea contra interdictum Ecclesiæ matrimonio jungantur, excommunicari debent, & separari, donec de causa cognoscatur, *n.* 8. & 9.

§. II. *De aliis impedimentis, quæ non dirimunt, sed impediunt tantum matrimonium contrahendum.*

Hujusmodi impedimenta, quæ matrimonium subsequens non irritant, sed impediunt tantùm, sive illicitum reddunt, plura numerantur *n.* 10. & 11. Sed hæc impedimenta pleraque omnia hodie sunt sublata, *n.* 12.

SERIES CAPITVLORVM.

In Antiquis.
c. 1. *n.* 2. & 3. *seqq.*
c. 2. *n.* 6. & 7.
c. 3. & *ult. n.* 8.

TITVLVS XVII.

QUI FILII SINT LEGITIMI.

§. I. *De filiis legitimis, & illegitimis in genere.*

Assertio I. Filii sunt legitimi, vel illegitimi, legitimi sunt, vel legitimi tantùm, quales sunt filii adoptivi, qui non à natura, sed à sola lege filii facti sunt, vel legitimi, & naturales, qui ex legitimo matrimonio nati sunt, *n.* 1. Filii illegitimi sunt, qui extra matrimonium sunt nati, & hi vel sunt naturales tantùm, qui nati sunt à parentibus, inter quos tempore conceptionis, vel saltem nativitatis, fine impedimento dirimente matrimonium consistere poterat. Non naturales verò, seu spurii dicuntur, qui nati sunt ex damnato coitu, inter quos nec tempore nativitatis, nec conceptionis matrimonium iniri poterat. Secundùm Jus Civile verò filii illegitimi alii sunt naturales, alii non naturales, alii nothi, *n.* 2. Item secundùm Jus Civile varii sunt spurii, *n.* 3.

§. II. *Quinam in specie judicandi sint filii legitimi?*

Filii concepti ante sententiam divortii à parentibus, qui publicè, & sine contradictione, ac bonâ fide utriúsque, vel saltem alterius parentis matrimonium contraxerunt, sunt verè, & propriè legitimi filii, licèt inter tales parentes existat latens impedimentum Canonicum v. g. consanguinitatis, propter quod postea tale matrimonium judicio Ecclesiæ fuit separatum tanquam invalidum, *n.* 4. & 5. Ut autem filii ex tali putativo matrimonio suscepti habeantur legitimi, duo requiruntur, nempe quòd matrimonium publicè, & in facie Ecclesiæ sit initum, & quòd bonâ fide, *cit. n.* 5. Filii suscepti à parentibus claudestinè contrahentibus, etiamsi parentes contraxerint coram Parocho, & testibus, non præmissis tamen denunciationibus, sunt illegitimi. Ut autem licitè

Digitized by Google

licitè matrimonium contrahatur, requiritur, ut denuntiationes præmittantur, etsi coram Parocho, & testibus sit contractum, *n. 6.* Possunt autem tales filii concepti ante sententiam divortii ad Ordines sacros, & dignitates Ecclesiasticas promoveri, *cit. n. 6.* An filii nati post litem contestatam, super matrimonio publicè contracto, quod per sententiam divortii postea invalidum fuit declaratum, sint legitimi? *n. 7.* Filiis legitimis competit hæreditas paterna, & jus petendi alimenta: quamvis postetius competat etiam illegitimis de Jure Canonico, *num. eod.* Secundò si mulier per judicium Ecclesiæ sit separata à primo viro, & vivente illo, de licentia Ecclesiæ, contrahat matrimonium cum alio, proles susceptæ ex secundo viro, est legitima, & capax hæreditatis, *c. Perlatum. 8. h. t. n. 8. & 9.* Declaratur *n. 10.* Tertiò filii genitiex clandestino matrimonio, sed postea ab Ecclesia approbato, legitimi filii, & hæredes sunt judicandi, etiamsi postea matrimonium ex justa causa separetur, *c. Quod nobis. 9. h. t. num. 11.* Probabilius est filios conceptos ante detectum impedimentum, licèt ante approbationem Ecclesiæ nati sint, esse legitimos, si matrimonium fuerit publicatum, & tanquam valido auctoritate Ecclesiæ approbatum, etsi postea impedimentum detegatur, *n. 12.* Judex Ecclesiasticus, qui pronuntiat aliquem esse legitimè natum, potest etiam pronuntiare esse hæredem, *num. eod.* Quartò, si conjugatus vivente primâ uxore, in facie Ecclesiæ aliam ducat, quæ probabiliter ignorat illum esse conjugatum, proles inde nata censetur legitima, etiamsi subsit occultum impedimentum dirimens, propter quod matrimonium postea declaratur nullum, *c. Ex tenore. 14. h. t. n. 13. & 14.* Ad legitimandam prolem non sufficit, si ignorantia impedimenti dirimentis adsit tempore contractûs matrimonij, sed requiritur, ut subsit tempore conceptionis, vel nativitatis prolis, *cit. n. 14.* Ad legitimandam prolem propter bonam fidem parentum, vel saltem alterius tantùm, requiritur etiam, ut matrimonium inter eos in facie Ecclesiæ fit contractum, *cit. n. 14.* Quintò, filii infidelium, qui in gradu Jure Canonico prohibito matrimonium contraxerunt, postquam ad fidem sunt conversi, legitimi sunt censendi, *c. 15. & ult. h. t. n. 15.* Matrimonium infidelium est validum, in quo non adest impedimentum jure naturali, vel Divino dirimens matrimonium, etsi jure Canonico dirimat, *num. 16.* Filii conversorum ad fidem Christianam ab Ecclesia reputantur legitimi, idque in favorem fidei, *n. 17.* Alia expositio hujus *c. ult.* est, quòd loquatur de prole suscepta ex secundo matrimonio, repudiatâ primâ uxore vivente, nam tale matrimonium initum cum secunda, vivente primâ, non valet ob impedimentum Juris Divini, secundùm quod nemo potest vivente primâ uxore, ducere aliam: quamvis autem ignorantia juris Divini non excuset infideles sic contrahentes à peccato, quia tamen fuerunt in bona fide, contrahentes matrimonium, secundùm legem suam, si postea convertantur ad fidem Christianam, filii eorum sunt legitimi, & sic legi, & intelligi debent, quæ habentur hîc *n. 17. in fine.*

§. III. *Quinam in specie reputandi sint filii illegitimi?*

Matrimonium contractum contra publicæ honestatis justitiam non tenet, & filij ex eo nati sunt illegitimi, & ab hæreditate paterna excluduntur, *c. Referente 10. h. t. n. 18. & 19.* Si mulier aliqua, vivente marito, alteri viro de facto matrimonialiter conjungatur, proles ex tali matrimonio nata illegitima censeri debet, *n. 20. & 21.* S. Pontifex, vel alius Judex Ecclesiasticus non cognoscit de causa civili, seu temporali inter laicos, nisi sint pauperes, vel aliæ personæ miserabiles, cognoscit tamen, an quis natus sit ex matrimonio legitimo, *c. Causam. 7. h. t. n. 22. & 23.*

§. IV. *Coram quo Judice, seculari, an Ecclesiastico, tractari debeat, vel possit quæstio nativitatis, seu natalium?*

Quæstio natalium opposita petenti hæreditatem coram Judice seculari, remitti debet ad Judicem Ecclesiasticum ab eo cognoscenda, etiamsi de illa non principaliter, sed incidenter agatur, *c. Lator. 5. h. t. n. 24. & 25.* Quando Judex secularis possit cognoscere de causa natalium, vel non? *n. 26.* An nepos legitimè natus ex patre illegitimo possit succedere avo? *cit. n. 26.* Coram quo Judice, seculari, an Ecclesiastico debeat cognosci quæstio principalis de petitione hæreditatis, & quæstio incidens natalium? *n. 27.* Quando quæstio hæreditatis principaliter fuit intentata coram Judice seculari, non potest Judex Ecclesiasticus, qui cognovit de quæstione incidente natalium, postea cognoscere de principali petitione hæreditatis: si verò nulla quæstio principaliter fuit intentata coram Judice seculari, non potest Judex Ecclesiasticus cognoscere de causa principali hæreditatis: quòd si quæstio natalium principaliter mota sit coram Judice Ecclesiastico, potest is de causa principali hæreditatis incidenter cognoscere, *cit. num. 27.* Existens in quasi possessione legitimæ nativitatis, in petitione hæreditatis, relevatur ab onere probandi, se esse legitimè natum, & onus probandi defectum natalium incumbit ei, qui eum opponit, *cit. n. 27.*

§. V. *De legitimatione prolis illegitimæ per subsequens matrimonium.*

Filius naturalis tantùm natus ex soluto, & soluta, inter quos tempore nativitatis non erat impedimentum dirimens matrimonium, legitimatur per subsequens matrimonium, ita ut si pater ob hanc causam eum velit exhæredare, sit excommunicandus, *c. 1. h. t. n. 28. & 29.* Tanta est vis, & potentia matrimonij, ut antea illegitimi fiant legitimi per subsequens matrimonium inter eosdem patentes contractum, *c. Tanta. 6. h. t. n. 30. & 31.* Quinam filij nati ante matrimonium per subsequens matrimonium legitimentur, vel non? *n. 32.*

Quæritur hîc præterea. 1. quo tempore parentes debeant esse habiles ad contrahendum matrimonium, ut proles ab eis nata legitimetur per subsequens matrimonium, utrùm tempore conceptæ prolis, vel natæ? Resp. Satis esse, quòd inter eos saltem tempore conceptionis, nullum erat impedimentum contrahendi matrimonium, etsi fortè tempore nativitatis tale impedimentum existat. *n. 33.* An sufficiat ad legitimandam prolem per subsequens matrimonium, si vice versâ hoc consistere potuerit inter parentes tempore natæ prolis, etsi tempore conceptionis inhabiles fuerint ad contrahendum? Ut si quis ex conjugata conceptus fuit, natus autem post mortem mariti? Resp. Esti id probabile sit, probabilius

Digitized by Google

trahendum matrimonium: secus si facto humano potest reinoveri, absque gravi periculo corporis, *n.* 25. Si mulier sit cognita ab uno viro, præsumitur, quòd etiam cognosci possit ab alio, nisi contrarium probetur, modò uterque vir similis sit ætate, ac roboris, *n.* 26. Propter impotentiam provenientem ex maleficio potest matrimonium separari, nec restauratur, etsi vir post mortem illius aliam ducat in uxorem, & illam cognoscat: & cur separetur matrimonium propter frigiditatem viri, vel arctitudinem mulieris: & si postea contrahat cum alio, vel alia, & appareat ex postfacto esse potens ad copulam, restauretur primum matrimonium: & tamen si separetur matrimonium propter maleficium, non cogatur vir, si contraxit cum alia, eámque cognovit, redire ad primam? *n.* 27. Error, sive ignorantia juris non est probabilis, nec excusat: si tamen sit probabilis, ut si erretur in facto, excusat, *n.* 28. Si mulier transivit ad Religionem, & Professionem emisit, tunc matrimonium postea contractum per primum virum cum secunda muliere, tenet, & debet cum illa remanere. Quòd si appareat Ecclesiam deceptam esse in separatione matrimonii, dum impotentiam judicavit esse perpetuam, restaurandum est prius matrimonium cum muliere, *n.* 29. Si mulier dicat se per triennium cohabitâsse cum viro, & illum esse impotentem, vir autem fateatur se esse impotentem quoad illam, sed non quoad alias, & si per inspectionem matronarum mulier reperitur virgo, factâque inquisitione, non reperitur aliqua à viro illo catnaliter cognita fuisse, & si constet eos per continuum triennium cohabitâsse, ipsique conjuges cum septima propinquorum manu jurent se carnaliter commiscerí non potuisse, tunc inter eos sententia divortii est proferenda, *c. Litteræ. 7. & ult. h. t. n.* 30. Idque declaratur, & explicatur *n.* 31. & 2. *seqq.*

SERIES CAPITVLORVM.

In Antiquis. *c. 5. num.* 15. *& aliquot seqq.*
c. 1. *n.* 13. *& seq.* *c.* 6. *n.* 23. *& aliquot seqq.*
c. 2. *n.* 2. *c.* 7. *& ult. n.* 30. *& 3. seqq.*
c. 3. *n.* 21. *c.* 4. *n.* 8. *& seq.*

TITVLVS XVI.

DE MATRIMONIO CONTRACTO contra interdictum Ecclesiæ.

§. I. *An, & quâ ratione matrimonium contractum contra interdictum Ecclesiæ dirimatur, vel impediatur?*

Quær. I. Quod dicatur interdictum Ecclesiæ, & quot modis fiat? Resp. Fieri potest circa matrimonium tribus modis, nempe per legem Ecclesiasticam, quæ certis temporibus nuptias celebrari prohibet, vel per Judicem Ecclesiasticum, vel per Parochum, *n.* 1. Quando Judex alicui mulieri interdicit, ne nubat, & ipsa, spreto mandato, contrahit matrimonium, illud tenet, imponitur tamen sic contrahentibus pœnitentia, & separantur quoad torum, donec de causa interdicti cognoscatur, *c.* 1. *h. t. n.* 2. & 3. Matrimonium dissolvit præcedentia sponsalia, etiamsi præcesserit interdictum Ecclesiæ, vel Judicis, *n.* 4. Probabilius est speciale esse in parentibus, ut si pro filiis contrahant sponsalia, vel matrimonium, sufficiat eorum taciturnitas, & præsentia: non autem si extraneus pro extraneo, tunc enim requiritur aliud signum consensum internum exprimens, ut valeant sponsalia, vel matrimonium, *n.* 5. Præterea si quis contrahat sponsalia de futuro cum una, etiam contra interdictum Ecclesiæ, non ditimitur matrimonium postea contractum cum alia, *c.* 2. *h. t. n.* 6. Solum interdictum Ecclesiæ factum propter impedimentum, non perpetuum, sed temporale solùm, non dirimit matrimonium postea contractum, *n.* 7. Qui propter consanguinitatem prohibentur conjungi matrimonio, si postea contra interdictum Ecclesiæ matrimonio jungantur, excommunicati debent, & separari, donec de causa cognoscatur, *n.* 8. & 9.

§. II. *De aliis impedimentis, quæ non dirimunt, sed impediunt tantùm matrimonium contrahendum.*

Hujusmodi impedimenta, quæ matrimonium subsequens non irritant, sed impediunt tantùm, sive illicitum reddunt, plura numerantur *n.* 10. & 11. Sed hæc impedimenta plerique omnia hodie sunt sublata, *n.* 12.

SERIES CAPITVLORVM.

In Antiquis. *c.* 2. *n.* 6. & 7.
c. 1. *n.* 2. & 3. *seqq.* *c.* 3. & *ult. n.* 8.

TITVLVS XVII.

QUI FILII SINT LEGITIMI.

§. I. *De filiis legitimis, & illegitimis in genere.*

Assertio I. Filii sunt legitimi, vel illegitimi, legitimi sunt, vel legitimi tantùm, quales sunt filii adoptivi, qui non à natura, sed à sola lege filii facti sunt, vel legitimi, & naturales, qui ex legitimo matrimonio nati sunt, *n.* 1. Filii illegitimi sunt, qui extra matrimonium sunt nati, & hi vel sunt naturales tantùm, qui nati sunt à parentibus, inter quos tempore conceptionis, vel saltem nativitatis, fine impedimento dirimente matrimonium consistere poterat. Non naturales verò, seu spurii dicuntur, qui nati sunt ex damnato coitu, inter quos nec tempore nativitatis, nec conceptionis matrimonium iniri poterat. Secundùm Jus Civile verò filii illegitimi alii sunt naturales, alii non naturales, alii nothi, *n.* 2. Item secundùm Jus Civile varii sunt spurii, *n.* 3.

§. II. *Quinam in specie judicandi sint filii legitimi?*

Filii concepti ante sententiam divortii à parentibus, qui publicè, & sine contradictione, ac bonâ fide utriúsque, vel saltem alterius parentis matrimonium contraxerunt, sunt verè, & propriè legitimi filii, licèt inter tales parentes existat latens impedimentum Canonicum v. g. consanguinitatis, propter quod postea tale matrimonium judicio Ecclesiæ fuit separatum tanquam invalidum, *n.* 4. & 5. Ut autem filii ex tali putativo matrimonio suscepti habeantur legitimi, duo requiruntur, nempe quòd matrimonium publicè, & in facie Ecclesiæ fit initum, & quòd bonâ fide, *cit. n.* 5. Filii suscepti à parentibus clandestinè contrahentibus, etiamsi parentes contraxerint coram Parocho, & testibus, non præmissis tamen denunciationibus, sunt illegitimi. Ut autem

licitè

Digitized by Google

licitè matrimonium contrahatur, requiritur, ut denuntiationes præmittantur, etsi coram Parocho, & testibus sit contractum, *n. 6.* Possunt autem tales filii concepti ante sententiam divortii ad Ordines sacros, & dignitates Ecclesiasticas promoveri, *cit. n. 6.* An filii nati post litem contestatam, super matrimonio publicè contracto, quod per sententiam divortii postea invalidum fuit declaratum, sint legitimi? *n. 7.* Filiis legitimis competit hæreditas paterna, & jus petendi alimenta: quamvis posteriùs competat etiam illegitimis de Jure Canonico, *num. eod.* Secundò si mulier per judicium Ecclesiæ sit separata à primo viro, & vivente illo, de licentia Ecclesiæ, contrahat matrimonium cum alio, proles susceptæ ex secundo viro, est legitima, & capax hæreditatis, *c. Perlatum. 8. h. t. n. 8. & 9.* Declaratur *n. 10.* Tertiò filii geniti ex clandestino matrimonio, sed postea ab Ecclesia approbato, legitimi filii, & hæredes sunt judicandi, etiamsi postea matrimonium ex justa causa separetur, *c. Quod nobis. 9. h. t. num. 11.* Probabilius est filios conceptos ante detectum impedimentum, licèt ante approbationem Ecclesiæ nati sint, esse legitimos, si matrimonium fuerit publicatum, & tanquam validum auctoritate Ecclesiæ approbatum, etsi postea impedimentum detegatur, *n. 12.* Judex Ecclesiasticus, qui pronuntiat aliquem esse legitimè natum, potest etiam pronuntiare esse hæredem, *num. eod.* Quartò, si conjugatus vivente primâ uxore, in facie Ecclesiæ aliam ducat, quæ probabiliter ignorat illum esse conjugatum, proles inde nata censetur legitima, etiamsi subsit occultum impedimentum dirimens, propter quod matrimonium postea declaratur nullum, *c. Ex tenore. 14. h. t. n. 13. & 14.* Ad legitimandam prolem non sufficit, si ignorantia impedimenti dirimentis adsit tempore contractûs matrimonij, sed requiritur, ut subsit tempore conceptionis, vel nativitatis prolis, *cit. n. 14.* Ad legitimandam prolem propter bonam fidem parentum, vel saltem alterius tantùm, requiritur etiam, ut matrimonium inter eos in facie Ecclesiæ sit contractum, *cit. n. 14.* Quintò, filii infidelium, qui in gradu Jure Canonico prohibito matrimonium contraxerunt, postquam ad fidem sunt conversi, legitimi sunt censendi, *c. 15. & ult. h. t. n. 15.* Matrimonium infidelium est validum, in quo non adest impedimentum jure naturali, vel Divino dirimens matrimonium, etsi jure Canonico dirimat, *num. 16.* Filii conversorum ad fidem Christianam ab Ecclesia reputantur legitimi, idque in favorem fidei, *n. 17.* Alia expositio hujus *c. ult.* est, quòd loquatur de prole suscepta ex secundo matrimonio, repudiatâ primâ uxore vivente, nam tale matrimonium initum cum secunda, vivente primâ, non valet ob impedimentum Juris Divini, secundùm quod nemo potest vivente primâ uxore, ducere aliam: quamvis autem ignorantia juris Divini non excusèt infideles sic contrahentes à peccato, quia tamen fuerunt in bona fide, contrahentes matrimonium, secundùm legem suam, si postea convertantur ad fidem Christianam, filii eorum sunt legitimi, & sic legi, & intelligi debent, quæ habentur hic *n. 17. in fine.*

§. III. *Quinam in specie reputandi sint filii illegitimi?*

Matrimonium contractum contra publicæ honestatis justitiam non tenet, & filij ex eo nati sunt illegitimi, & ab hæreditate paterna excluduntur, *c. Referente 10. h. t. n. 18. & 19.* Si mulier aliqua, vivente marito, alteri viro de facto matrimonialiter conjungatur, proles ex tali matrimonio nata illegitima censeri debet, *n. 20. & 21.* S. Pontifex, vel alius Judex Ecclesiasticus non cognoscit de causa civili, seu temporali inter laicos, nisi sint pauperes, vel aliæ personæ miserabiles, cognoscit tamen, an quis natus sit ex matrimonio legitimo, *c. Causam. 7. h. t. n. 22. & 23.*

§. IV. *Coram quo Judice, seculari, an Ecclesiastico tractari debeat, vel possit quæstio nativitatis, seu natalium?*

Quæstio natalium opposita petenti hæreditatem coram Judice seculari, remitti debet ad Judicem Ecclesiasticum ab eo cognoscenda, etiamsi de illa non principaliter, sed incidenter agatur, *c. Lator. 5. h. t. n. 24. & 25.* Quando Judex secularis possit cognoscere de causa natalium, vel non? *n. 26.* An nepos legitimè natus ex patre illegitimo possit succedere avo? *cit. n. 26.* Coram quo Judice, seculari, an Ecclesiastico debeat cognosci quæstio principalis de petitione hæreditatis, & quæstio incidens natalium? *n. 27.* Quando quæstio hæreditatis principaliter fuit intentata coram Judice seculari, non potest Judex Ecclesiasticus, qui cognovit de quæstione incidente natalium, postea cognoscere de principali petitione hæreditatis: si verò nulla quæstio principaliter fuit intentata coram Judice seculari, non potest Judex Ecclesiasticus cognoscere de causa principali hæreditatis: quòd si quæstio natalium principaliter mota sit coram Judice Ecclesiastico, potest is de causa principali hæreditatis incidenter cognoscere, *cit. num. 27.* Existens in quasi possessione legitimæ nativitatis, in petitione hæreditatis, relevatur ab onere probandi, se esse legitimè natum, & onus probandi de defectum natalium incumbit ei, qui eum opponit, *cit. n. 27.*

§. V. *De legitimatione prolis illegitimæ per subsequens matrimonium.*

Filius naturalis tantùm natus ex soluto, & soluta, inter quos tempore nativitatis non erat impedimentum dirimens matrimonium, legitimatur per subsequens matrimonium, ita ut si pater ob hanc causam eum velit exhæredare, sit excommunicandus, *c. 1. h. t. n. 28. & 29.* Tanta est vis, & potentia matrimonij, ut antea illegitimi fiant legitimi per subsequens matrimonium inter eosdem parentes contractum, *c. Tanta. 6. h. t. n. 30. & 31.* Quinam filij nati ante matrimonium per subsequens matrimonium legitimentur, vel non? *n. 32.*

Quæritur hic præterea. 1. quo tempore parentes debeant esse habiles ad contrahendum matrimonium, ut proles ab eis nata legitimetur per subsequens matrimonium, utrùm tempore conceptæ prolis, vel natæ? Resp. Satis esse, quòd inter eos saltem tempore conceptionis, nullum erat impedimentum contrahendi matrimonium, etsi fortè tempore nativitatis tale impedimentum existat. *n. 33.* An sufficiat ad legitimandam prolem per subsequens matrimonium, si vice versâ hoc consistere potuerit inter parentes tempore natæ prolis, etsi tempore conceptionis inhabiles fuerint ad contrahendum? Ut si quis ex conjugata conceptus fuit, natus autem post mortem mariti? Resp. Etsi id probabile sit, proba-

Digitized by Google

bilius tamen eſt, ſi tale impedimentum inter parentes exiſtat, tempore conceptionis, quod tamen tempore nativitatis filij jam ſit ablatum per diſpenſationem, filium non fieri legitimum per ſubſequens matrimonium: Secus eſt, ſi è contrario, tempore conceptionis non adfuit impedimentum, tempore autem nativitatis exiſtat, nam hoc non obſtante proles legitima efficitur. *n.* 34.

Quær. 2. An filij illegitimi omnia jura legitimorum aſſequantur? Reſp. conſequi omnia jura tum ſpiritualia, & Eccleſiaſtica, tum civilia, & profana, ita ut quoad omnia ſint, & habeantur legitimi. *n.* 35. Hinc legitimi per ſubſequens matrimonium ſuccedunt etiam in feudis, & Majoratibus, in Emphyteuſi Eccleſiaſtica, item poſſunt promoveri ad SS. Ordines, & dignitates Eccleſiaſticas, non autem ad Cardinalatum: præterea legitimatus per ſubſequens matrimonium in fideicommiſſo excludit ſubſtitutum ſub illa conditione, ſi abſque liberis legitimis, & naturalibus deceſſerit. Denique hujuſmodi legitimati gaudent quoque nobilitate parentum, *cit. n.* 35.

Quær. 3. Quibus præterea caſibus filij legitimentur per ſubſequens matrimonium? Reſp. in ſeptem caſibus, qui enumerantur *n.* 36. Quær. 4. Quinam ſint alij effectus hujus legitimationis per ſubſequens matrimonium? Reſp. 4. enumerantur *n.* 37. Quær. 5. quinam liberi per ſubſequens matrimonium non legitimentur? Reſp. filius ex adulterio natus, qui à vito, vivente uxore ſuâ, ex alia muliere eſt ſuſceptus, non legitimatur per matrimonium initum poſtea cum adultera, *cit. c. Tanta h. t.* Item ſi mulier, vivente adhuc marito ſuo, filium ex alio ſuſcepit, hic filius per matrimonium cum adultero initum non legitimatur, ſi talis filius, ſciente utroque parente ſuſceptus ſit ex adulterio. Secus ſi unus ex parentibus ſcivit, alter verò ignoravit. *n.* 38.

§. VI. *De legitimatione illegitimorum facta per privilegium, ſeu conceſſionem Papæ.*

Quær. 1. Quid ſit legitimatio in genere, & quomodo à diſpenſatione differat? Reſp. Per legitimationem natalium conſequitur quis omnia jura legitimorum, non autem per diſpenſationem, per quam quis fit habilis ſolùm ad unum aliquem actum, vel ad certa quædam jura. *n.* 39. Quær. 2. Qualis poteſtas legitimandi illegitimos competat Rom. Pontifici? Reſp. S. Pontifex habet poteſtatem legitimandi quoſcunque illegitimos, quoad Ordines Eccleſiaſticos, aliáque ſpiritualia ubique terrarum: quoad ſucceſſiones verò hæreditatis in bonis temporalibus, ſolùm in terris temporali ſuæ juriſdictioni ſubjectis, *c. Per venerabilem. 13. h. t. n.* 40. *&* 41. Poteſt S. Pontifex diſpenſando in impedimento ſolùm Jure Canonico inducto, illegitimam prolem legitimare etiam quoad officia ſecularia, & ſucceſſionem bonorum temporalium, & in locis Papæ temporaliter non ſubjectis, ita ut legitimatio illa retrotrahatur ad tempus, quo id matrimonium invalidè fuit contractum, quaſi validum ab initio fuiſſet, mediante illâ diſpenſatione: nam quamvis Papa non poſſit directè diſpenſare in effectibus illegitimitatis ex jure Civili provenientibus: poteſt tamen indirectè, & per quandam conſequentiam, tollendo legem ſuam Eccleſiaſticam per diſpenſationem, ex qua tanquam fundamento omnia illa pendebant, *n.* 42. Si proles ſuſcepta fuit, nullo præcedente matrimonio inito, ex copula manifeſtè fornicaria, non poteſt Pontifex eam legitimare, ne quidem quoad ſecularia, & temporalia extra loca ſuæ temporali juriſdictioni ſubjecta. Sed neque poteſt Pontifex indirectè legitimare quoad temporalia, & ſecularia, quando tale matrimonium irritum fuit ob impedimentum Juris Divini, & naturalis. *n.* 43. Poteſt Papa legitimare illegitimos quoſcunque, etiam quoad ſucceſſionem in hæreditate, & bonis temporalibus in Terris alienis, non tamen ſolet id facere, *cit. n.* 43.

§. VII. *De poteſtate legitimandi illegitimos, quæ competit ſecularibus Principibus.*

Quær. 1. Penes quem ſit poteſtas reſtituendi aliquem legitimis natalibus? Reſp. 1. Imperator, & alij Principes, qui in temporalibus Superiorem non habent, poſſunt quoſvis illegitimos legitimos facere: non item alij Principes inferiores. Reſp. 2. Etſi Princeps ſupremam poteſtatem habens in temporalibus, poteſt legitimare filium naturalem, vel ſpurium quoad dignitates, & officia ſecularia, non ramen quoad ſpiritualia, ut capax ſit Ordinum, vel bonorum Eccleſiaſticorum, *n.* 44. Quær. 2. Quænam exprimenda ſint in petitione legitimationis, ne ſit ſubreptitia? Reſp. Exprimi debet qualitas, & conditio filij naturalis, vel ſpurij, an ſit natus ex adulterio, inceſtu, vel ſacrilegio, item an ex adulterio duplici, item ſi ex inceſtu, an natus ſit ex ſorore, vel filia &c. *n.* 45. Quær. 3. An in petitione legitimationis ſint vocandi agnati, & cognati ipſius parentis? Reſp. ad legitimationem filij, quæ ſit patre vivente, non ſunt vocandi agnati, & cognati ipſius, modò ipſe pater conſentiat. *n.* 46. Quær. 4. An cùm Princeps aliquem legitimum facit, vocandus ſit, qui eſt ſubſtitutus ſub conditione, ſi ſine liberis pater hæres inſtitutus deceſſerit? Reſp. vocandum eſſe, *num.* 47. Quo ſenſu filij illegitimi dicantur fieri legitimi? *num.* 48.

§. VIII. *De probatione legitimitatis natalium.*

Si maritus, & uxor negent aliquem eſſe ſuum filium, ex eo quòd nutritus ſit, & educatus in domo eorum, non probatur eſſe filius, *n.* 49. *&* 50. Sola fama vicinia non ſufficit ad probandam filiationem ſine alijs adminiculis. Si parentes negent aliquem eſſe ſuum filium, illis credendum eſt, niſi probetur contrarium, & quomodo plenè probetur filiatio? *cit. n.* 50. Quando fuit matrimonium publicè celebratum in facie Eccleſiæ, non ſufficit probare impedimentum matrimonij ad probandum matrimonium fuiſſe invalidum, & prolem illegitimam, ſed neceſſe eſt probare parentes malâ fide contraxiſſe, *c. Pervenit. 11. h. t. n.* 51. *&* 52. Quomodo filiatio probari poſſit, ac debeat? *n.* 53. Statur dicto teſtium probantium aliquem eſſe filium legitimum, quamvis fama vicinæ, & tractatus parentum habeat contrarium, *c. Per tuas. 12. h. t. n.* 54. *&* 55. Quænam præterea notanda ſint ad probandum aliquem eſſe filium legitimum? *num.* 56.

SERIES

SERIES CAPITULORUM.

c. 1. *n.* 28.
c. 2. *n.* 4. *& 5. seqq.*
c. 3, *n.* 49. *& seq.*
c. 4. *n.* 20. *& seq.*
c. 5. *n.* 24. *& 2. seqq.*
c. 6. *n.* 30. *& aliquot seqq.*
c. 7. *n.* 22. *& seq.*
c. 8. *n.* 8. *& 2. seqq.*
c. 9. *n.* 11. *& 14.*
c. 10. *n.* 18. *& seq.*
c. 11. *n.* 51. *& seq.*
c. 12. *n.* 54. *& seq.*
c. 13. *n.* 40. *& seq.*
c. 14. *n.* 13. *& seq.*
c. 15. *& ult. n.* 15. *& seq.*

TITVLVS XVIII.

QUI MATRIMONIUM ACCUSARE possunt, vel contra illud testificari?

§. I. *Quinam admittantur ad accusandum matrimonium, vel testificandum contra illud?*

Assertio 1. Si accusetur matrimonium, vel agatur contra illud tanquam illegitimè contractum, vel agitur ad separationem tori, & tunc admittitur ad accusandum solùm conjux innocens: vel agitur ad dissolutionem vinculi matrimonialis: & tunc si accusatur matrimonium propter impedimentum consanguinitatis, ante omnes, admittuntur parentes, & his deficientibus proximiores consanguinei, & post hos extranei maturiores, & antiquiores è vicinia, nisi subsit tale impedimentum dirimens, cui contrahentes possunt renunciare, ut est impedimentum erroris circa statum personæ, ut quia liber ignorans contraxit cum ancilla, vel liberta cum servo, *n.* 1. Ass. 2. Omnes, quiadmittuntur ad accusandum matrimonium, admittuntur etiam ad ferendum testimonium contra illud, vel pro illo; unde sive agatur de matrimonio conjungendo, sive dissolvendo, parentes, & consanguinei sunt idonei testes super consanguinitate, prout sumitur ex *c. 3. h. t.* imò aliis præferuntur, *n.* 2. *& 3.* Etsi pater non sit ordinariè testis in causa filij in criminalibus, & contractibus, potest tamen esse testis in matrimonio. *n. eod.* In causa matrimoniali idem potest esse accusator, & testis, cùm quæritur de consanguinitate conjugum, *cit. n.* 3.

§. II. *Quinam ab accusatione matrimonij sint repellendi?*

Qui matrimonium accusat propter quæstum, repelli debet, *c. Significante. 5. h. t. n.* 4. *& 5.* Repellitur etiam ab accusatione matrimonij contracti, qui tempore præmissæ denuntiationis, sciens impedimentum dirimens tacuit, & illud non manifestavit, nisi denunciationem probabiliter ignotárit, vel juret se postea primùm in ejus notitiam devenisse, & quòd nihil malitiosè objiciat contra matrimonium, *c. Cum in tua. 6. & ult. h. t. n.* 6. Antequam contrahatur matrimonium, denuntiationes fieri debent in Ecclesijs, ut scientes impedimentum matrimonij illud intra tempus præfixum deferant. *n.* 7. Impedimentum matrimonij potest per proprium juramentum probari. *n.* 8. Hæc est differentia inter accusatorem, & testem, quòd accusator admittitur ad accusandum matrimonium, etiamsi auctor, à quo audivit impedimentum matrimonij, admitti non possit: testis verò repellitur à testimonio, si ejus auctor repellatur, *cit. num.* 8.

§. III. *Proponuntur, & resolvuntur nonnullæ quæstiones occurentes circa reliqua tria Capitula hujus Tituli.*

Quær. 1. An, & quando in causa matrimoniali, etiam lite non contestatâ, testes recipi possint, & sententia ferri, alterâ parte absente? Resp. si agatur de valore matrimonij, possunt super impedimento matrimonij contra reum contumaciter absentem testes recipi, etiam lite non contestatâ, dummodo aliàs sint legitimi testes, & juxta eorum depositiones sententia ferri debet, *c. 1. h. t. n. 9. & 10.* Quamvis au tem in casu *cit. c. 1.* maritus, suâ culpâ, per quinquennium fuerit absens, ibi tamen narratur solùm factum, non tamen requiritur tempus septennij tanquam terminus à jure requisitus, nempe, ut absit maritus tanto tempore. nam si convenienti tempore quæritus non reperiatur, potest contra ipsum procedi ad definitivam sententiam, quia in culpa fuit, *cit. n.* 10.

Quær. 2. An accusatio, vel testimonium in causa matrimoniali fieri possit per litteras, seu scripturam, absente accusatore, vel testibus? Resp. Accusatio fieri, & testimonia in causa matrimoniali ferri debent personaliter, & vivâ, ac propriâ voce, & non per litteras, *c. 2. h. t. n.* 11. Ex privilegio tamen, & longa consuetudine in quibusdam locis attestationes testium in scripta redactæ valent inter personas illustres, & nobiles, ita ut illæ non teneantur personaliter accedere ad Judicem, ad testimonium perhibendum, sed satis est, quòd per scripturam sub fide sua, sine corporali juramento, deponant, & depositionem propriâ manu subscriptam, & obsignatam Judici transmittant, *n.* 12. Similiter Confessio Sacramentalis non potest fieri per litteras Confessario absenti, *n.* 13. Quær. 3. An puella innubilis, quæ invita contraxit matrimonium cum aliquo, sed postea sponte ab eodem fuit cognita, audiri debeat, si reclamet contra matrimonium? Resp. Puella innubilis, quæ invita contraxit cum aliquo, sed postea nubilis facta, sponte ab eodem cognita fuit, si dicat se nunquam consensisse, idque per testes probare intendat. & probet, non est audienda, quia cùm potuit, non reclamavit, *c. Insuper. 4. h. t. n.* 14. Matrimonium nullum ob defectum ætatis, vel gravem metum convalidatur per intervenientem spontaneam cohabitationem, post ætatem legitimam, maximè si interfuisset copula carnalis sponte habita. *n.* 15.

§. IV. *Quis sit Judex competens causarum matrimonialium?*

Assertio 1. Judex competens in causis matrimonialibus est Episcopus; ex justa tamen causa ex etiam Prælatis inferioribus delegari possunt, vel ex privilegio, aut consuetudine ab ijs cognosci. *n.* 16. Ass. 2. Judex secularis non potest causam matrimonij cognoscere, etiamsi non tractetur de valore matrimonii, sed solùm de separatione quoad torum, & cohabitationem, & etiamsi causa conjugalis incidat in judicium hæreditariæ successionis. In illis tamen causis, quæ ad dotem, hæreditates, & successiones pertinent, etiam secularis est competens Judex. Item in quæstionibus facti, an matrimonium sit de facto contractum, vel clam, vel de punitione adulterij, vel aliorum criminum, quæ sunt contra sanctitatem matrimonij commissa, potest esse Judex secularis. *n.* 17.

Digitized by Google

Triplices ſunt cauſæ matrimoniales: quædam omnino politicæ, ſeu civiles, ut de dotibus, & de hæreditatibus: quædam ſimpliciter ſpirituales, ut de partibus Sacramenti matrimonij, & benedictione Sacramentali: quædam ſunt partim civiles, ſeu ſeculares, partim ſpirituales, ut de gradibus cognationis, divortijs, & impedimentis, *n.* 18.

SERIES CAPITVLORVM.

In Antiquis. *n.* 1. 9. & 10.
c. 2. *n.* 11. & *ſeq.*
c. 3. *n.* 2. & *ſeq.*
c. 4. *n.* 14. & *ſeq.*
c. 5. *n.* 4. & *ſeq.*
c. 6. & *ult. n.* 6. & 2. *ſeqq.*

TITVLVS XIX.

DE DIVORTIIS.

Agitur hîc potiſſimùm de divortio quoad torum, & cohabitationem, nam per mortem naturalem unius conjugis diſſolvitur matrimonium etiam quoad vinculum. *n.* 1.

§. I. *An, & quæ ratione licitum ſit conjugi inſtituere divortium, ob alterius adulterium?*

Assertio 1. Conjux innocens, ſive vir ſit, ſivè mulier, poteſt dimittere à ſuo toro, & cohabitatione conjugem adulterum, vel adulteram, ut conſtat ex *c.* 5. *Matth. n.* 2. Si verò dimittat uxorem propter adulterium ab ea commiſſum, ſine ſententia Judicis, ideoque excommunicetur: uxor verò dimiſſa adhuc cum alijs adulteretur, & tamen petat viro ſuo reſtitui, dicens ſe injuſtè ab eo dimiſſam, ipſúmque ei dediſſe occaſionem adulterandi, tunc ſi adulterium uxoris eſt notorium, non eſt vir cogendus, ut illam recipiat, niſi conſtiterit, ipſum virtum cum alia adulterium commiſiſſe, *c. Significáſti. 4. h. t. n.* 3. Si maritus, ſine juſta cauſa, dimittat uxorem, poteſt excommunicari, neque poteſt vir, propriâ auctoritate expellere uxorem, propter adulterium, ſine judicio Eccleſiæ, *n.* 4. Quomodo probari poſſit adulterium uxoris eſſe notorium? *n. eod.* Conjugi petenti reſtitutionem obſtat exceptio notorij adulterij: quòd ſi uterque conjux adulterium commiſit, neuter poteſt contra alterum excipere de adulterio. *cit. n.* 4. Aſſ. 2. non tantùm ob adulterium conjugis jus divortij competit conjugi innocenti, ſed etiam propter alium quemlibet illicitum concubitum conſummatum alterius conjugis, qualis eſt Sodomia activa, vel paſſiva, & beſtialitas complota, non item incompleta, ſine ſeminis effuſione: neque pollutio ſine copula, multò minùs amplexus, & tactus inpudici, etiam animo adulterandi habiti, ad divortium ſufficiunt. *n.* 5. Sodomia tamen viri completa cum propria uxore etiam invita, non præbet juſtam cauſam perpetui divortij, niſi ad tempus, dum vir à ſcelere illo deſiſtere non vult: quamvis contrarium quoque ſit probabile, *cit. n.* 5. Aſſ. 3. Matrimonium ſeparatum quoad torum, & cohabitationem, propter adulterium uxoris, redintegratur, ſi vir poſtea etiam adulterium committat, ita ut ad uxorem primam redire, eíque cohabitare debeat, *c. Ex litteris. 5. h. t.* idémque eſt de marito reſpectu uxoris. *n.* 6. Statur confeſſioni alterius conjugum, quando agitur ad ſeparationem tori: non autem ſi agatur ad ſeparationem vinculi matrimonialis, tunc enim non tenet confeſſio contra matrimonium. *n.* 7. Propter crimen adulterij non ſeparatur matrimonium quoad vinculum. *cit. n.* 7. Uxor ab adulterij pœna propter ſævitiam mariti non excuſatur, nec propter paupertatem. Quòd ſi poſt factam ſeparationem quoad torum, propter adulterium mulieris, vir fornicetur cum alia muliere, debet matrimonium redintegrari, muliérque virum ſibi reſtitui petere poteſt, *cit. n.* 7.

§. II. *An, & in quibus caſibus non liceat divortium inſtituere propter conjugis adulterium?*

Assertio 1. Septem communiter numerantur, qui tamen ad tria capita revocari poſſunt. Primum eſt, quia uterque conjux eſt ejuſdem criminis particeps, ſive reus adulterij, tunc enim neutri conjugi permiſſum eſt divortium inſtituere. Secundum eſt, ſi adulterium culpâ vacet, quia non eſt formaliter injurioſum alteri conjugi. Tertium, ſi conjux innocens injuriam adulterij expreſsè, vel tacitè remittat. *n.* 8. Aſſ. 2. In ſpecie adulterium vacat culpâ, ita ut ob illud non poſſit inſtitui divortium. 1. ſi uxor probabiliter credens maritum eſſe mortuum, alij nubat: vel viciſſim vir credens uxorem eſſe mortuam, aliam ducat, *n.* 9. 2. ſi uxor fuit violenter cognita animo non conſentiente. *n.* 10. 3. non poteſt divortium inſtitui, ſi vir uxorem proſtituat, adeoque in adulterium uxoris conſentiat, permittendo illud, cùm facilè poſſet prohibere. Aliud eſt, ſi uxor taceat, ſciens delictum viri, non enim cenſetur conſentire *n.* 11. Quòd ſi juſtam cauſſam habeat permittendi delictum, ut quia uxorem ſuſpectam habens de adulterio non prohibet, ut deprehenſam dimittat; non cenſetur in id conſentire, etſi indirectè occaſionem adulterij ei præbeat. *n.* 12. 4. ſi conjux, ſive vir, ſive femina accedentem ad ſe adulterum ex ignorantia invincibili putavit eſſe ſuum conjugem, & ab ipſo fuit cognita, *n.* 13. 5. ſi inter gentiles, tempore infidelitatis, libellus repudij fuit datus, & unus conjugum ad aliud matrimonium tranſeat, *cit. n.* 13. Aſſ. 3. Si à conjuge innocente expreſsè, vel tacitè remiſſa ſit injuria adulterij alteri, non poteſt is ampliùs inſtituere divortium, ad quod requiritur, ut alter conjux innocens ſit conſcius adulterij, & ut copula conjugalis ſit liberè, & ſponte habita, *n.* 14. Quando præterea cenſeatur condonatum adulterium conjugi? *n.* 15. Quamdiu conjux non eſt moraliter certus de adulterio alterius, non poteſt eum dimittere; poſt habitam verò moralem certitudinem adulterij, innocens habet jus ſe ab adulterio ſeparandi quoad torum, propriâ auctoritate, quoad cohabitationem verò ſolùm per ſententiam Judicis. *n.* 16.

§ III. *An, & quæ ratione conjuges propter adulterium ſeparati, ſi poſtea reconciliati, unus, vel uterque relabatur in adulterium, poſſit denuo divortium inſtituere?*

Reſp. Si poſt unius, vel alterius conjugis adulterium, ſint reconciliati, & poſtea alteruter conjux in adulterium relabatur, poteſt alter divortium inſtituere. *n.* 17. Sed dubitatur hîc 1. ſi poſt utriuſque conjugis fornicationem, reconciliatio mutuo conſenſu non ſit facta, ſed unus quidem emendatus ſit, alter verò in fornicatione perſiſtat, an tunc conjux emendatus

Digitized by Google

datus possit divortium instituere? Resp. affirmativè, si tamen conjux emendatus alterum conjugem de emendatione pariter facienda admonuerit, isque adhuc fornicari pergat, *num.* 18. Dubitatur 2. si postquam sententia divortii est lata, ob adulterium alterius conjugis, innocens quoque in adulterium labatur, an hoc casu prior conjux adulter jus habeat repetendi innocentem? Resp. valde probabile est, conjugem adulterum nullum habere jus repetendi innocentem, qui post divortium adulteratus est, adeoque delicta non compensantur, quamvis Judex ex officio suo eos reconciliare possit, & ad hoc cogere, ob virandū probabile periculū incontinentiæ, *n.* 19. Dubitatur 3. An conjux conscius adulterii alterius conjugis in conscientia obligetur se ab illo separare, illumque dimittere, & an facto divortio possit, ac debeat revocare, & recipere alterum conjugem? Resp. 1. communiter, ac per se non tenetur innocens conjux dimittere adulterum, etiam persistentem in adulterio publico, *n.* 20. Resp. 2. facto divortio, etiam per sententiam Judicis, potest conjux innocens revocare conjugem adulterum, & cogere ad redeundum, modò neuter conjugum statum mutárit, *n.* 21. Resp. 3. Conjux innocens ordinariè non obligatur ad recipiendum conjugem adulterum, etiamsi is sit emendatus, interdum tamen ex charitate recipiendus erit, *n.* 22. Resp. 4. Vir communiter non tenetur uxorem persistentem in adulterio dimittere; contrà verò uxor non tenetur à viro adultero se separare; *cit. n.* 22.

§. IV. *An vir possit dimittere uxorem, sine judicio Ecclesiæ, etiam propter publicum, ac notorium impedimentum parentelæ, seu cognationis?*

Non potest quis, propriâ auctoritate, & absque judicio Ecclesiæ, uxorem dimittere, cum qua matrimonium in facie Ecclesiæ contraxit, etiamsi impedimentum v. g. cognationis sit notorium, *n.* 23. & 24. Conciliantur duo capitula hujus Tituli, quæ sibi invicem advertari videntur, *n.* 25. & 26.

§. V. *Virum, & quando ob adulterium spirituale, sive ob lapsum in hæresim, vel apostasiam à fide alterius conjugis, licèat Catholico instituere divortium, & an ei reverso ad fidem debeat conciliari, seu ad eum redire?*

Assertio I. Præter adulterium carnale, potest etiam divortium institui, si alter conjugum labatur in hæresim, vel apostasiam à fide, & propter eam separati quoad torum, & cohabitationem, aliud matrimonium inire non possint, quia conjuges manent, *c.* 2. *h. t. n.* 27. Qualecunque delictum unus conjugum committat, non potest alter ob hoc petere separationem matrimonii, etiam quoad torum, excepto crimine fornicationis, sive carnalis, sive spiritualis, quia incidit in hæresim, vel apostasiam à fide, idque propter periculum perversionis conjugis Catholici. *n.* 28. Ass. 2. Si uxor, viro lapso in hæresim, propriâ auctoritate, ab eo se separavit, ad eum conversum ad fidem redire debet, & compelli. Si verò per judicium Ecclesiæ ab eo fuit separata, non debet compelli, ut ad eum redeat, *c. De illa. 6. h. t. n.* 29. Si unus ex conjugibus incidat in fornicationem spiritualem, nempe in infidelitatem, vel hæresim, potest alter, propriâ auctoritate, ab eo se separare, nec compelli potest per Ecclesiam redire ad conjugem permanentem in infidelitate, vel hæresi, *n.* 30. Hoc interest inter conjugem Catholicum recedentem ab hæretico, sine judicio Ecclesiæ, & recedentem cum auctoritate ejusdē, quòd priore casu, teneatur illum reversum ad fidem recipere, non autem posteriore casu, sed possit liberè ab eo discedere, *cit. n.* 30. Uxor, quæ propter viri hæresim, propriâ auctoritate, & sine judicio Ecclesiæ, ab eo discessit, tenetur ad eum redire, si idem vir ad fidem revertatur, *n.* 31. An ad hoc, ut conjux separatus judicio Ecclesiæ à conjuge hæretico, non teneatur ad hunc redire, requiratur, ut uxor v. g. Catholica judicio Ecclesiæ separata à viro suo ingressa fuerit Religionem, & in ea professa? *cit. n.* 31. Tunc conjux ob hæresim dimitti potest, si pertinax appareat, & pœnitentiam agere renuat, *n.* 32.

§. VI. *An ficus conjugale vinculum non dissolvitur, altero conjuge fidelium in hæresim, vel infidelitatem lapso: ita etiam si unus ex infidelibus conjugibus convertatur ad fidem, dissolvatur vinculum conjugii, & conversus aliud matrimonium contrahere possit?*

Si unus infidelium conjugum convertatur ad fidem Catholicam, & alter infidelis nullo modo, vel non sine blasphemia Divini nominis, vel ut pertrahat ad peccatum mortale, ac pervertat, conjugi fideli cohabitare velit, hic conversus ad secundas nuptias, si voluerit, transire poterit. Si verò alter fidelium conjugum vel labatur in hæresim, vel transeat ad errorem infidelitatis, is, qui relinquitur, non potest vivente altero conjuge, ad secundas nuptias transire, *c. Quanto, 7. h. t. n.* 33. An S. Pontifex Cælestinus III. definiverit matrimonium dissolvi, cùm alter conjugum in hæresim labitur, vel ad Gentilium errorem transit? *n.* 34. Tres requiruntur conditiones, ut infidelis conjux ad fidem Christi conversus possit cum alia matrimonium contrahere. 1. Si infidelis omnino renuat cohabitare cum conjuge fideli. 2. quando non vult sine injuria Creatoris cum fideli commorari. 3. quando ex convictu fidelis cum infideli sequitur periculum inductionis ad peccatum mortale: est autem probabilius his casibus dissolvi matrimonium tum demum, postquam Christianus de facto matrimonium cum alia contraxit, *n.* 35. Si alter fidelium conjugum labatur in hæresim, vel transeat ad errorem Gentilium, quod non possit ad aliud matrimonium transire, post Concil. Trident. *Sess.* 24. *can.* 5. *de Sacram. matr.* est de fide, *n.* 36. Explicatur textus Apostoli ex 1. *Cor.* 7. *cit. n.* 36. Matrimonium contractum inter infideles est verum, ac legitimum matrimonium, non tamen ratum, quia non est Sacramentum inter infideles, nec gratiam confert, & quamvis consummatum sit, potest dissolvi per conversionem alterius conjugis ad fidem, cùm tamen matrimonium consummatum Christianorum sit indissolubile, *n.* 37. Quòd si ambo conjuges infideles convertantur ad fidem, eodem tempore, inter eos matrimonium non dissolvitur: & quid si unus post alium convertatur ad fidem? *cit. n.* 37. *in fine.*

§. VII. *Proponuntur, & resolvuntur aliæ quæstiones circa matrimonium infidelium conversorum ad fidem Christianam. & divortium inter illos instituendum?*

Pagani, seu infideles conjuncti in gradu prohibito

Digitized by Google

bito à lege Canonica tantùm, conversi ad fidem non separantur. Si infidelis priùs plures uxores habebat, post fidem susceptam adhærebit primæ. Et si repudiatâ uxore, cum secunda contraxit, etiam post Baptismum dimittet secundam, & adhærebit primæ repudiatæ, etiamsi repudiata cum alio contraxisset: secus si fornicata fuisset, *c. Gaudemus. 8. h. t. num. 38.* Ass. 1. Pagani, seu infideles conjuncti in secundo, tertio, vel ulteriore gradu linex collateralis Jure Canonico tantùm prohibito, non debent separari. Si verò sint in gradu lege Divinâ prohibito conjuncti, debent conversi ad fidem separati. Quòd si infideles conversi ad fidem volunt cohabitare, sine contumelia Creatoris, & periculo inductionis ad peccatum, non sunt separandi, sed licitè manent conjuncti, qui ante conversionem ad fidem matrimonium contraxerunt, quia per Sacramentum Baptismi non dissolvuntur conjugia, sed crimina dimittuntur, *n. 39.* Inter quas personas jure Divino, & naturali est prohibitum matrimonium, etiam inter infideles? *n. 40.* Sacramentum matrimonii latè acceptum, prout est signum rei sacræ, existit etiam apud Judæos, & infideles, *cit. n. 40.* An, & quâ ratione matrimonium contractum inter infideles, si postea convertantur ad fidem, post Baptismum, efficiatur Sacramentum, & indissolubile? *n. 41.* Posterioribus temporibus præceptum fuit ab Ecclesia, ne conjux ad fidem conversus permittatur simul habitare cum infideli, ob periculum perversionis, *n. 42.* Ass. 2. Si paganus, seu infidelis priùs habuit plures simul uxores, post fidem susceptam adhærebit primæ, quia pluralitas uxorum simul ductarum est etiam jure Divino, & naturali prohibita, quamvis olim ex dispensatione Divina permissum fuerit antiquis Patriarchis plures simul habere uxores, *n. 43.* Verùm nunc in nova lege Evangelica hujusmodi dispensatio sublata fuit à Christo, *n. 44.* Quæ sit pœna tum viri ducentis, eodem tempore, plures uxores, tum mulieris nubentis simul pluribus viris, sive de Jure Civili, sive Canonico? *n. 45.* Ass. 3. Si paganus, seu infidelis, repudiatâ uxore suâ, convertus ad fidem matrimonium contrahat cum secunda, etiam post Baptismum eam dimittere debet, quàm secundò duxit, & adhærebit primæ repudiatæ, etiamsi hæc cum alio matrimonium contraxerit, nisi illa fornicata fuisset, *n. 46. & 2. seqq.* Post legem Evangelicam nec Judæis, nec aliis infidelibus permissum est repudium legitimæ uxoris, quia Christus illud reprobavit, & matrimonium ad statum legis naturalis reduxit, in qua matrimonium erat indissolubile, *n. 49.*

§. VIII. *An Ecclesia dispensare possit, ut infideles conversi ad fidem contrahere possint matrimonium cum relicta uxore fratris sui defuncti?*

Non potest frater ducere uxorem relictam fratris sui defuncti, licèt dispensetur cum noviter conversis, ut remaneant in matrimonio, quod in infidelitate contraxerunt, more Mosaico, ut suscitent semen fratris sui: licèt deinceps tales, post fidem Christianam susceptam, matrimonialiter copulari non debeant, *c. ult. h. t. num. 50. & 51.* Infidelis, qui cum uxore contraxit, & consummavit matrimonium, tempore infidelitatis, non potest post Baptismum, contrahere cum consanguinea illius usque ad quartum gradum, *cit. c. ult. h. t. n. 52.* Quis sit verus sensus hujus *c. ult. n. 53.* Id, quod suprà dictum est, extenditur, ut etiam locum habeat, si tempore infidelitatis initum sit matrimonium, etsi non consummatum, *n. 54.*

§. IX. *Quæ sit pœna mulieris infidantis vitæ mariti sui, si inde homicidium sit secutum?*

Homicidium necessarium, v. g. ad defensionem suæ vitæ factum, non privat spe conjugii futuri, sed machinatio mulieris in mortem viri sui privat, ut si mulier missit aliquos, ut suum maritum interficerent, & maritus invasus aliquem occidit, maritus non privatur spe conjugii, quin post mortem uxoris sum possit aliam ducere: mulier verò privatur, ut post mortem viri sui, non possit alii nubere, *c. 1. h. t. n. 55.* Idque declaratur *n. 56. & 57.*

§. X. *An propter alias præterea causas, divortium inter conjuges possit institui?*

Assertio I. Generatim loquendo, ob grave periculum animæ, seu salutis spiritualis conjugis, licitum est se ab eo per divortium separare, quamdiu tale periculum durat, ut si unus conjux nitatur alterum ad gravia peccata pertrahere, *n. 58.* Secluso periculo inductionis ad peccatum, ob nullum aliud crimen quamvis grave, præter fornicationem carnalem, & spiritualem, licitum est inter conjuges divortium instituere, *n. 59.* Ass. 2. Ob grave etiam periculum vitæ, & salutis corporalis imminens alteri conjugi ex cohabitatione, licitum est conjugi metum passo divertere, donec periculum cesset, & sufficiens cautio ipsi præstetur de malo deinceps non inferendo, *n. 60.* In specie autem justa causa divortii est 1. Si vir sit leno, eámque incitet ad adulterium, vel sodomiam, vel ad furta. 2. Sævities mariti, ob quam justè metuit uxor mortem, vel mutilationem: vel si is gravia verbera uxori infligat. 3. Graves, & frequentes discordiæ inter maritum, & uxorem. 4. Si alter conjux sit omnino furiosus, ita ut sine vitæ, aut alio gravi periculo, cum ipso habitari non possit. 5. Lepra, vel alius gravis morbus contagiosus, *n. 61.* Qualis cautio præstanda sit ob sævitiam viti? *n. 62.* & an propriâ auctoritate divortium inter eos fieri possit? *n. eod.* Apud quem conjugem, facto divortio, patrem, vel matrem, liberi educari, & ali debeant? *n. 63.*

SERIES CAPITVLORVM.

In Antiquis.

c. 1. n. 55. & 2. seqq.
c. 2. n. 27. & seq.
c. 3. n. 23. & 3. seqq.
c. 4. n. 3. & 2. seqq.
c. 5. n. 6. & seq.
c. 6. n. 29. & 3. seqq.
c. 7. n. 33. & 4. seqq.
c. 8. n. 38 & aliquot seqq.
c. 9. & ult. n. 50. & 4. seqq.

TITVLVS XX.

DE DONATIONIBUS INTER VIRUM, & uxorem, & de dote post divortium restituenda.

§. I. *An, & qualis donatio inter conjuges sit invalida, & in quibus casibus sit valida, & licita, vel prohibita?*

Duplex est donatio inter conjuges, quædam simplex,

Digitized by Google

plex, quæ fit ex mera donantis liberalitate, quædam ob cauſam, qualis eſt donatio, ante ſive propter nuptias, quæ fit à marito uxori propter matrimonium in compenſationem dotis, *n.* 1. Donatio ſimplex, quæ fit ſolius liberalitatis cauſâ, inter virum, & uxorem, conſtante matrimonio invalida eſt, *n.* 2. Idque extenditur 1. quòd non valeat etiam inter ſponſum, & ſponſam de præſenti, ante matrimonium conſummatum. 2. eſt invalida, etiamſi donatio facta ſit ante contractum matrimonium, ſed ejus effectus differatur in tempus contracti matrimonii. 3. Non valet donatio inter conjuges, etiam per interpoſitam perſonam. 4. Valent tamen alij contractus inter conjuges, ut venditio, permutatio &c. 5. legatum inter virum & uxorem valet. *n.* 3. Donatio inter conjuges, durante matrimonio facta, ex qua alter locupletior, alter verò ſit pauperior non valet, niſi obitu donatoris confirmetur, & penitus evaneſcit, ſi à donatore expreſsè, vel tacitè revocetur, vel ſi is, qui donatum accepit, priùs decedat, *c.* 8. *& ult. in princ. h. t. n.* 4. Ergo à contrario ſenſu, ſi donator fiat locupletior, & accipiens pauperior, valet talis donatio. *n.* 5. Donatio facta inter conjuges, durante matrimonio, in tribus caſibus omnino revocatur, ita ut non confirmetur morte donantis. Primus caſus eſt, ſi donatio fuit per donatorem tacitè revocata, cenſetur autem tripliciter tacitè revocata: ſecundus caſus eſt, ſi expreſsè revocetur donatio inter conjuges: tertius caſus eſt, ſi priùs moriatur donatarius, *L Cum hic ſtatus.* 32. §. *Si divortium*, & §. *Si maritus*, & §. *Ait oratio ff. de donat. inter vir. & uxor. n.* 6. Addunt communiter DD. quartum caſum, in quo tacitè revocatur donatio inter conjuges; nam ſi res donata non fuit tradita donatario, morte donatoris non confirmatur donatio. *n.* 7. Sicut autem dos, ſoluto matrimonio, ad mulierem: ſic & donatio propter nuptias redit ad virum, niſi de conſuetudine aliud obtineat: vel ex pacto inter virum, & uxorem de lucranda dote, vel donatione propter nuptias, quod æquale tamen ſit ex utraque parte, hinc inde contractium ſit inductum, *c.* 8. *& ult.* §. *Sanè h. t. n.* 8. Et hinc de jure communi, ſoluto matrimonio, dos revertitur ad mulierem, vel ad eius hæredes, & donatio propter nuptias ad maritum, vel eius hæredes. *n.* 9. Quando ſoluto matrimonio, dos redit ad uxorem, & quando non, ſed vel ad extraneum, vel ad patrem, qui dedit dotem pro filia? *n.* 10. Poſt matrimonium contractum, debet eſſe æqualitas dotis, & donationis propter nuptias, non ſolùm in quantitate, ſed etiam in lucris ex pacto provenientibus, *cit. c. ult.* §. *Sanè h. t. n.* 11, ubi id declaratur. Hodie in multis locis per conſuetudinem ſublata eſt donatio propter nuptias, *cit. n.* 11. Plures ſunt caſus jure expreſſi, in quibus valida eſt donatio inter virum, & uxorem, qui enumerantur *n.* 12.

§. II. *Quænam præterea donationes inter conjuges valeant, vel non?*

Quær. 1. Utrùm donatio remuneratoria inter conjuges valeat? Reſp. eſſe validam. *n.* 13. Quær. 2. Utrùm donatio mortis cauſâ facta inter conjuges, ſit valida? Reſp. affirmativè, quamvis per huiuſmodi donationem non transferatur dominium rei donatæ, donec mors donantis ſequatur. *num.* 14. Quær. 3. Utrùm donatio facta inter conjuges non legitimos, ſed putativos tantùm, valeat? Reſp. 1. Si utrique conjugi conſtet matrimonium eſſe nullum, tunc rem donatam fiſcus ſibi vendicare poteſt. *n.* 15. 2. quando ſolus corrium donans ſcivit matrimonium eſſe nullum, & ignoranti conjugi aliquid legavit, valet legatum, illúdque uxor ſibi acquirit, *cit. n.* 15. Idem dicendum in acquiſitis à conjuge ignaro nullitatis matrimonii per donationem, vel alium contractum inter vivos, ut ſi conjux conſcius nullitatis matrimonii donavit aliquid ignoranti, donatio illa acquiritur conjugi bonâ fide ignoranti: ſecus eſt, ſi uterque conjux in mala fide ſit conſtitutus, tunc enim fiſco applicanda eſt donatio. *n. eod.* 3. quando conjux donatarius conſcius eſt nullitatis matrimonii, ſed donator in bona fide eſt conſtitutus, tunc donatio non valet, ſed res donata ipſi donanti, vel eo mortuo, hæredibus eius reſtitui debet. *n.* 16. 4. quando uterque conjux eſt ignarus nullitatis matrimonii, & bonâ fide putat, illud valere, tunc donatio inter eos facta eſt invalida. *n.* 17.

§. III. *Quibus modis donatio invalida inter conjuges confirmetur?*

Assertio 1. Tribus modis confirmatur. 1. per juramentum adjectum, ita ut donatio ab uno conjuge alteri facta, accedente juramento fiat irrevocabilis, & eo ipſo valida. *n.* 18. Aſſ. 2. Alter modus, quo confirmatur donatio alioquin irrita inter conjuges eſt per mortem naturalem donantis, *cit. c. ult. h. t. n.* 19. Ut talis donatio morte confirmetur, quatuor conditiones requiruntur expreſſæ *cit. n.* 19. Aſſ. 3. Donatio inter conjuges invalida confirmatur etiam morte civili donantis, ut ſi donans in exilium mittatur, & civitatem perdat. *n.* 20. An donatio invalida inter conjuges confirmetur per Profeſſionem Religioſam conjugis donantis? *cit. n.* 20.

§. IV. *Quænam præterea ſtatuta ſunt circa donationem propter nuptias in hoc Titulo?*

Donata à marito propter nuptias uxori, cum pacto, ut maneant penes uxorem, ſi contingat eos per divortium ſeparari, ſed poſtea reperiatur matrimonium eſſe nullum propter impedimentum dirimens conſanguinitatis, & donata à marito faciant difficiliorem ſeparationem, ac diſſolutionem talis matrimonii, tunc à viro donata ipſi ſunt reſtituenda, quia non ſunt dos, nec donatio propter nuptias, cùm matrimonium ſit nullum, *c. Etſi. 5. h. t. n.* 21. Idque declaratur *n.* 22. Cur Papa in hoc cap. ſub pœna excommunicationis præcepit, ut caſtra illa reſtituerentur Regi Legionenſi, qui illa dedit in dotem filiæ Regis Caſtellæ, *n.* 23. Si uſufructuarius concedat partem terræ uxori in dotem, mortuo marito, uxor non poteſt ampliùs illam habere, niſi conſentiat dominus terræ, quia non transfert in eam plus juris, quàm ipſe habebat: & ob hanc cauſam ſi terra fuit data in feudum, vel hæreditatem alicui hæredi, quem habebat ex legitima uxore, & ipſe concedit partem terræ in dotem uxori, & moritur ſine hærede, uxor non poteſt ampliùs habere partem terræ, ut habetur in Summa *c. Nuper h. t. 6.* idque declaratur *n.* 25.

§. V. *De reſtitutione dotis.*

Quær. 1. quando dos reſtitui debeat? Reſp, ſi matrimonium ex licita cauſa ſeparetur, dos eſt reſtituenda

Digitized by Google

ſtituenda uxori, *c. 1. h. t. n. 26.* Ubi tamen diſtinguendum eſt: nam vel culpâ mariti matrimonium judicio Eccleſiæ fuit ſeparatum, quoad torum, & cohabitationem; & tunc dos reſtituenda eſt uxori, juxta *c. 1. h. t.* Vel culpâ uxoris, propter adulterium ab ipſa commiſſum, & tunc dos ei reſtitui non debet: ſi verò neutrius conjugis culpâ divortium eſt factum, & ad tempus tantùm, non debet etiam uxori dos reſtitui: ſi verò perpetuum divortium ſit factum ex pacto inter conjuges inito, quilibet eorum debet alteri reſtituere, quod ab eo accepit, *cit. n. 26.* Si maritus non ſit verus, ſed putativus tantùm, debet dos integra reſtitui uxori à viro, *n. 27.* Si matrimonium diſſolutù ſit propter conſanguinitatem, vel aliud impedimentum Canonicum dirimens, quod ignorabatur ſubeſſe, tum etiam dos integra reſtitui debet uxori, cùm inter eos non conſtiterit verum matrimonium: quamvis aliàs verus maritus non condemnetur ad reſtituendam dotem uxori, niſi quatenus commodè facere poteſt, *cit. n. 27.* Si per errorem, & ignoranter matrimonium invalidum ob impedimentum dirimens ſit contractum, tunc non ſolùm reſtitui debet dos integra uxori, ſed etiam quicquid unus conjux ab altero habuit. Si verò ſcienter contraxerunt matrimonium invalidum, dos non reſtituitur uxori, ſed fiſco acquiritur, & reſtitui debet, quicquid unus ab altero habuit, niſi per errorem, vel minorem ætatem excuſentur, *cit. n. 27.* Non tantùm tota dos, ſed etiam fructus dotis reſtitui debent, illi ſcilicet, qui ante matrimonium obvenerunt, *cit. n. 27.* Quær. 2. An præter dotem, reſtitui debeant uxori etiam alia ejus bona? Reſp. diſſoluto matrimonio per divortium, ultra dotem, omnia bona, ſeu lucra, quæ conſtante matrimonio communiter acquiſita ſunt utrique conjugi, æqualiter inter eos ſunt dividenda, & ad hoc conjux id recuſans per cenſuram Eccleſiaſticam compelli debet, *c. 2 h. t. n. 28.* Inter conjuges non contrahitur propriè dicta ſocietas, ſed præcipitur diviſio bonorum inter eos fieri, *n. 29.* Poſt mortem mariti, dos tedit ad uxorem, illàque eam recuperat, niſi aliud obſtat, *n. 30.* Secundùm conſuetudinem, vel ſtatuta quorundam locorum, non ſolùm lucra, ſeu bona, conſtante matrimonio, inter veros conjuges acquiſita, ſed etiam inter putativos, qui bonâ fide contraxerunt, fiunt communia utrique conjugi, & ſoluto matrimonio æqualiter ſunt dividenda, *cit. num. 30.* Alioquin verò de jure communi ſola dos eſt uxori reſtituenda, *cit. n. 30.* Quær. 3. An Judex, qui cognovit de matrimonio, poſſit etiam, ac debeat de dote cognoſcere? Reſp. ſi Judex Eccleſiaſticus ferat ſententiam divortii, ob impedimentum dirimens, de matrimonio, debet etiam ferre ſententiam de dote reſtituenda, ſecundùm Jus Canonicum, quia qui cognoſcit de principali, debet etiam cognoſcere de acceſſorio, & incidenti, *c. 3. h. t. n. 31. & 32.* Cauſa dotis eſt adeo conjuncta matrimonio, ut ſine eo dos conſiſtere non poſſit, *n. 33.* Coram quo Judice, ſeculari, an Eccleſiaſtico agi poſſit cauſa dotis, ſi mulier, conſtante matrimonio, eam petat, quia fortè maritus diſſipat bona ſua, & vergit ad inopiam? *num. 34.*

§. VI. *De amiſſione dotis propter adulterium uxoris?*

Mulier propter adulterium commiſſum amittit dotem, eamque vir lucratur, *c. Plerumque. 4, h. t. n. 35. & 36.* Idque extenditur 1. quòd mulier propter adulterium, non tantùm amittat dotem, ſed etiam privetur donatione propter nuptias, quam à viro accepit, *n. 37.* Extenditur 2. aliqui, quòd uxor adulteta amittat etiam bona paraphernalia: ſed rectiùs per dotalitium hîc intelliguntur non bona paraphernalia uxoris, ſed quòd mulier adultera dotem perdat, vel ejus pretium, ſeu æſtimationem, ut quia dos data eſt in iis rebus, quæ numero, pondere, vel menſurâ conſtant, ita ut per dotem intelligi debeat res ipſa dotalis, per dotalitium ipſius pretium, ſive æſtimatio, *cit. n. 37.* Extenditur 3. quòd mulier propter adulterium perdat dotem, eâque viro acquiratur, non ſolùm ſi ſit vera uxor, ſed etiam etſi putativa tantùm propter impedimentum dirimens matrimonii, *cit. n. 37.* Quando vir poſt commiſſum ab uxore adulterium, ſciens tacuit, & conjugi cohabitavit, & reconciliatus fuit, tunc cenſetur actionem ad petendum divortium, & privationem dotis tacitè remiſiſſe. Et è converſo, ſi maritus commiſit adulterium, uxor quoque recuperat dotem, & lucratur donationem propter nuptias. Item ſi maritus conſenſit in adulterium uxoris, vel illam proſtituit, tunc non lucratur dotem, & ſi conventus ab uxore excipiat de adulterio, ipſa replicabit de lenocinio, *n. 38.* Si maritus, & uxor habeant liberos ex eodem, vel alio matrimonio, tunc maritus non lucratur dotem, nec uxor donationem propter nuptias, ſed hæc reſervantur liberis adulteræ, poſt mortem uxoris. Propter adulterium uxor amittit dotem, non ipſo jure, ſed per ſententiam Judicis. Denique uxor amittit dotem propter adulterium, ſi propriâ voluntate, & ex ſolo metu propter commiſſum adulterium ab ejus domo receſſit: ſecus, ſi vir eam ejecit è domo non propter adulterium, quia tunc dotem non amittit, & ſic corrigi, & legi debet, quod dicitur *Tit. 20. §. 6. n. 39. in fine.*

§. VII. *An vir, qui ad inopiam vergit, petenti dotem ea tradenda ſit ſub cautione?*

Si maritus petat dotem uxoris, & illa contra eum excipiat, quòd ſit pauper, & quòd non poſſit ſufficientem cautionem dare, tunc debet dare illam, quam poteſt, vel committere dotem alicui honeſto mercatori, ut ex parte lucri honeſti poſſit onera matrimonii ſuſtinere, ne occaſione dotis detentæ, ſi ſeparati maneant, adulterium committant, *c. Per veſtras. 7. h. t. n. 40.* idque declaratur *n. 41.* Si maritus vergat ad inopiam, etiam ſine culpa ſua, poteſt uxor petere dotem, idémque eſt, ſi maritus incipiat diſſipare bona ſua, iiſque malè uti. Item poteſt tunc uxor agere contra maritum ad donationem propter nuptias à marito ei factam, *n. 42.* Non debet dos tradi viro ad inopiam vergenti, niſi idoneam cautionem præſtet de dotis ſecuritate, per fidejuſſores, aut pignora, vel ſaltem talem, qualem poteſt, *cit. n. 42.* Si maritus ſufficientem cautionem præſtare non poſſit, tunc conceditur, ut dos apud mercatorem aliquem deponatur, à quo maritus tantum lucri honeſti accipiat, quantum ad ſuſtinenda onera matrimonii eſt neceſſarium, & quo pacto fieri debeat, ac licitè poſſit talis depoſitio dotis? *n. 43.* Eſt autem in arbitrio Judicis, ut vel maritus ſub cautione, quam præſtare poteſt, reddat dotem uxori eam reperenti, vel ut dos deponatur apud mercatorem? *cit. c. Per veſtras. h. t. n. vod. in fine.*

SERIES

Digitized by Google

SERIES CAPITVLORVM.

IN ANTIQVIS.

c. 1. n. 26. & seq.
c. 2. n. 28. & 2. seqq.
c. 3. n. 31. & seq.
c. 4. n. 35. & 4. seqq.
c. 5. n. 21. & 2. seqq.
c. 6. n. 24. & seq.
c. 7. n. 40. & 3. seqq.
c. 8. & ult. in princ. n. 4. & 3. seqq. §. Sanè. n. 8. & 3. seqq.

TITVLVS XXI.

DE SECUNDIS NUPTIIS.

Post primas nuptias, possunt eæ reiterari sine certo, ac definito numero, *n.* 1.

§. I. *An conjux dubius de morte alterius conjugis possit transire ad secundas nuptias?*

Nullus præsumat ad secundas nuptias transire, nisi priùs constet de morte uxoris, vel alterius conjugis. Quòd si quis adhuc dubius de morte illius aliam duxit, debet reddere debitum, sed non potest petere: & si deinde constet priorem conjugem adhuc vivere, debet, relictâ secundâ, ad priorem conjugem reverti, *c.* 2. *h. t. n.* 2. Captivus apud hostes potest contrahere matrimonium, etiamsi sit servus, *num.* 3. Ob solam absentiam conjugis, quantumvis diuturnam, non dissolvitur matrimonium, nisi constet de morte conjugis absentis, nec potest conjux ad aliud matrimonium transire, nisi habitâ certitudine de morte alterius conjugis, *cit. n.* 3. Cur si conjux dubius de morte prioris conjugis, de facto aliud matrimonium contraxit, non possit petere debitum, teneatur tamen reddere debitum ei, qui bonâ fide contraxit? *cit. n.* 3. Quòd si uterque malâ fide contraxit, dubitans de impedimento dirimente, neuter potest petere, nec reddere debitum, *cit. n.* 3. Etsi quis ab initio bonâ fide contraxit matrimonium, postquam tamen certior factus est de vita prioris conjugis, adulterium committit, nisi secundam uxorem statim dimittat. Quòd si compertum fuerit, mulierem duos viros habere simul, tunc ea primo viro restitui debet, & si ad eum redire recusaverit, excommunicanda est, donec redeat; idem est de viro, *n.* 4.

§. II. *An si mulier, post mortem viri, transeat ad secundas nuptias, intra annum luctûs, incurrat infamiam, vel alias pœnas juris?*

Etsi mulier, quæ nubit alteri, infra annum luctûs, secundùm leges Civiles incurrit infamiam, non tamen secundùm Apostolum, & Jus Canonicum, *c.* 4. & 5. *h. t.* cui hac in re standum est, *n.* 5. & 6. Quær. 1. Quæ sint pœnæ Jure Civili statutæ in fœminas viduas transeuntes ad alias nuptias intra annum luctûs? Resp. Plures sunt, quæ enumerantur *n.* 7. Quær. 2. An prædictæ pœnæ statutæ in fœminas secundò nubentes, intra annum luctûs, sint correctæ per Jus Canonicum? Resp. affirmativè, *n.* 8. Quær. 3. Quæ sint pœnæ Jure Civili decretæ in favorem filiorum prioris matrimonii, si vidua transeat ad secundas nuptias? Resp. Hæ enumerantur *n.* 9. Quær. 4. An pœnæ in favorem filiorum prioris matrimonii Jure Civili statutæ in viduas secundò nubentes, post annum luctûs, sint correctæ per Jus Canonicum? Resp. non esse correctas, quippe quæ in favorem filiorum sunt statutæ, adeoque servandas esse in utroque foro, *n.* 10.

§. III. *An secundæ nuptiæ sint benedicendæ, & quam pœnam incurrat Sacerdos benedicens?*

Benedictiones nuptiarum rectè ab Ecclesia adhibentur, & quænam circa illas statuerit Concil. Trid. *Sess.* 24. *c.* 1. *de ref. matr. n.* 11. Est præceptū recipiendi has benedictiones nuptiales, non tantùm consilium, *cit. n.* 11. Quær. nunc, an secundis nuptiis sit impertienda benedictio, & quam pœnam incurrat Sacerdos benedicens? Resp. secundæ nuptiæ non sunt benedicendæ, & Presbyter, qui benedicit secundas nuptias, debet suspendi ab officio, & beneficio, & Romam mitti pro absolutione, *c.* 1. & *c.* 3. *h. t. n.* 12. Si uterque, vel alter conjux in primis nuptiis benedictionem accepit, non debet in secundis benedictio impertiri: secus autem, si neuter conjux in primis nuptiis benedictionem accepit, *n.* 13. Verius est, quòd secundæ nuptiæ non sint benedicendæ, etiamsi unus tantùm conjugum fuerit benedictus in primis nuptiis, *c. Vir autem.* 3. *h. t. n.* 14. Quæ sit vera ratio, ob quam prohibetur benedictio conjugum in secundis nuptiis? *n.* 15. Pœna, quam incurrit Sacerdos impertiens benedictionem secundis nuptiis, est suspensio ab officio, & beneficio, non tamen ipso jure lata, sed à Judice ferenda, eáque vel ordinaria, vel potiùs arbitraria, arbitrio Superioris commissa pro loci consuetudine, & qualitate delicti, *n.* 16. An & quando spectatâ consuetudine, liceat benedicere secundas nuptias? *n.* 17. An ut consuetudo circa benedictionem secundarum nuptiarum valeat, requiratur, ut ea sit inducta sciente, vel approbante S. Pontifice? *n.* 18.

SERIES CAPITVLORVM.

IN ANTIQVIS.

c. 1. n. 11. 13. & 16.
c. 2. n. 2. & 2. seqq.
c. 3. n. 12. & 3. seqq.
c. 4. n. 5. & 3. seqq.
c. 5. & ult. n. 6. & seq.

Digitized by Google

INDEX ALPHABETICUS QUÆSTIONUM, QUÆ IN HOC QUARTO LIBRO DECRETALIUM CONTINENTUR.

Numerus prior indicat Titulum; posterior Tituli contextum.

A.

ACCVSARE matrimonium quinam possint? 18. 1. Quinam prohibeantur? 18. 4. & 2. *seqq.*

Accusari an possit matrimonium, & sponsalia, quæ nondum sunt? 2. 28. & *seq.*

Accusatio, vel testimonium in causa matrimoniali an fieri possit per litteras, seu scripturam, absente accusatore, vel testibus? 18. 11. & *seq.*

Accusator, & testis an idem esse possit in causa matrimoniali, cùm quæritur de consanguinitate conjugum? 18. 5. Quomodo in causa matrimonii differant? 18.8.

Adoptio quid sit? 12. 1. Quotuplex? 12. 2. Inter adoptantem, vel adoptatum, & hujus descendentes quomodo contrahi possit matrimonium, vel non possit? 12. 9.

Adulteram an vir repudiare possit, si & ipse sit adulter? 1. 61.

Adulterium an dirimat matrimonium subsequens? 7. 1. & 3. Num per se solum sufficiat ad dirimendum subsequens matrimonium? *tit.* 7. 8. 3. 4. 6. 13. & 2. *seqq.*

Adulterium uxoris esse notorium quomodo probari possit? 19. 4. Num propter illud vir possit auctoritate propriâ expellere uxorem, sine judicio Ecclesiæ? 19. 4.

Adulterum an committat, qui à principio bonâ fide matrimonium contrahens, postea tamen certior factus de vita prioris conjugis, secundam uxorem non statim dimittit? 21. 4. Num concumbens cum alieno sponso, vel sponsa? 1. 5.

Adulteris conscius conjux alterius conjugis num in conscientia obligetur se ab illo separare? 19. 20. & 22.

Adulteris notorii exceptio, num obstet conjugi petenti restitutionem, & quid si uterque conjux adulterium commisit? 19. 4.

Adulteris pœnam num incurrat uxor propter sævitiam viri, vel paupertatem? 19. 7.

Affinitas quid sit? 14. 21. Quid ad illam contrahendam requiratur? 14. 22. Inter quas personas contrahatur? *tit.* 14. 8. 24. 25. & 28. Num contrahatur ex copula sodomitica habita in vase præpostero? Num ex quacunque pollutione? Num ex copula habita cum dormiente, ignorante, coacta, ebria, insana? Num ex matrimonio rato, & non consummato? 14. 23. Quo jure dirimat matrimonium? 14. 32. & 34. Spectato jure naturæ, an oriatur ex fornicaria copula? 14. 33.

Affinitas orta ex copula licita, & illicita fornicatione cum consanguineis alterius conjugis ad quem gradum extendatur, attento Jure antiquo Canonico, & novo Concilii Trident. 14. 31. & 32. Quid nomine fornicationis prædictum Concilium intelligerit? 14. 22. Num impediat matrimonium jure naturæ, vel Divino in omnibus gradibus in Levitico c. 18. interdictis, & an Pontifex in nullo eorum dispensare possit? 14. 18.

Affinitas dirimens matrimonium contractum num probetur per confessionem utriusque conjugis. 13. 5. & 3. *seqq.*

Affinitas superveniens num dissolvat matrimonium, vel sponsalia de futuro? 13. 8. & 5. *seqq.* Num saltem impediat petitionem debiti? 13. 14.

Affinitatis genera quot olim erant, & num hodie sublata? *tit.* 14. 8. 14. 27. & 28.

Affinitatis gradus quo modo numerentur? 14. 24.

Alimenta præstare num parentes teneantur liberis? 1. 176. & *seq.*

Amentes an contrahere possint sponsalia, vel matrimonium? 1. 10.

Arrha an repeti possint post nuptias, & à quo? 1. 25. Cur adijci possint sponsalibus, non autem pœna? 1. 25.

B.

Benedictiones nuptiales, & similes cæremoniæ num adhibendæ in contractu matrimonii? Num sint de essentia illius? Num si omissæ sint, censeatur concubitus illicitus? Num si in nuptiali fœdere non interveniant, peccatum committatur? 1. 89. ubinam fieri debeant? 1. 115. Num convenienter ab Ecclesia adhibeantur? Et quid circa has statuerit Concilium Trident. 22. 15. Num has recipiendi sit præceptum? 22. 22.

C.

CAPTIVVS apud hostes an possit contrahere matrimonium? 2. 3.

Causa contractui matrimonii apposita quid sit? 1. 1. Num suspendat, vel vitiet matrimonium? 3. 29.

Causæ matrimoniales quotuplices sint? *tit.* 18. 8. 18. Num per quoslibet Judices tractandæ, vel Ecclesiasticos tantùm, & quales? 14. 30.

Certitudo qualis sit necessaria de morte prioris conjugis, ut possit superstes conjux ad alias nuptias transire? 1. 3 1. Num requiratur moralis? 1. 132. Num si talis adsit, ab Ordinario sit petenda licentia ineundi aliud matrimonium? 1. 136. Quid si leves tantùm adsint conjecturæ? 1. 133. Num sufficiat verisimilis præsumptio? 1. 133.

Clericus in Sacris constitutus, si ducat uxorem, an fiat irregularis? 6. 2.

Cogens ad matrimonium contrahendum an resilire possit à matrimonio gravi metu contracto, invito eo, qui metum passus est, & antequam hic consensum pristinum ratificet? 1. 125.

Cognatio legalis quid sit, & quotuplex? 12. 3. Ex qua adoptione oriatur? 12. 4.

Cognationis legalis an omnes tres species impediant, ac dirimant matrimonium, & inter quas personas, & cur? 12. 5. & 3. *seqq.*

Cognatio spiritualis quid sit? 11. 1. Ex quo jure ortum habeat, & ex quibus Sacramentis oriatur? 11. 2. & 20. Quotuplex sit? 11. 3. Inter quas personas contrahatur, attento jure antiquo Decretalium? 11. 2. 13. & 15. *usque ad* 23. Quid jure novo Concilii Trident. 11 31. & *seq.* Parentum nomine quinam hîc intelligantur? 11. 32. Num oriatur inter parentes in necessitate proprios filios baptizantes, aut suscipientes in Baptismo, vel Confirmatione? 11. 7. Num inter patrem tenentem proprium filium illegitimum, & inter concubinam? 11. 8. Num contrahatur à suscipiente prolem in necessitate impediens matrimonium, vel ejus usum? 11. 18. Num si Christianus in extrema necessitate baptizet aliquem, dirimat matrimonium subsequens cum baptizato, ejúsque parentibus? 11. 19. Num per Catechismum præcedentem Baptismum, contrahatur impediens, ac dirimens matrimonium? 11. 22. & *seq.* Num impediat exactionem, & redditionem debiti conjugalis? 11. 24. An hoc impedimentum sit sublatum per Concil. Trid. 11. 25. Ad contrahendam cognationem spiritualem quænam requirantur conditiones? 11. 35. & 2. *seqq.* Ut contrahatur inter baptizatum, & uxorem suscipientis, quid requiratur? 11. 21.

Cognationis spiritualis contrahendæ an capax sit hæreticus? 11. 40.

Cohabitare an teneantur conjuges? 1. 173.

Cohabitare cum leproso conjuge an assidue teneatur alter conjux? 8. 10.

Conditio contractui matrimonii adjecta quid sit? 5. 1. Quotuplex? 5. 2. Num illum vitiet, vel suspendat? 5. 2. 3. & 4.

Quid

Quid ſi ſit de futuro neceſſaria? §. 21. Quid ſi repugnans ſubſtantiæ, & bonis matrimonii, aut impoſſibilis, vel turpis? §. 22. & 2. *ſeqq.* Quid ſi conditio turpis, vel impoſſibilis non adverteretur matrimonii ſubſtantiæ? §. 26. Quænam requirantur, ut conditio impoſſibilis reijciatur in contractu matrimonii? §. 27. Quid ſi matrimonium ſit contractum ſub conditione ſuſpenſiva, vel reſolutiva? §. 28. Quid ſi ſub conditione non ſuſpenſiva? §. 32.

Conditio ſi te virginem invenero, vel *ſi mecum concubuerit*, num ſit valida, vel tanquam turpis reijcienda à matrimonio? §. 22.

Conditus, num adijci poſſit non tantùm conſenſui matrimonii, ſed etiam ipſi matrimonio? §. 10.

Confeſſarius in foro conſcientiæ num poſſit permiuere, ut conjux habens verisimilem præſumptionem, alterum conjugem eſſe mortuum, tranſeat ad ſecundas nuptias? L. 135.

Confeſſio Sacramentalis an fieri poſſit per literas Confeſſario abſenti? L. 18. 33.

Confeſſioni alterius conjugum an ſtetur, quando agitur ad ſeparationem tori, vel vinculi matrimonialis? L. 19. 7.

Connixe ad fidem converſus num ſimul cum infideli habitare permittatur? L. 19. 42. Dubius de morte alterius conjugis num poſſit tranſire ad ſecundas nuptias? L. 11. n. 2. & *ſeq.* Quid ſi de facto matrimonium contraxit, num debitum petere, vel reddere valeat? L. 3. Num teneatur redire ad priorem conjugem, ſi poſt contractum ſecundum matrimonium cognoſcat priorem conjugem adhuc vivere? L. 136. An ad hoc ut conjux ſeparatus judicio Eccleſiæ à conjuge hæretico non teneatur ad hunc redire, requiratur, ut uxor Catholica ingreſſa fuerit Religionem, & in ea profeſſa? L. 19. 35.

Coniuges proprium filium de facto fonte ſuſcipientes num ſeparandi ſint? L. 4.

Conſanguinei quotuplices ſint? L. 4. 2.

Conſanguinei conjugis, cum quibus alter conjux inceſtum commiſit, num prohibeantur poſt mortem alterius conjugis inire aliud matrimonium, & quid ad hoc requiratur? L. 3. 2.

Conſanguinitas quid ſit? L. 4. An, & quo jure dirimat matrimonium? L. 8. & 4. *ſeqq.* An DEVS in primo gradu lineæ rectæ diſpenſare poſſit? L. 4. 2. Quo gradu jure antiquo Eccleſiaſtico diremerit matrimonium, & quo gradu nunc dirimat? L. 13. & 4. *ſeqq.* Cur Eccleſia reſtrinxerit prohibitionem graduum conſanguinitatis, & affinitatis? L. 16. Num in gradibus in Levitico c. 18. interdictis matrimonium impediat jure naturæ, vel Divino, & an Pontifex in nullo eorum diſpenſare queat? L. 18.

Conſanguinitatis linea quid ſit, & quotuplex? L. 3.

Conſanguinitatis gradus quid ſit? L. 3. Ad computandos gradus quot, & quæ regulæ aſſignentur? L. 4. & 2. *ſeqq.* Quænam computatio graduum procedat ſecundùm Jus Canonicum, quænam ſecundùm Jus Civile, & ſervanda ſit? L. 7.

Conſenſus in carnalem copulam an ſit de eſſentia matrimonii? L. 69. Num liber ab omni vi, & coactione? L. 109. Solus internus num ſufficiat ad contrahenda ſponſalia, vel matrimonium? L. 13. Num neceſſarió exterius exprimendus, & ab utroque conjuge ſimul præſtandus? L. 31. Si deſit, num aliqua ſponſalium, aut matrimonii oriatur obligatio? L. 85. Quando conſenſus alterius conjugis fuit fictus, vel gravi metu extortus num ſufficiat, ſi hic ſolùm poſtea conſenſum in matrimonium renovet? L. 21. Implicitus & interpretativus conſenſus in ipſa ſuſceptione Baptiſmi incluſus an ſufficiat ad matrimonium de novo contrahendum? L. 71. Num conſenſus parentum ſit neceſſarius ad valorem matrimonii? L. 90.

Conſuetudo an poſſit inducere, ut contrahatur matrimonium inter gradus prohibitos? L. 16. Num abrogare impedimenta matrimonii, & nova conſtituere? L. 152. Etiam non approbata à S. Pontifice? L. 10. & *ſeq.* Num legitimè præſcripta valeat, ut proles ſequatur quoad libertatem, & ſervitutem non matris, ſed patris conditionem? L. 14. & *ſeq.* Si præjudicet matrimonio num poſſit eſſe legitimè præſcripta? L. 82. Num ut valeat circa benedictionem ſecundarum nuptiarum, requiratur; ut ſit inducta ſciente, vel approbante S. Pontifice? L. 18. Num ſola faciat licita conjugia inter Catholicos, & hæreticos? L. 166. Num poſſit valere & diſponere circa accidentalia, ſeu acceſſoria matrimonii, in loco, in quo contrahitur matrimonium? L. 89.

Contractus an ſit initus ſub modo, ſeu conditione proprie dicta, an verò ſolùm ſub modo, ſeu conditione non ſuſpenſiva, unde cognoſci poſſit? §. 32. Ex gravi metu initus an ipſo jure ſit irritus? L. 99.

Copula carnalis ſubſecuta cum poſteriore ſponſa an diſſolvat priora ſponſalia? L. 57. Num ratificet matrimonium gravi metu contractum? L. 123. & *ſeq.*

Cultus diſparitas an & quâ ratione dirimat matrimonium? L. 164.

D.

DEBITVM conjugale reddere, vel petere, an licitum ſit? L. 178. Num ſub præcepto? L. 179. Quomodo reddatur illicitum ratione dubii de valore matrimonii? L. 180. & 2. *ſeqq.*

Demonſtratio contractui matrimonii apponi ſolita quid ſit? §. 1. Utrùm aliqua demonſtratio ſuſpendat, vel vitiet matrimonium? §. 24.

Denunciationes quid ſint? §. 26. Num præcedere debeant matrimonium? §. 25. Num ſint de eſſentia matrimonii, vel ſaltem de præcepto? §. 27. Ubi, quomodo, & quando fieri debeant? §. 28. Quis valeat diſpenſare, ut illæ omittantur, & ob quas cauſas? §. 29. Quid ſi ſint prætermiſſæ ante nuptias, an poſt has ante conſummationem matrimonii ſint faciendæ? §. 30.

Denunciare impedimentum an debeat, qui id ſcit, & quando non? §. 31. An teneatur ſciens matrimonium eſſe contractum à filiis duorum compatrum, per quorum alterum deventum eſt ad compaternitatem? L. 12.

Deſponſatio quid ſit? §. 1.

Diſſentus inter Græcos, & Latinos in SS. Ordinibus conſtitutos quoad ineundum matrimonium quænam ſit? L. 12.

Diſpenſatio à Papa obtenta ſuper matrimonio inter conſanguineos in gradu prohibito contracto num valeat, ſi in ea cauſa falſa ſit expreſſa? L. 16. & §. *ſeqq.* Diſpenſandi cauſæ in matrimonio contracto in gradu prohibito quot ſint? L. 19. Quando ſit invalida, & ſubreptitia ob taciram veritatem, vel falſitatem expreſſam? L. 172. In dia ſpenſatione aliquibus conceſſa an attendendus, vel exprimendus ſit gradus remorior, vel propinquior? L. 51. *uſque ad* 56.

Diſpenſare an poſſit Papa in matrimonio rato? L. 142. & 2. *ſeqq.* Num ut licitè poſſit, vel etiam validè, requiratur juſta cauſa? L. 145. Num diſpenſare valeat in matrimonio ſive rato, ſive etiam conſummato infidelium non baptizatorum? Num etiam in matrimonio infidelium conſummato, cùm ambo baptizantur? L. 146. Num in impedimentis matrimonii? L. 168. & *ſeq.* Quæ cauſa requiratur? L. 169. An etiam poſſit Epiſcopus? L. 170. Quæ ſint cauſæ juſtæ diſpenſandi in impedimentis matrimonii dirimentibus? L. 171. Diſpenſare in gradibus conſanguinitatis, vel affinitatis quouſque poſſit S. Pontifex? L. 42. & 2. *ſeqq.*

Divortium quotupliciter fiat? L. 2. Illud inſtituere an & quâ ratione licitum ſit conjugi ob adulterium alterius? L. 2. n. 2. & *ſeq.* Quibus caſibus non liceat inſtituere propter conjugis adulterium? L. 8. *uſque ad* n. 17. Num ob gravem periculum animæ, vel corporis, & num propriâ auctoritate, ac quamdiu? L. 18. & 4. *ſeqq.* Num alter conjux poſſit divortium inſtituere, ſi poſt unius adulterium ſint reconciliati, & poſtea alteruter la adulterium relabatur? L. 17. Num ſi alter labatur in hæreſim, vel apoſtaſiam à fide, & propter eam ſeparati quoad torum & cohabitationem, ao poſſint aliud inire matrimonium? L. 27. & 32. Quid ſi poſt utriſque conjugis fornicationem, reconciliatio mutuo conſenſu non fit facta, ſed unus quidem emendatus ſit, alter verò in fornicatione perſiſtat? L. 18. Quid ſi poſt ſententiam divortii latam ob adulterium alterius conjugis, innocens quoque in adulterium labatur? *iii.* L. 19. n. 19. Num ſi unus ex conjugibus incidat in fornicationem ſpiritualem, alter propria auctoritate ab eo ſe ſeparare poſſit, & compelli per Eccleſiam redire ad conjugem perſeverantem in infidelitate, vel hæreſi? L. 19. 30.

Quid si iterum convertus sit ad fidem? 19. 29. & 2. seqq. Num institui possit divortium propter qualecunque delictum? 19. 28.

Divortii jus ob quas causas conjugi innocenti competat, vel non? 19. 5.

Divortio facto, num conjux innocens possit, ac debeat revocare, & recipere alterum conjugem? 19. 21. & seq.

Divortio facto, penes quem liberi educari, & ali debeant? 19. 63.

Dolus num matrimonium reddat invalidum? 1. 96.

Donatio inter conjuges quotuplex? 20. 1. An & qualis inter conjuges sit invalida, & in quibus casibus sit valida, & licita, vel prohibita? 20. 2. usque ad 8. 18. Invalida donatio inter conjuges quibus modis confirmetur? 20. 18. & 2. seqq. Donatio propter nuptias soluto matrimonio, an reddeat ad maritum, vel ejus hæredes? 20. 8. & seq.

Donatio Ecclesiæ facta sub modo, num postea à donatore revocari possit? 3. 34. & seq.

Donata à marito propter nuptias uxori quo casu ei sint restituenda? 20. 21. & 2. seqq.

Dos quando, & cui restitui debeat? 20. 26. & seq. Num non tantùm dos, sed etiam fructus dotis restitui debeat? 20. 27. An præter dotem restitui debeant uxori etiam alia ejus bona, & ad hoc conjux id recusans per censuram Ecclesiasticam compelli possit, & num debeant restitui ratione taciteæ societatis? 20. 28. & 2. seqq. Quid si soluta non fuerit dos promissa, num possit uxor à marito expelli, & separari à conjugali consortio, & negari ei alimenta? 20. 41. & seq. Num propriâ actione peti possit? 20. 34.

Dos cuia sit ita coniuncta sit matrimonio, ut sine eo dos consistere non possit? 20. 33.

Dotis, & donationis propter nuptias num post matrimonium contractum debeat esse æqualitas, non solùm in quantitate, sed etiam in lucris ex pacto provenientibus? 20. 1.

Dotem num amittat mulier propter adulterium, & vir eam lucretur? 20. 35. & 4. seqq. Num alia bona? Et quid si sit uxor solùm putativa? 20. 37. Quid si maritus commisit adulterium? 20. 38. Quid si maritus, & uxor habeant liberos ex eodem, vel alio matrimonio? 20. 39. Num ipso jure uxor amittat dotem? 20. 39.

Dotem petenti viro num ea tradenda sit ipsi sub cautione? 20. 2. 40. 42. & 43. Quid si vir sufficientem cautionem præstare non possit? 20. 43.

E.

EBRIUS an sponsalia, & matrimonium contrahere possit? 1. 10.

Ecclesia in dubio num præsumat pro valore matrimonii? 1. 100. Num potiùs libertatem defendere, quam impugnare debeat? 10. 1. Num potuerit irritare matrimonia clandestina? 1. 4. & seq. Quas ob causas de facto irritaverit? 1. 4. 3. Num judicet de clandestinis matrimoniis? 3. 33. & seq.

Edictum matrimonii contrahendi est prohibitorium. 1. 11.

Episcopus num possit Parochum, qui assistit matrimonio clandestino, absolvere à suspensione? 3. 44. Num possit concedere, ut Subdiaconus, qui de facto contraxit matrimonium, ad altiores Ordines promoveatur? 6. 3. Num dispensare cum Clerico in Sacris constituto contrahente matrimonium? 6. 5. Num dispensare, si quis post matrimonium ratum, in Sacris constitutus Religionem ingrediatur, & in ea profiteatur, ut in Ordine suscepto ministrare, vel etiam ad altiores ascendere possit? 6. 10. & seq. Num in voto castitatis perpetuæ valeat dispensare? 6. 32. Num eum incestuoso, ut aliud inire possit matrimonium? 13. 23. & seq.

Error circa substantiam personæ, quo jure irritum reddat matrimonium: & quidsi sit error antecedens, vel concomitans? 1. 160. Num etiam irritet Sacramentum in reliquis Sactamentis, vel eur non? 1. 161. Num etiam error circa qualitatem personæ irritet matrimonium? 1. 162. & seq. Error servilis conditionis an invalidet matrimonium? 9. 4. & 2. seqq. Quo jure? 9. 7. & seq. Num etiam inter infideles? 9. 8. 9.

Excommunicatio num ineurratur à viro sine justa causa uxorem dimittente? 19. 4.

F.

FAMA impedimenti num impediat matrimonium contrahi, si de ea constet Judici, & num contra illius probationem de impedimento matrimonii admitti possit contraria probatio? 1. 156. Num sola sufficiat, ut superstes conjux aliud contraheré valeat matrimonium? 1. 134. Num sola plenam faciat probationem ad impediendum matrimonium, & dissolvenda sponsalia priùs inita, etiam jurata? 24. 36. Sola num sufficiat ad probandam filiationem sine aliis adminiculis? 17. 50.

Fidem sponsalium violans an damnum sponsæ illatum compensare teneatur? 1. 59.

Filius ignorantibus parentibus num validè inire possit matrimonium, vel etiam illis invitis? 1. 90. Num etiam licitè? 1. 92. Matrimonium contrahere volens num priùs à parentibus consilium petere teneatur? 1. 91. Num peccet non petendo? 1. 93. Num liberè disponere valeat de bonis castrensibus, invito etiam patre? 1. 94. Num in spiritualibus liber sit à patria potestate? 1. 94. Num possit agere intetdicto contra patrem invitam uxorem detinentem ad eam exhibendam? 1. 94. Num pubes factus teneatur patris sponsionem approbare, si pro illo impubere adhuc matrimonium inijt? 2. 19.

Filii quinam dicantur? 17. 1. Quinam filii sint legitimi, vel illegitimi? 17. 2. & seq. Num per matrimonium eximantur à patria potestate? 1. 94. Concepti à patentibus ante sententiam divortii, qui publicè bona fide talem alterius conjugis contraxerunt, num sint legitimi? 17. 4. & 5. Quidnam præmissis denunciationibus? 17. 6. An nati post litem contestatam super matrimonio publicè contracto? 17. 7. Quid si mulier per judicium Ecclesiæ sit separata à primo viro. & vivente illo, contrahat aliud matrimonium de licentia Ecclesiæ, num talis proles susceptia ex secundo viro sit legitima, & capax hæreditatis? 17. 8. & 2. seqq. Num geniti ex clandestino matrimonio, sed postea ab Ecclesia approbato? 17. 1. Num nati ante detectum impedimentum? 17. 12. Quidsi conjugatus, vivente primâ uxore, in facie Ecclesiæ aliam ducat ignarum illum esse conjugatum, filius inde natus censeatur legitimus? 17. 13. & seq. Num nati ex libera, vel liberta sint liberi? 10. 1. Quo tempore debeat esse mater libera, ut filius libertate gaudeat? 10. 2. Nati ex matrimonio contra publicæ honestatis justitiam contracto, num sint illegitimi, & à paterna hæreditate excludeudi? 17. 18. & seq. Num geniti ex matrimonio, quod mulier, vivente marito, cum altero contraxit? 17. 20. Suscepti ante sententiam divortii num ad sacros Ordines, & dignitates Ecclesiasticas promoveri possint? 17. 6.

Filii illegitimi, quo casu dicantur fieri legitimi? 17. 48. Num omnia jura legitimorum assequantur? 17. 15.

Filii legitimis, & illegitimis num competat hæreditas paterna, & jus petendi alimenta? 17. 7.

Fiscus num sibi vendicare possit rem donatam, si utrique conjugi constet, matrimonium esse nullum? 20. 11.

Furiosi V. *Amentes*. A furiosis actus gestus quo tempore præsumatur gestus? 1. 10.

H.

HOMICIDIUM prioris conjugis an, & quando dirimat matrimonium subsequens? 7. a n. 16. usque ad 28.

I.

IGNORANTIA juris, vel facti an excuset? 15. 28.

Impedimentum publicæ honestatis quid sit? 1. 30. Num otiatur ex conatu ad copulam carnalem? 1. 30. Num ex sponsalibus à pubere contractis cum puella minore septenio? 1. 31. & seq. Num ex invalidis? 1. 33. Num ex sponsalibus puris, & certis, etsi nullis? Num ex incertis, & conditionalibus? 1. 35. & 2. seqq. Num ex quibusvis? 1. 35. & 36. An hoc impedimentum sit perpetuum? 1. 36. Ad quotum usque gradum extendatur, attento Jure antiquo Decretalium, & novo Concilii Trident. 1. 54. & 59. Num contrahatur solùm cum consanguineis saltetius spemi, vel etiam cum illius affinibus: 1. 36. Num otiatur ex sponsalibus cum puella majore, vel minore septenio initis? 3. 4. Num ex matrimonio rato, & non consummato etiam post

post Concil. Trident. oriatur dirimens matrimonium, & ad quem gradum extendatur? 14. 67. & *seq.* Num ex clandestino? 14. 61. Num per posteriora sponsalia contracta cum consanguinea prioris sponsi, vel sponsæ oriatur impedimentum publicæ honestatis dirimens priora sponsalia? 1. 37.

Impedimentum matrimonii num probari possit per proprium juramentum? 18. 8.

Impedimenta matrimonii quotuplicia? 1. 147. Illa statuere quis possit, & quæ requiratur causa? 1. 148. Circa quos? 1. 149. Num etiam Episcopus? 1. 149. Num quilibet Princeps supremus, seu Magistratus secularis, & ex qua causa? 1. 150. & *seq.* Num solus Pontifex? 1. 148. *usque ad n.* 151. Impedimenta tantum impedientia matrimonium quænam numerentur? 16. 10. & *seq.* Num pleraque jam sublata? 16. 12.

Impotentia quotupliciter sumatur? 15. 1. & *seq.* Impotentia coeundi antecedens quæ, & qualis impediat, vel dirimat matrimonium? 15. 1. & *seq.* & *a num.* 7. *usque ad* 15. 21. Num si superveniat matrimonio, illud dissolvat? 15. 21. Num si constet impotentiam supervenientem esse perpetuam, illicita sit conjugibus copula conjugalis, vel tactus, aut si solùm dubitetur? 15. 22. Quid si præter divinum miraculum, potuit removeri? 15. 23. Quid si mulier propter impotentiam à viro separata, professa est Religionem, & ille aliam ducat in matrimonium, num illud teneat? 15. 23. Propter impotentiam provenientem ex maleficio num matrimonii separati possit, vel restaurari, si vir postea aliam ducat in uxorem, eámque cognoscat? Et cur separetur matrimonium propter frigiditatem viri, vel mulieris arctitudinem, & si postea appareat esse potens ad copulam, restauretur primum matrimonium, & non etiam si separetur matrimonium propter maleficium, & vir contraxit cum alia, eámque cognovit, cogatur redire ad priman? 15. 27. Quid si Ecclesia fuit deceptа in separatione matrimonii? 15. 29. Si mulier dicat virum esse impotentem, vir autem id negat, num inter eos sententia divortii sit proferenda? 15. 30. & 3. *seqq.*

Impotentia probatio quomodo fieri debeat, ut separetur matrimonium? 15. *n.* 13. & *seq.* Num soli confessioni mariti, & uxoris assertentium impotentiam credatur? 15. *n.* 14. An requiratur triennij experientia? An septimæ manûs propinquorum, vel vicinorum juramentum? 15. *n.* 15. & 17. A quo tempore computetur triennij experientia? 15. 16. An requiratur ipsorum conjugum juramentum, & de quo jurare debeant? 15. 17. An cohabitare possint, ut frater, & soror, si de impotentia constet? 15. *n.* 15. Quid si qui reputatus est frigidus, aliud ineat matrimonium, num conjuges Rei sint perjurii, & ad prius matrimonium redeundum cogendi? 15. *n.* 15. 18. & 19. Si puer XIV. anno, vel femina XII. adhuc sint impotentes ad copulam, an expectandum sit usque ad plenam pubertatem? 15. 20.

Impubes puella, si desponsata sit, & traducta in domum viri, & pubes facta petat licentiam nubendi alteri, num audienda, si vir juret, se eam carnaliter cognovisse? 2. 22. & *seq.*

Impuberes septennio majores, an sponsalia contrahere possint? Num si contraxerunt sponsalia, neutri liceat ante pubertatem resilire? 2. 5. & 2. *seqq.* Num post pubertatem? 2. 7.

Impuborum sponsalia num confirmentur juramento, ut neutri liceat pubertatem adepto resilire? 2. 8. Quid si sint præsumpta? 2. 9. & *seq.*

Incestus commissus cum consanguinea uxoris suæ num impediat matrimonium contrahendum, & dirimat contractum? 13. 2. Num incestus commissus cum cognata legali, vel spirituali? 13. 20. Num cum propriis consanguineis? 13. 7. Incestus commissus primum cum consanguineis conjugis defuncti num impediat matrimonium contrahendum? 13. 4. & *seq.* Quid si femina à consanguineo per vim sit cognita? 13. 6.

Infidelis, qui prius plures uxores habebat, post fidem susceptam cui adhærebit? 17. *n.* 38. 43. & 44. Quid si repudiatâ uxore suâ, conversus ad fidem eum secunda contraxerit, & consummavit matrimonium tempore infidelitatis, num possit post baptismum validè contrahere matrimonium cum consanguinea illius, & ad quem gradum se extendat hoc impedimentum? 17. *n.* 51. & 2. *seqq.*

Infideles conjuncti in gradu prohibito à Lege Divina, vel Canonica num ad fidem conversi separandi sint? 17. *n.* 38. & 39. Infidelis ad fidem conversi num contrahere possint matrimonium cum relicta uxore fratris sui defuncti, saltem ex dispensatione Ecclesiæ? 17. *n.* 20. & *seq.*

Infidelium conjugum nnus, si ad fidem converterat, num ad secundas nuptias transire possit? 17. *n.* 33. & quot conditiones requirantur? 17. 35.

Infidelium filij, quorum parentes in gradu Iure Canonico prohibito matrimonium contraxerunt, num ad fidem conversi legitimi sint censendi? 17. *n.* 15. & 17.

Infidelium matrimonium num sit validum? 17. 16. & inter quas personas, etiam inter infideles, jure naturali, & Divino illud sit prohibitum? 19. 40.

Interdictum Ecclesiæ quod dicatur, & quot modis sint? 16. 1.

Iudæus, si ineat matrimonium cum Iudæa, eo pacto, ut liceat ei dare libellum repudij, an validè contrahat? 14. 39.

Iudex Ecclesiasticus num possit in foro externo dare licentiam mulieri transeundi ad secundas nuptias habenti verisimilem præsumptionem alterum conjugem vitâ decessisse? 1. 135. Num possit judicare inter laicos de dote restituenda? 2. 1. Num si pronuntiet, aliquem esse legitimè natum, possit etiam pronunciare, esse hæredem? 17. 2. Num cognoscat de causa civili inter laicos, & an aliquis sit natus ex legitimo matrimonio? 17. 22. & *seq.* Quando possit, vel non possit cognoscere de causa principali, vel incidente hæreditaria, aut natalium? 17. 27. Num teneatur defendere dotes viduarum? 20. 24. & *seq.* Num de dote valeat cognoscere? 20. 41.

Iudex secularis, an Ecclesiasticus cognoscere debeat quæstionem principalem de petitione hæreditatis, & quæstionem incidentem natalium? 17. 27. Qualis cognoscere possit de causa dotis, si mulier constante matrimonio eam petat, quia vir bona sua dissipat, vel ad inopiam vergit? 20. 34.

Iudex Ecclesiast. an excõmunicare possit suæ jurisdictionẽ impedientes? 1. 11. Quis sit cõpetens Iudex in causa matrimoniali, & quis si agatur de restituenda dote? 1. 94. Iudex, cujus auctoritate sponsalia dissolvenda sunt, an solus Ecclesiasticus, & qualis? 1. 65. Iudex secularis an possit causam matrimonii cognoscere, etiamsi non agatur de valore matrimonii, sed solùm de separatione quoad torum, & cohabitationem, & etiamsi conjugalis causa incidat in judicium hæreditariæ successionis? Item in quibus præterea causis, quæ ad matrimonium pertinent, possit secularis esse competens Iudex? 18. 17. Quando possit de causa natalium cognoscere, vel non? 17. 26. Iudex, qui cognovit de matrimonio, num etiam possit, ac debeat simul de dote cognoscere, & qualis sit ille Iudex? 20. 31. & 3. *seqq.* Iudex num interdicere debeat matrimonium, quando scandalum timetur ex contractu matrimonii inter consanguineos contrahentium? Et quid facere debeat, si denuntians impedimentum non sit persona gravis, & de fama illius, vel scandalo sufficienter probare non possit? 1. 157. Iudex timens libertatem consensûs in femina impediendam fore, quid cutare debeat? 1. 101.

Iuramentum esse validum, & juramentum confirmare contractum num sit idem? 1. 120.

Iuramentum adjectum an reddat matrimonium validum gravi metu extortum? 1. 121. Num pariat obligationem ex virtute Religionis, & relaxatione indigeat? 1. 122.

Iuramento viri dicentis se copulam habuisse cum impubere, num sit standum? 2. 23.

Ius irritans matrimonium gravi metu contractum cui ineretur? 1. 100.

L.

LEGITIMATIO in genere quid sit? Quomodo à dispensatione differat? 17. 39. Qualis potestas legitimandi illegitimos competat Romano Pontifici? 17. 40. 41. & 42. Qualis secularibus Principibus? 17. 44. Quænam expri-

Digitized by Google

exprimenda ſint in petitione legitimationis, ne ſit ſubreptitia? 17. n. 45. An in petitione legitimationis ſint vocandi agnati, vel cognati ipſius parentis? 17. 46. An ſi Princeps aliquem legitimum facit, vocandus ſit, qui eſt ſubſtitutus ſub conditione, ſi ſine liberis parens hæres inſtitutus deceſſerit? 17. 47.

Legitimari proles an poſſit per ſubſequens matrimonium? 17. n. 28. & 3. *ſeqq.* Quinam filij nati ante matrimonium per ſubſequens matrimonium legitimentur, vel non? 17. 32. Quonam tempore parentes debeant eſſe habiles ad contrahendum matrimonium, ut proles ab eis nata legitimetur per ſubſequens matrimonium? Utrum tempore conceptæ prolis, vel natæ? 17. 33. *& ſeq.* Quibus præterea caſibus filij legitimentur per ſubſequens matrimonium? 17. 36. Quinam ſint alij effectus legitimationis per ſubſequens matrimonium? 17. 37. Ad legitimandam prolem num ſufficiat, ſi ignorantia impedimenti dirimentis adfit, tempore contractûs matrimonii, vel quidnam adhuc requiratur? 17. 44. Quinam liberi non legitimentur per ſubſequens matrimonium? 17. 38.

Lepra ſuperveniens num diſſolvat ſponſalia de futuro priùs contracta? 8. 1. Num matrimonium præcedens? 8. 4.

Leproſi an poſſint inire matrimonium? 8. n. 8. An ſibi invicem teneantur reddere debitum conjugale? 8. 9. Num licitè ſeparentur à conſortio reliquorum hominum? 8. 4.

Leproſum conjugem num ſanus ſequi teneatur? 8. 3. *& ſeq.* Num conjux leproſus ſeparari poſſit à ſano quoad torum, & cohabitationem? *tit. 8. n.* 3. 5. *& 6.*

Liberti num ſint liberi, ſi pater ſervus fuerit, & num à domino poſſint in ſervitutem revocari? 10. 3.

Libertas. Num in dubio judicandum pro libertate? 9. 15.

Lite pendente ſuper priore matrimonio, num impediatur contrahi ſecundum? 1. 158. *& ſeq.*

Lite pendente ſuper matrimonio, ſi appellatum ſit, num poſſit aliud matrimonium contrahi, & num ſi quis contraxit, matrimonium ſit ſeparandum? 4. 9. *& ſeq.* Num ſaltem matrimonii uſus prohibendus? 4. 10.

M.

MACHINATIO in mortem prioris conjugis an, & quando dirimat matrimonium ſubſequens? 7. 2 *num.* 16. *uſque ad* 18.

Magiſtratus num poſſit infringere matrimonia à liberis ſine conſenſu parentum inita? 1. 90.

Malitia quomodo, & quando ſuppleat ætatem quoad matrimonium contrahendum? 2. 36. Malitiæ nomine quid intelligatur? 2. n. 37.

Maritus an poſſit dimittere uxorem, ſine judicio Eccleſiæ propter publicum, & notorium impedimentum parentelæ, ſeu cognationis? 19. 21. *& 3. ſeqq.* Num licitè dotet uxorem? 20. 22. Num teneatur alere uxorem, & familiam, & quibus caſibus non teneatur? 1. 175. Uxore invitâ num poſſit diſcedere ad longum tempus? Num brevem peregrinationem inſtituere? Num uxorem caſtigare? 1. 174.

Matrimonium quoruplicitèr appelletur? 1. 66. Quid ſit matrimonium? 1. 67. Quoruplex? 1. n. 68. Requiſita in contractu matrimonii? 1. 81. An ſit verum Sacramentum? 1. n. 70. 71. 72. *&* 74. Quo tempore ſit inſtitutum? 1. 73. Quænam materia, & forma Sacramenti matrimonii? 1. 75. Quiſnam Miniſter, & an Sacerdos? 1. 76. *& ſeq.* Num Procurator, per quem contrahitur? 1. 80. Num verba ipſius ſint materia, & forma hujus Sacramenti? 1. 80. Num ſit indiſſolubile, & quo jure? 1. 137. uſque ad num. 142. Matrimonium an præcedere debeant ſponſalia? 1. 6. A quibus contrahi poſſit? 1. 9. Num à furioſis, & amentibus, vel ebrijs? 1. 10. Num à ſurdo tantùm, vel muto tantùm? Num etiam à ſurdo, & muto, imò & cœco ſimul? 1. 11. Num ſolis verbis ſine interno conſenſu, & quibus? 1. 12.

Matrimonium clandeſtinum quid ſit, & quoruplicitèr dicatur clandeſtinum? 3. 1. Matrimonium clandeſtinum num ſemper ab Eccleſia fuerit graviter prohibitum? 3. 2. Num ſit irritum poſt Concilium Trident. *ſeſſ.* 3. *n.* 2. 3. *&* 6. Num etiam in ijs locis, ubi Decretum Concilij Trid. non eſt promulgatum? 3. 2. *& 3. ſeqq.* Num in quascunque neceſſitate contractum ſit invalidum, & num ſemper? 3. 7. *& ſeq.* Qui prius contraxerunt matrimonium clandeſtinum, & poſtea palam cum alia, num cogendi ſint vel ad prius, vel poſterius matrimonium obſervandum? 3. 35. Matrimonium coram Parocho, & teſtibus, non præmiſſe denuntiationibus initum, num cenſeri debeat clandeſtinè, & non in facie Eccleſiæ celebratum? 3. 38.

Matrimonij clandeſtini publicatio qualem titulum effectum? 3. 34.

Matrimonium contrahens cum illa, quam alter ſibi priùs deſponſaverat per verba de præſenti, num eam debeat dimittere, & quæ ſit illius pœna? 4. 7. Matrimonium contrahens cum duabus, quodnam ſervare teneatur? Et quodnam ſit validum? 1. 28. Matrimonium iniens per verba de præſenti ſub conditione non improbata ab Eccleſia, num ſit cogendus ad matrimonium contrahendum, vel conſummandum ante conditionis eventum? 5. 8. *& ſeq.* Iniens matrimonium, vivente legitimâ ſuâ uxore, cum alia ignorante primam uxorem ipſius adhuc vivere, num mortuâ uxore, ſi petat à ſecunda ſeparari, ſeparandus ſit ab illa? 7. 2. Num ſaltem ſecunda poſſit à viro diſcedere? 7. 2. Si quis contrahat matrimonium cum duabus, num mortuâ primâ uxore, poſſit manere cum ſecunda? 7. n. 5. *&* 7. *&* 5. *ſeq.* Quid ſi vivente primâ uxore fidem dedit alteri de ea ducenda poſt mortem uxoris? 7. 2. Matrimonium initum per verba de præſenti inter habiles ſub conditione honeſta de futuro, & contingente, num poſitâ conditione ſit validum, ſine novo conſenſu utriuſque conjugis? 1. 33. *& 2. ſeqq.* Matrimonium, ut ſit validum, an requiratur poſt Concilium Trident. ut Parochus, & teſtes non tantùm contractui ſub conditione de futuro, fed etiam impletioni conditionis intereſint? 1. 35. Matrimonium, ſi ſub conditione turpi, vel impoſſibili ſit initum, quando non teneat propter defectum conſenſûs conjugalis? 1. 18. Num contractum ſub conditione turpi, eâ rejectâ, ſit ſervandum? 1. 18. Num initum ab aliquo ante pubertatem, etiam cum niſu ad copulam, valeat? 2. 24. *& ſeqq.* Contra Interdictum Eccleſiæ contractum num teneat? *tit.* 16. *n.* 2. 3. 6. *&* 7. Num diſſolvat præcedentia ſponſalia? 16. 4. Num ſtatim ſit diſſolvendum, ſi quis dubiter, an prior conjux obierit? 21. 3. Matrimonium evnuchorum, hermaphroditorum, ſeoum, ſterilium, mulierum non potentium parere, ſine vitæ periculo, vel non niſi fœtum mortuum, vel in artieulo mortis conſtituti num valeat? 15. 2. *&* 4. *ſeqq.* Matrimonium fidelis ex diſpenſatione S. Pontificis initum cum catechumena nondum baptizata an ſit Sacramentum? 1. 71. Matrimonium inter abſentes per Procuratorem contractum num ſit validum etiam poſt Concil. Trid. & quæ requirantur conditiones? 1. 78. *& ſeq.* Num per Epiſtolam? 181. Num ſit Sacramentum? 1. 80.

Matrimonium infidelium an, & quâ ratione, ſi poſtea convertantur ad fidem, poſt Baptiſmum efficiatur Sacramentum, & indiſſolubile? 19. 41. Matrimonium Iudæorum, vel aliorum infidelium, ſi ſit contractum in gradu Iure Canonico prohibito, an ſit verum, & legitimum matrimonium, & an Sacramentum? 14. 38. Matrimonium liberi hominis ignoranter initum cum ancilla, ſi poſtea ſciens in illam conſenſit, num valeat, vel an cum alia contrahere poſſit? 9. 11. *& ſeq.* Matrimonium antè contractum num diſſolvatur propter gravem infirmitatẽ? 8. 4. Num aliud matrimonium inire poſſit conjux relictus, ſi alter fidelium conjugum, vel labatur in hæreſim, vel tranſeat ad errorem infidelitatis 19. 33. & num ſit de fide poſt Concil. Trid. 19. 36. Num S. Pontifex Cælestinus III. definierit, matrimonium diſſolvi, eùm alter conjugum in hæreſim labitur, vel adGentilium errorem tranſit? 19. 34. Matrimonium contractum inter infideles num ſit verum matrimonium, & num diſſolvi poſſit? 19. 37.

Matrimonium num fictè contrahens cum muliere per verba de præſenti, ſine interno conſenſu in illam, validè contrahat? 1. 95. *& ſeq.* Num fictè contrahens grave peccatum committat, non ſolùm ſacrilegij, ſed etiam injuſtitiæ? Num obligatus ſit verè conſentire in matrimonium, & in quibus caſibus non obligetur ad contrahendum matrimonium? 1. 97.

Digitized by Google

Matrimonium an ſit verè contractum, quando vir, & mulier ſibi invicem promittunt, quòd ex eo tempore habebunt ſe pro conjugibus, & fidem ſponſalium ſibi ſervabunt? 1. 86. Num matrimonium initum non ſervatâ lege, vel conſuetudine loci, in quo celebratur, ſit validum? 1. 89. Matrimonium num ſeparari poſſit propter impedimentum mulieris arctæ, quod præterDivinum miraculum tolli non poteſt, vel illam inhabilem reddat ad contrahendum matrimonium? 15. 24. & ſeq. Matrimonii Sacramentum num exiſtat inter Judæos, & alios Infideles? 19. 40. Matrimonii num debeat impediri ad dictâ unius, ſi ſponſalia inita inter virum, & mulierem ſint juramento confirmata? 1. 154. Num etiam impediri debeat ad denuntiationem unius viti honeſti, qui defert de fama conſanguinitatis? 1. 155. & ſeq. An contrahere poſſint matrimonium parentes pro filijs præſentibus, & tacentibus, & num etiam extranei pro extraneo? 16. 5. An licitè ineant matrimonium filij duorum compatrum? 11. 8. 4. 5. 9. & 12. Num valeat matrimonium liberi cum ancilla, ſi ignotata ſuæ conditio ſervilis, poſt elapſum decennium, vel etiam quinquennium? 9. 15. Matrimonium, quod libet contraxit cum ancilla, ignorans illam eſſe ancillam, num ſtat validum, ſi poſtquam ſcivit illam eſſe ancillam, carnalem copulam cum illa habeat? 9. 8. 5. & 13. Num poſſit conferri in arbitrium alterius? 5. 9. Matrimonium perſonæ Catholicæ cum hæretica perſona initum num ſit validum? 1. 165. Matrimonium tatum quibus modis diſſolvatur? 1. 8. 142. & 145. Matrimonium quoad vinculum num ſeparetur propter crimen adulterij? 19. 7. Matrimonium ſecundum, tertium, & quartum, poſt mortem conjugis contrahere num ſemper licitum fuerit? 1. 126. Matrimonium ratum num inducat impedimentum dirimens, vivente uxore? 7. 6. Matrimonium ſeparatum quoad torum, & cohabitationem propter adulterium, quomodo redintegretur? 19. 5. & 2. ſeqq. Num ſi quis alicui promiſit matrimonium, & poſtea cum alia contrahit, teneat contractus, & compelli poſſit, ut ad priorem ſponſam rediret? 1. 20. Matrimonium ſiqua puella innubilis inijt cum aliquo, ſed poſtea ſponte ab eodem fuit eoguita, num audienda, ſi contra matrimonium reclamet? 18. 14. Matrimonium nullum ob defectum ætatis, vel gravem metum, an convalideturper intervenientem ſpontaneam cohabitationem poſt ætatem legitimam? 18. 15. Matrimonium poſterius an valeat, ſi prius fuit coactè initum? 1. 110. & ſeq. Siqui inhabiles ad contrahendum matrimonium, illud ſibi invicem promittant, vel etiam per verba de præſenti contrahant ſub conditione, ſi Papa diſpenſaverit, an contrahant obligationem, & qualem, ante, vel poſt diſpenſationem? 5. 26. & ſeq. Matrimonium de præſenti initum cum puella innubili num tantùm habeat vim ſponſalium de futuro? 2. 30. & ſeq. Matrimonium quam requirat ætatem? 2. 32. & ſeq. Matrimonium contrahens eum deſponſata alteri per verba de præſenti, num illam poſſit habere in uxorem, & quæ requirantur, ut quis omnino inhabilis ſiat ad illam ducendam etiam poſt mortem priori viri? 4. 8. Matrimonium inter quas perſonas, etiam inter infideles, jure Divino, & naturali prohibitum ſit? 19. 40. Num verum fuerit matrimonium inter B. Virginem, & S. Joſephum? 1. 169.

Matrimonii promiſſio, an poſſit eſſe materia voti? 1. 2.

Matrimonio aſſiſtere quibus poſſint? Num præter Parochum etiam Epiſcopus, Abbas exemptus, Vicarius Generalis Epiſcopi, & Capitulum Cathedrale, Sede vacante? 3. 20.

Meretrix. Meretricem extrahere è lupanari, & ducere in uxorem, an ſit opus miſericordiæ; & num tali dentur Indulgentiæ pro remittenda pœna temporali adhuc debita? Meretricem in publico lupanari exiſtentem, ſi velit damnatus ad mortem ducere in uxorem, num à morte liberetur? 1. 108.

Metus quotuplex ſit? Quis dicatur metus gravis, quis levis? A quibus cauſis incuti poſſit, & quibus modis? 1. 100.

Metus cadens in virum conſtantem, num irritet matrimonium? 1. 98. & ſeq. Cur? 1. 101. Et quæ requirantur conditiones, ut per talem metum initum ſit irritum? 1. 105. Quo jure ſit invalidum tale matrimonium? 106. Metus levis, an invalidet matrimonium? 1. 113. & ſeq. Num metus reverentialis? 1. 119. An omnis metus irritum reddat matrimonium? 1. 102. Quinam metus dicatur eadere in virum conſtantem, num relinquendum ſuæ dicis arbitrio? 1. 115.

Metus gravi contractum matrimonium num per ſpontaneam cohabitationem utriuſque conjugis convaleſcat? 1. 112. & ſeq. Quænam requirantur, ut convaleſcat? 1. 113. Matrimonium ab infidelibus gravi metu initum num ſit validum? 1. 106. Num contractum cum concubina metu mortis inſtantis? Num contractum, eò quòd Medici judicent, id eſſe neceſſarium ad vitam ſervandam? Num initum à conjecto in carcerem? Num à damnato ad mortem, ſi publicam meretricem ducat? 1. 107.

Metus gravi initum matrimonium num ſit irritum in utroque foro? 1. 8. 98. 99. & 102. A quocunque inferatur? 1. 101. Quidſi contrahens culpâ ſuâ in hunc metum incidit? 1. 103. Quidſi cogatur incertam ex certis ducere? 1. 103. Quid ſi metus gravis juſtè incuſſus ſit, ſive à lege, ſive à Judice? 1. 104. Quidſi injuſtè quidem, ſed non ad extorquendum matrimonium? 1. 105.

Modus contractui matrimonii appoſitus quid ſit? 5. 1. Num adjectus contractui matrimonii illum vitiet, vel ſuſpendat? 5. 30. & 2. ſeqq.

Mors num potiùs obeunda, quàm matrimonium gravi metu extortum conſummandum? 1. 134.

Mulier aſſerens ſe contraxiſſe matrimonium per metum, num audienda? 1. 8. 114. & 116. Quidſi aufugiat? 1. 115. Num teneatur probare non ſolùm ipſum metum, ſed etiam illius qualitatem? 1. 115. Mulier cognita ab uno viro num præſumatur cognoſci poſſe etiam ab alio? 15. 26. Mulier duos viros habens, cui ſit reſtituenda, & num excommunicanda, ſi ad illum redire recuſaverit? 2. 4. Mulier, poſt mortem viri, tranſiens ad ſecundas nuptias, intra annum luctûs, num incurrat infamiam, vel alias pœnas juris? 2. 5. & ſeq.

Mutus, & ſurdus, & cæcus ſimul an contrahere poſſit ſponſalia, & matrimonium? 1. 14.

N.

NATALIVM quæſtio oppoſita petenti hæreditatem coram Judice ſeculari, num remitti debeat ad Judicem Eccleſiaſticam ab eo cognoſcenda? 17. 24. & ſeq.

Nepos legitimè natus ex parte illegitimo num poſſit ſuccedere avo in bonis ſuis? 17. 26.

Nuptiæ ſecundis an ſit impertienda benedictio, & quam pœnam incurrat Sacerdos eas benedicens? 11. 11. & 4. ſeqq.

O.

ORDO Sacer an dirimat ſubſequens matrimonium? 6. 1. Quo jure? 6. 6. Quidſi fuerit promotus ad Sacros Ordines per vim? 6. 2. Num ſuſcipiens Ordinem Sacrum ante pubertatem obligetur ad continentiæ votum ſervandum, & quid ſi quis invalidè ſuſcepit Sacros Ordines? 6. 2. Ordo Sacer eur impediat matrimonium contrahendum, non tamen dirimat contractum? 6. 7. Ordo Sacer an dirimat ſponſalia contracta? Num etiam Ordines minores? 1. 55.

Ordines Sacros an quis ſuſcipere poſſit, durante matrimonio? 6. 9. Num falſeu minores? 6. 9. Ordines minores an obſtent matrimonio ſubſequenti? 6. 4.

P.

PACTA in conjugijs cum hæreticis inita, ut aliqui ex liberis naſcituris fidem hæreticam ſequantur, num ſint irrita? 3. 67. Num valeant pacta illa inter conjuges, quæ diſſolutionem matrimonii contra Juris diſpoſitionem impediunt, vel difficiliorem reddunt? 20. 22.

Papa num poſſit condere legem, ut matrimonium ratum, & non conſummatum dirimatur per matrimonium conſummatum? 4. 8.

Parentes carnales num poſſint proprios filios baptizare, vel in Baptiſmo, aut Confirmatione, tanquam Patrini, ſuſcipere, & quæ illorum pœna? 11. 7. Num irritare poſſint matrimonia à liberis contracta ſine illorũ conſenſu? 1. 90.

Parochialibus aliquem eſſe ſuum filium negantibus num credendum ſit? 17. 501

Paro-

Digitized by Google

Parochus quomodo debeat esse præsens matrimonio, num tantùm physicè, vel etiam moraliter? 3. 22. Num ad id vocati? 3. 22. Parochus, & testes an non tantùm contractui sub conditione de futuro, sed etiam conditionis impletioni interesse debeant ad hoc, ut matrimonium sit validum? 5. 25. Parochus num curare debeat, ut post contracta à sponsis sponsalia, quamprimùm fieri poterit, matrimonium contrahatur? 1. 16. Num qui vis Parochus possit vagabundos matrimonio conjungere? 3. 19. Parochus Catholicus num possit assistere matrimoniis hæreticorum? 3. 21.

Parochi assistentia num sit necessaria ad valorē matrimonii, & num propriis Parochi utriusq; cōtrahentis? 3. 13. In cujus cōtrahentis Parochia assistere debeat, viri an mulieris? 3. 14. *& seq.* Num peccet, si assistat matrimonio extra propriam Parochiam? 3. 16. Num debeat esse Sacerdos? Num non Sacerdoti assisteadi licentiam dare possit? 3. 17. Parochus num excommunicatus non tolcratus, vel notorius Clerici percussor, item suspensus ab officio, & beneficio, vel irregularis, vel administrationc interdictus possit assistere matrimonio, vel assistendi licentiam dare? 3. 18.

Pater injustè filiorum uxores detineas an compellendus sit per censuram Ecclesiasticam, ut intra certum tempus illas restituat suis maritis? 1. 23. *& seq.* Pater num pro filio contrahere possit matrimonium, vel sponsalia? 2. 17.

Patrinus quis dicatur? 1. 33. Ad hoc munus quænam requirantur? 1. 34. Quinam possint esse Patrini? 1. 34. Catholicus num possit esse Patrinus suscipiendo prolem Acatholici, quæ à ministro hæretico baptizatur? 1. 41. Patrinus hæreticus num admittendus, si proles Catholica ab hæretico baptizatur? 1. 42.

Patrini ipsi num inter se contrahant cognationem spiritualem, & propterea Patrini conjugati priventur jure exigendi debitum? 1. 34. Num plures in Baptismo, vel Confirmatione intervenire possint, & an omnes contrahant cognationem spiritualem? 1. n. 26. 27. 28. & 30. Quid præterea circa hos statuerit Concilium Trident. 1. 29.

Patrinus designare ad quos pertineat? 1. 30.

Pœna tam viri ducentis eodem tempore plures uxores, tum mulieris nubentis simul pluribus viris, quænam sit tam de Jure Civili, quàm Canonico? 1. 45. Quam pœnam incurrat Sacerdos secundis nuptiis benedictionem impertiens? 1. n. 12. & 16. Pœna matrimonium contrahentis cum illa, quam alter ubi desponsaverat per verba de præsenti, quænam sit? 4. 7. Quam pœnam incurrant ineuntes matrimonium intra gradus prohibitos? 14. 26. Pœna contrahentis matrimonium in gradu cōsanguinitatis, vel affinitatis prohibito, aut cum Monialinec non Religiosorum, Monialium, aut Clericorū in Sacris constitutorū quæ sit? 14. 40. & 2. *seqq.* Num etiam mandantes, consulentes, aut adjuvantes ad hujusmodi matrimonium illam pœnam incurrant? 14. 43. & quæ ad illam incurrendam requirantur, vel ab ea excusent? 14. 44. & 3. *seqq.* An ipso facto incurratur, & quis ab ea possit absolvere? 14. 48. Quænam pœna sit statuta in contrahentes matrimonium contra interdictum Ecclesiæ? 16. n. 2. & 3. Quænam in illos, qui prohibentur inire matrimonium propter impedimentum consanguinitatis, si postea matrimonio jungantur contra interdictum Ecclesiæ? 16. n. & *seq.* Quænam in parentes baptizantes proprios filios, aut in Baptismo, vel Confirmatione suscipientes? 11. 7. Quænam in conjugem infidiantem vitæ alterius conjugis? 19. 51. & 2. *seqq.*

Pœna matrimonii clandestini quæ sint? 1. n. 36. 37. & 39. Quænam contrahentium, & testium assistentium matrimonio clandestino? 3. 40. Quænam Parochi, vel alterius Sacerdotis assistentis? 3. 41. & 2. *seqq.* Quænam sint statutæ Jure Civili in fœminas viduas transeuntes ad allas nuptias intra annum luctūs? 21. 7. Num illæ Jure Canonico abrogatæ? 21. n. Pœnæ quænam sint decretæ in favorem filiorum prioris matrimonii, si vidua transeat ad secundas nuptias? 21. 9. Num hæ per Jus Canonicum sint correctæ? 21. 10. Pœnæ quænam sint statutæ in detinentes uxores filiorum? 1. 23. Pœnæ viri committentis incestum cum consanguinea uxoris quæ sint, & quæ uxoris committentis incestū cum consanguineis viri? 3. 2. & *seq.*

Pœnitentia num injungenda ob violatam fidem priorum sponsalium de futuro? 1. 58.

Polygamia, seu matrimonium unius viri cum pluribus uxoribus simul initum num sit contra primæ vam illius institutionem, & quo jure irritum sit? 1. 129. Num ita repugnet juri naturali, ut non possit ullo casu cohonestari? 1. 129. Num etiam Polygamia, sive matrimonium unius fœminæ cum pluribus viris simul initum? 1. n. 128. & 130. Num Pontifex in nulla harum dispensare possit? 1. 130.

Probatio defectūs natalium cui incumbat? 17. 27. Num quis probetur esse filius ex eo, quòd nutritus sit in domo alicujus, si maritus, & uxor negent illum esse suum filium? 17. 49. & *seq.* Ad probandam prolem esse illegitimam, & matrimonium fuisse invalidum, quando fuit contractum in facie Ecclesiæ, num sufficiat probare solum impedimentum matrimonii? 17. 51. & *seq.* Quomodo probari possit, ac debeat filiatio? 17. 52. Quomodo plenè probetur filiatio? 17. 50. Quænam præterea notanda sint ad probandum aliquem esse filium legitimum? 17. 56.

Professio Religiosa num dissolvat sponsalia? 1. 142. Num possit Professio Religiosa fieri in manibus privati Religiosi? 6. 19.

Professorum habitus assumptus extra Religionem num impediat matrimonium contrahendum, vel dirimat contractum? 6. 21. & *seq.* Quando per assumptionem habitūs Professorum extra claustrum Monasterii fiat votum solemne, ita ut impediat, vel dirimat matrimonium postea contractum, vel non? 6. 23.

Promissio matrimonii an possit esse materia voti? 1. 2. Promissio non simplex, sed mutua, ita ut altera pars nō tantùm acceptet, sed etiam reprompittat matrimonium, num requiratur ad contrahenda sponsalia? 1. 3. Promissio matrimonii absoluta, & gratuita, alterā parte illam acceptante, nec repromittente, an obliget ad contrahendum matrimonium, & num vi sponsalium, vel liberalis promissionis? 1. 3.

Pubes contrahens sponsalia cum impubere num teneatur hunc expectare, donec pubes fiat? 2. 20. & *seq.*

Puberes quinam sint, & dicantur quoad matrimonium contrahendum? 2. 14. & *seq.*

Q.

QVÆSTIO natalium opposita petenti hæreditatem coram Judice seculari, num remitti debeat ad Judicem Ecclesiasticum ab eodem cognoscenda? 17. 24. & *seq.*

R.

RELIGIOSVS num bona sua retinere possit? 6. 20.

Religionis ingressus qualiter dissolvat sponsalia? 1. 50.

Religionem ingredi an quis possit ante contractum, vel consummatum matrimonium, siquam sub spe matrimonii corrupit? 1. 54.

Repudium legitimæ uxoris num post legem Evangelicam Judæis, vel aliis infidelibus permissum sit? 19. 49.

S.

SACRAMENTA num fideles omnes recipere censeantur, juxta intentionem Ecclesiæ? 5. 17.

Sententia in causa matrimoniali num ferri possit, alterā parte absente? 18. 9. & *seq.*

Servus num invito domino licitè matrimonium contrahere possit? 9. 1. & *seq.* Servus num omnia Sacramenta suscipere valeat? 9. 3. An possit manumitti sub ea conditione, seu modo, ut fiat Monachus, vel Clericus? 3. 33. Servus à proprio domino traditus in matrimonium personæ liberæ ignarę scivitutis an fiat liber? 9. 10.

Servitus. Onus probandi ignorantiam servitutis cui incumbat? 9. 13.

Signa quælibet num sufficiant ad contrahenda sponsalia? 1. 7. Num suppleant verborum vices? 1. 8.

Societas num contrahatur inter conjuges? 20. 29.

Sponsalia unde dicantur, & quotuplicitet? 1. n. 1. Sponsalia quid sint? Requisita ad illa? 1. 2. & 2. *seqq.* An præcedere debeant matrimonium? 1. 6. A quibus contrahi possint?

Digitized by Google

fint? 1. 2. Num ab amente, cæco, furioſo? 1. 10. Num à ſurdo tantùm, vel muto tantùm? Num à ſurdo, muto, imò & cæco ſimul? 1. 11. Num ſponſalia ſine arrhis contracta obligent ex juſtitia ſub culpa lethali ad matrimonium contrahendum? 1. 15. Num etiam ſine teſtibus? 1. 15. Quo tempore obligent ad contrahendum matrimonium? 1. 16. Num contrahantur per verba, aut ſigna quælibet? V. *Verba*, & V. *Signa*. Sponſalia per gravem metum injuſtè incuſſum contracta num ſint valida? 1. 21. Contractui ſponſalium num pœna adjici poſſit, & à quibus? 1. 22. & 2. *ſeqq.* Num intervenire poſſint arrhæ? 1. 25. Sponſalia clam contracta ſine Parocho, & teſtibus, etiam poſt Concilium Trident. num valida ſint, vel licita? 1. 26. Num per ſubſecutam copulam carnalem tranſeant in matrimonium de præſenti? 1. 27. Num etiam in locis, in quibus Decretum Concilii Trident. eſt receptum, vel non receptum? 1. 28. Quid ſi copula carnalis non ſit ſecuta, ſed ſolùm riſus ad illam? 1. 29. Num ſaltem ex tali conatu ad copulam oriatur impedimentum publicæ honeſtatis? V. *Impedimentum publicæ honeſtatis.* Quam ætatem requirant ſponſalia? 2. 1. & 2. *ſeqq.* Sponſalia duorum infantium, vel unius majoris ſeptennio, alterius minoris, five per ſe, five per parentes contracta num valida ſint? Et quando inducant impedimentum publicæ honeſtatis? 2. 1. In ſponſalibus num malitia ſuppleat ætatem? 2. 12. Sponſalia inter impuberem, & puberem, vel duos impuberes non tamen proximos pubertati, per verba de præſenti contracta, num valeant ut ſponſalia de futuro, & quòmodo tranſeant in matrimonium? 2. 23. & *ſeq.* Sponſalia pro præſentibus filiis, & tacentibus per parentes contracta, num valida, & quid ſi pro abſentibus, & ignorantibus? Num ex eis oriatur impedimentum publicæ honeſtatis? 2. 25. & *ſeq.* Sponſalia pro filio adulto, & pro infante contracta in quo differant? 2. 28. Sponſalia ſucceſſivè contrahens cum duabus cui adhærere debeat? 4. 2. & *ſeq.* Sponſalia contrahens cum duabus quænam ſervare teneatur, & quæ ſint valida; 5. 28. Num ſi quis cum aliqua ſponſalia ſub conditione contraxit, & poſtea cum alia prioris conjugis conſanguinea contrahat per verba de præſenti, cum ſecunda remanere debeat? 5. 31. Sponſalia de futuro jurata num contrahi poſſint ſub conditione de futuro, & num tranſeant in matrimonium de præſenti per copulam ſubſecutam? 5. 2. 5. & 2. *ſeqq.* Sponſalia à pubere cum puella minore ſeptennio contracta an pariant publicæ honeſtatis juſtitiam? 2. 31. & *ſeq.* Sponſalia inita cum minore ſeptennio per mutuam cohabitationẽ poſt ſeptennium, cum convaleſcant, & inducant impedimentum publicæ honeſtatis? 2. 26. & *ſeq.* Sponſalia iniens cum aliqua, & poſtea illius ſororem cognoſcens num ab utraque abſtinere debeat? 13. 27. & *ſeq.* Quid ſi matrem ſponſæ cognoſcat? 13. 30. & *ſeq.* Sponſalia contrahens ſub conditione honeſta, & ante impletam conditionem habens copulam cum illa, num à conditione receſſiſſe videatur, & matrimonium teneat? 5. 20. Sponſalia de futuro non tantùm pura, & abſoluta, ſed etiam conditionalia, num per ſecutam copulam tranſeant in matrimonium? 2. 22. Sponſalia ſecunda, diſſolutis primis, implere an quis teneatur? 2. 37.

Sponſalia de præſenti num diſſolvantur per ſubſequens matrimonium conſummatum? 4. 3. & *ſeq.* Quid ſi quis ſponſalia per verba de præſenti contraxit cum duabus, quam debeat habere in uxorem? 4. 5. Sponſalia num diſſolvantur ob quemlibet morbum contagioſum ſupervenientem uni ex ſponſis? 8. 2. Sponſalia priora num diſſolvantur per affinitatem ſupervenientem? 2. 37. Sponſalia de futuro num diſſolvantur per matrimonium ſubſequens? 2. 37. Num mutuo contrahentium conſenſu? 2. 40. Quid ſi unus ex ſponſis à ſponſalibus ſine cauſa reſiliat? Quid ſi minis, terroribus? &c. adactus? 2. 41. An, & quâ ratione diſſolvantur, elapſo termino ad matrimonium contrahendum præfixo? 2. 44. & 2. *ſeqq.* Num diſſolvantur ſponſalia abſentiâ ſponſi? 2. 47. & 2. *ſeqq.* Num per matrimonium initum de præſenti diſſolvatur priora ſponſalia ante pubertatem contracta? 2. 26. & *ſeq.* Sponſalia priora etiam jurata num diſſolvantur per poſteriora? 2. 56. Sponſalia de futuro etiam jurata num ſolvantur per ſponſalia de præſenti validè, etſi illicitè contracta? 2. 58. Num diſſolvantur, ſi ſponſus in hæreſim incidat? 2. 60. Sponſalia etiam jurata num ſolvantur per ſubſequentem fornicationem, tam ſponſi, quàm ſponſæ? 2. 60. Num diſſolvantur, ſi ſponſa ab alio vi ſit oppreſſa? 2. 61. Num liceat ſponſo reſilire à ſponſalibus, ſi ſponſa ſe permittat turpiter tangi ab aliis? Num etiam ſponſæ ob oſcula, vel tactus impudicos ſponſi cum alia? 2. 61. Sponſalia num diſſolvantur ob fornicationem ſponſi præcedentem ſponſalia, & ſponſæ cognitam? 2. 62. Quid ſi tam vir, quàm fœmina poſt ſponſalia fuerint fornicati? 2. 62. Num reſcindantur ſponſalia, ſi ſponſa corrupta fuit ab alio ante ſponſalia, ſponſo id ignorante, & virginem eam exiſtimante? Num ſi ſcivit eſſe viduam, ignoraverit tamen ejus fornicationem? 2. 62. Num reſcindantur ſponſalia, propter quamlibet novam cauſam rationabilem, vel mutationem notabilem ſupervenientem poſt ſponſalia? 2. 63. Mutationes ejuſmodi notabiles, ob quas à ſponſalibus recedere liceat, quot enumerentur à DD. 2. 64. Num ſi five ante, five poſt contracta ſponſalia, probabiliter ab altero ignoratæ fint? 2. 65. Quid & cognita ejuſmodi cauſâ, ſponſus carnaliter ſponſam cognoſcat? 2. 65. An ad diſſolvenda ſponſalia ob cauſam rationabilem, & mutationem notabilem opus ſit ſententiâ Judicis, an verò propriâ auctoritate, contrahentes reſilire poſſint? 2. 65.

Sponſalium fidem implere recuſans, num cogi poſſit à Judice Eccleſiaſtico per cenſuras ad contrahendum matrimonium, vel num potiùs monendus? 2. 8. 17. 18. 19. 20. 24. & *ſeq.* Sponſalium fidem violans an damnum ſponſæ illatum compenſare teneatur? 2. 59.

Sponſalium priorum obligatio num per matrimonium ſubſequens validum omnino extinguatur, an verò ſolùm ſuſpendatur? 2. 59.

Sponſus. Sponſo, vel ſponſæ aſſerenti, ſi talis cauſa à principio exiſtiſſet, ſe non fuiſſe contracturum ſponſalia, an fides in utroque foro ſit adhibenda? 2. 63.

Surdus an poſſit inire ſponſalia, & matrimonium? 2. 11.

T.

TERMINUS ad contrahendum matrimonium quot modis apponi poſſit in contractu matrimoniii? 2. 46.

Teſtis idoneus num pater eſſe poſſit in cauſa filii? 18. 3. Teſtis unius num ſufficiat ad impediendum matrimonium? 18. 15. Num etiam ad diſſolvendum matrimonium? 14. 15. Teſtis unicus aſſerens conjugem abſentem eſſe mortuum, num ſufficiat, ut conjux ſuperſtes aliud matrimonium inire poſſit? 2. 34. Teſtis unicus aſſerens impedimentum inter aliquos intercedere an, & quâ ratione impediat matrimonium contrahendum? 2. 153. & *ſeq.* Quænam requirantur, ut unicus teſtis poſſit impedire matrimonium contrahendum? 2. 154.

Teſtes ad contrahendum matrimonium requiſiti num debeant eſſe præſentes matrimonio, non tantùm phyſicè, ſed etiam moraliter? 3. 22. Num ad id vocati? 3. 23. Quot requirantur, & quales? 3. 24. Teſtes ad hoc ut matrimonium ſit validum, an non tantùm contractui ſub conditione de futuro, ſed etiam impletioni conditionis intereſſe debeant? 5. 25. Teſtes in cauſa matrimoniali an, & quando recipi poſſint etiam lite non conteſtatâ? 18. 2. & *ſeq.* Teſtes ſuper conſanguinitate deponentes quomodo gradus diſtinguere debeant? 14. 12. & *ſeq.*

Teſtimum dicto probantium aliquem eſſe filium legitimum num ſtetur? 17. 14. & *ſeq.*

Teſtificari contra, vel pro matrimonio quinam poſſint? 18. 3.

V.

VAGABVNDVS. Num poſſit quivis Parochus vagabundos matrimonio conjungere non factâ priùs diligenti inquiſitione de eorum ſtatu, & habilitate ad matrimonium contrahendum, ac obtentâ Ordinarii licentiâ? 13. 19.

Vaſallus num concedere poſſit feudum, ſeu partem feudi filiæ ſuæ in dotem, vel donationem propter nuptias ad vitam illius, ſine conſenſu domini, & num idem dicendum de Emphyteuſi? 20. 14. & *ſeq.* Num ſaltem commoditatem fructuum? 20. 24. & *ſeq.*

Verba Parochi *Ego vos in matrimonium coniungo &c.* an ſint neceſſaria ad valorem matrimonii? 3. 22. Verba quænam ſint,

Digitized by Google

ſint, quibus contrahuntur ſponſalia? 1. 7. Quid ſi ſint dubia? 1. 8. Num verba ſint de eſſentia matrimonii, an ſolùm neceſſaria ex præcepto Eccleſiæ, & quid intelligatur per verba? 1. 14. Verba ſponſalium, aut matrimonii ſi obſcura ſint, quomodo intelligenda ſint? 1. 24. *& ſeq.*

Verbis Interpretis, ſi per eum ſit contractum matrimonium, num danda ſit fides? 1. 85.

Votum caſtitatis à ſponſo editum, an alterum liberet à ſervandis ſponſalibus? 6. 18. Votum ſimplex perpetuæ continentiæ editum animo permanendi in ſeculo, an diſſolvat ſponſalia de futuro? 6. 29. *& 2. ſeqq.* Quando per aſſumptionem habitûs Profeſſorum, extra clauſtrum Monaſterii, fiat votum ſolemne, ita ut impediat, vel dirimat matrimonium poſtea contractum, vel non fiat tale votum? 6. 23. Votum Religionis emittens ante ſponſalia, ſiquam corrupit, fide datâ de contrahendo matrimonio, an teneatur eam ducere, non obſtante voto? 1. 54. Votum ingrediendi Religionem, ac profitendi an diſſolvat ſponſalia etiam jurata? 1. 51. *& 2. ſeqq.* Votum ſolemne caſtitatis an dirimat matrimonium ſubſequens? 6. n. 13. 14. 16. 19. *& ſeq.* Quo jure? 6. 15. Num etiam votum ſimplex? 6. 24. An etiam diſſolvat prior ſponſalia? 6. 27. *& ſeq.* In quo differant votum ſolemne & ſimplex? 6. 25. Votum ſuſcipiendi Ordines ſacros num dirimat ſponſalia? 1. 55.

Voto caſtitatis ligatus contrahens ſponſalia an teneatur, etiam voti diſpenſatione impetratâ, ad ea ſervanda? 1. 57.

Vota tria ſimplicia Societatis JESU, poſt biennium probationis emiſſa, num irritent matrimonium poſtea, vel etiam antea contractum? 6. 26.

Uſufructuarius cui poſſit jus uſusfructûs cedere? 10. 25.

Uxor abſentem virum quamdiu expectare debeat, ut poſſit alij nubere? 1. 136.

Uxor filii num ſit ſubjecta poteſtati ſoceri? 1. 94. Uxor num teneatur obedire præceptis mariti quoad pertinentia ad familiæ adminiſtrationem? 1. 174. Num teneatur ſequi virum mutantem domicilium, & quando non teneatur? 1. 174.

EMENDANDA.

Erratum.	*Pagina.*	*Columna.*	*linea.*	*legendum.*
corna	6.	2.	16.	contra
requiritus	10.	1.	17.	requiſitus.
de	38.	1.	12.	*del.*
qua	38.	2.	30.	quia
recuſabat	42.	2.	3. à fine	recuſabat
eam	51.	1.	21. à fine	eum
quo	67.	2.	27.	qua
omiſſum	87.	2.	32.	quibuſdâ Epiſcopis
non	93.	2.	30.	*del.*
nec eam	93.	2.	10.	& eam
omiſſum	126.	1.	8.	c. 4.
omiſſum	138.	2.	8.	vel
initum	165.	2.	2. à fine.	irritum
omiſſum	178.	1.	1.	juri
propter fornicationem	197.	1.	4.	non propter fornicationem

Ad maiorem DEI Gloriam.

Digitized by Google